
PETRI RAMI
VEROMANDVI
Animaduerſionum Ariſtotelicarum Libri XX.

A D

Carolum Lotharingum, Cardinalem Guïſianum.

EDITIO SECVNDA.



CVM GRATIA ET PRIVILEGIO REGIS, AC SENATVS.

LVTETIAE.

Ex typographia Matthæi Dauidis, via amygdalina è regione collegij Rhemenſis, ad Veritatis inſigne.

1549.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

Proibito

C. 8

PETRI RAMI VEROMANDVI

Animaduerſionum Ariſtotelicarum Præfatio,

AD Carolum Lotharingum, Cardinalem Guiſianum.

INſtitutiones dialecticæ, Mecœnas, tibi gratias habuerũt, quòd tua bonitate atque clementia priſtinæ libertati redditæ atque reſtitutæ eſſent. Hoc illis beneficium maximũ fuit: quòd cùm ſic oppreſſæ fuiſſent, vt vel omnino interire, vel ſine authoris ſui nomine ingratè viuere cogerentur, per te non ſolùm ſibi iucunditatem vitæ, ſed parenti quoque ſuo debitam induſtriæ laudem recuperarint. Quales verò gratias Ariſtotelicæ animaduerſiones non dico verbis agere, ſed animo capere, aut cogitatione complecti poterunt? Inſtitutiones nihil Ariſtoteleos offenderãt: quia tamen lucẽ demonſtrabant, cui contrarias tenebras expelli tam moleſtè Ari-

Iudici Ariſtot. rũ de Animaduerſionibus in Academia Talæi deſcriptum.

ſtotelei ferebant, communi vindicta ſunt afflictæ. Verùm Animaduerſiones cùm videantur Ariſtoteleæ oppreſsionis (quam tibi frater meus Audomarus Talæus in Academia modicè & modeſtè deſcripſit) motus illos excitaſſe: quanto iuſtiore periculi metu ſunt affectæ, tanto ſanè par eſt grátius ac lætius optatiſsimæ liberationis meminiſſe. Itaque gratias ſeruatori ſuo maximas agunt: profitentúrque non ſolùm ſe tibi vitam, libertatem, dignitatem: ſed omnem futuri temporis expectationẽ acceptam referre. Etenim (Mecœnas optime) quanuis id tibi tam liberali, támque magnifico principi minimũ videri certò ſcio: tamẽ cogita, quæſo, quãtum beneficium mihi, quámque amplum vna tua in nos gratia complexa videatur. Si me opibus (quibus abundas maximis) cumulaſſes: ſi muneribus & donis (quorum in te magna facultas eſt) auxiſſes & ornaſſes: ea fortaſſe tribuiſſes, quæ priuatim mihi magis cõmoda, quàm ad cõmunem laudem, & vtilitatem publicam inſignia viderentur. Verùm cùm honeſtæ profeſsionis (in qua multos annos verſatus eſſem) ereptam libertatem mihi reſtituis: præteriti temporis fructum & ſolatiũ mihi reſtituis: & interclusam viã ſimul aperis, qua perſequendis inſtitutæ vitæ rationibus talentum (quantulumcunque nobis à Deo creditum eſt) exercere tractando, cõmunicare docendo, amplificare quærendo, Deo denique ipſi ac proximo (quorum cauſſa nati, & in hanc lucem æditi ſumus) meditata vitæ ſtudia atque officia liberè præſtare valeamus. Quamobrem iam licet muſarum omnes & fontes & montes

excitemus, nunquam tamen à me non modò referri, ſed ne cogitari quidem gratia par vlla poterit. Vt animi tamen nec ingrati, nec immemoris & gratia & memoria tibi perſpecta ſit & cognita, eniti certè atque contendere nunquam deſinemus. Itaque dialectici huius operis (in cuius abſolutione te domino, atque adeò velut architecto iam non ſtudioſe ſolùm, ſed liberè incumbimus) πρότεραι paulò antè Inſtitutiones tibi obtulerunt: ἀντιπαρόδοιν Animaduerſiones offerunt. Illæ te Cardinalem deſignatum ſalutarunt, & gratiis agendis tanquam bonis ominibus, in Italiam properãtem proſecutæ ſunt: hæ nunc itineris non ſolùm proſperè & ſalutariter, ſed etiã honorificè & glorioſe confecti lætitiam quoque ſuam tibi declarant. Antea te regibus tam gratum atque charum Franci omnes admirabamur: nec in te poterat non regiæ cuiuſdam indolis imago ſimilitudóque iudicari: nunc verò ſummis pontificibus tam gratè, támque magnificè acceptum non minus Itali mirantur. Habet hoc nimirum virtus, vt ſpecies eius ac pulchritudo non ſolùm notos ac familiares, ſed vel antea nunquam viſos amore ſui capiat & delectet. Accedit ad immenſam gloriæ tuæ perpetuámque memoriam Rhemenſis academia per te recenti beneficio conſtituta. Quãdiu enim vllus in ea literarum amor atque honor erit, tandiu te cõditorem ac parentem omni charitate atque laude celebrabit. Hanc igitur gratulationem optimo ac tibi deditiſſimo animo poſteriores hæ vigiliæ tibi pronuntiant. Quas (vt voluntatis conſiliíque noſtri cum gratiis etiam rationem

Quomodo conſentiãt Animadverſiones cũ Ariſtoteleis logicis.

coniungam) non ſolùm tibi cui nuncupantur, ſed vel Ariſtoteleis ipſis aduerſus quos ſcribũtur, gratiſſimas fore confido. Nam quod Ariſtotelei terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis logicam putant comprehẽdi oportere: hoc nos illis aſſentimur, vt earum rerum vtilitas in dialectica teneatur. Quod magnam iuuentutis exercitationem in logicis deſiderant: hoc nos cum illis communi ſtudio tuemur, vt ex omnibus artibus hæc vna præcipuè teneatur & excolatur. Quod veteres academiæ leges de certis & temporibus ſtudiorũ & probationum publicis exemplis arctè retinendas exiſtimant, hoc nos vnicè propoſitũ & ſingulariter habemus. Quinetiam modis omnibus contẽdimus, vt & ad augendos iuuenilis induſtriæ fructus, & ad minuendas longi temporis moleſtias, docendæ & exercendæ in philoſophia iuuentutis, compendiaria quadam via ex veterum & philoſophorum & oratorum inſtitutis, ex regum & põtificum (à quibus fundata academia Pariſienſis eſt) legibus reuocetur: vt denique dialectica ex vſu naturalis & humanæ rationis tota deſcribatur, deſcriptáque explicandis poetis, oratoribus exponendis, examinandis philoſophorum omniũmque hominum ſententiis, ſcribendo de rebus omnibus & dicẽdo, omni denique fructu humanitatis exquirẽdo tractetur & exerceatur. Quod tamen inſtitutum, quãuis tam ſyncerum atque ſanctum, nũquam tamen optabo vt Ariſtoteleis tam certum, támque firmũ ſit, vt melius inueniri poſſe nihil exiſtiment. Imò verò hanc vnam veniam depre-

cabor, vt illis quicquid his Animaduerſionibus tam ſtudioſe, támque vehementer aſſeueratur, Petri Rami, id eſt, vnius è multis homunculi arbitrium, non Pythij cuiuſdam Apollinis oraculum eſſe videatur: déque eo nihil potius approbent, quàm omnibus & argumentorum & concluſionum ponderibus examinent. Hoc inquam ab Ariſtoteleis deprecor & obſecro, vt de dialectica dialecticè mecum agant: nec tam Ariſtotelicis mecum ſophiſmatis contendant, quàm adhuc contenderunt. Nam ſi grãmaticus cum grammatico diſputaret, ex grammatica præceptis & probatis exemplis, orationis elegantiam probaret: nullam ſuam authoritatem interponeret: non ſummum ſenatum, nõ ampliſſimum principatũ ad coarguendum barbariſmum aut ſolœciſmum imploraret: Sic Ariſtotelei ad dialecticam diſputationem dialecticis, vt decet, inſtrumẽtis ſeſe cõmuniant: & ad id quod optimum ſentient, defendendum, cauſſas rerum & firmiſſima quæque argumẽta, dialecticam & verè iudicandi & ſine confuſione diſſerendi regulam ex ſyllogiſmi methodíque legibus adhibeant. Remoueant Ariſtoteleas authoritates inter nos controuerſas: præſertim cùm Ariſtoteles ipſe doceat ſophiſma eſſe, cùm quod in controuerſia eſt, pro argumento ſumitur. Remoueant publicas poteſtates: neque enim hîc de republica, ſed de dialectica ſtatu agitur. Deſinant minas iactare, pericula intentare, formidines obiectare, cæteráque eiuſmodi (quibus propè nos obruerunt) philoſophiæ ſtudiis indigniſſima ſophiſmata cogitare deſinant. Exemplo patientiæ noſtræ tandem ali-

Poſtulatur ab Ariſtoteleis in diſputãdo æquitas & libertas philoſophica.

quando moueantur: qui tanta æquitate animi tot indignitates pertulimus, quanta ipſi iniquitate machinati ſunt: quique hoc vnum vltionis genus perpetuum iurauimus, vt non modò nullas tot fraudum atque calumniarum pœnas optemus, ſed ne earum quidem authores vlla ſcriptorum noſtrorum litera dignos exiſtimemus. Patientia enim & conſtãtia ad honeſtè vincendum, non ſtultorum & ignorantium pœna & infamia mihi opus eſſe duxi. Neque enim adhuc aduerſatus eſt hîc nobis quiſquam, qui vel pictã veræ dialecticæ vmbram poſſet agnoſcere. Hanc igitur veniã ſi nobis Ariſtotelei dederint, vt dialecticã dialectico liberæ & philoſophicæ diſputationis iudicio diſceptandam & conſtituendam arbitremur, ô me fortunatum! ô me fœlicem!

—neque enim leuia aut ludicra petuntur Præmia.

Sed de arte omnium (meo quidem iudicio) præſtantiſsima certatur, vt vis humanæ mentis, id eſt boni bonorum (quæ à Deo hominibus donari vnquam potuerunt) maximi, vt vis, inquam, tam diuini boni pro ſua natura ac dignitate doceatur & exerceatur.

Ecquis fuit alter
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem? Ait obſtupeſcens paſtor ille Virgilianus.
At ego multò iuſtius,

Ecquis fuit alter
qui non totum terræ cælíue orbem, cuius centrum certo puncto comprehenditur, extremum finito ſpatio concluditur: ſed tantum potius mentis orbem, cuius me-

dius locus immenſa cogitandi inueniendíque ſolertia dilatatur : ambitus infinita iudicandi, collocandíque prudentia propagatur.

Ecquis (inquam) fuit alter
Deſcripſit radio tantum qui gentibus orbem?

Neque tamen vereor, quanuis ea res tanta ſit, quin obſcuriſsimis tenebris clariſsimam lucem, miſerando abuſui præſtantem vſum & admirabilem præponendum eſſe, vel Ariſtoteleis ſic affectis perſuadeam. Atque, vt ſpero, Ariſtotelei rem tam facilem, tam iuſtam, tam laudabilem vel vltrò largientur : ac nos æquitate iſta vincere potius optabunt. Quamobrem, Mecœnas, beneficij tui fructus tibi dicatos agnoſce, ac reliquam dialecticæ diſputationis ἀνταπόδοσιν Inſtitutionum προτάσει velut annexam accipe. In qua ſi rudius aliquid & impolitius erit, mirari nihil debebis. Nam cùm mens in erudienda iuuentute quotidianis, vel potius aſsiduis prælectionibus occupetur, quid in his ſucciſiuis neceſſariarũ occupationum quaſi furtis perfectum requiras? Hanc verò philoſophiam & mathematica Arithmeticæ & Geometriæ initia (in quibus noſtra ratione atque via collocãdis operam nauare cœperam) Deo optimo maximo duce atque authore perpoliemus, ſimul atque otij fructu paulo liberiore abundare cœperimus.

PETRI RAMI
VEROMANDVI
Animaduerſionum Ariſtotelicarum Liber primus.

De primis Dialecticæ principiis.

DE Dialectica virtute & veritate in Dialecticis inſtitutionibus diximus: de Dialecticorũ contrariis opinionibus nunc eſt dicẽdum: de quibus qui verè æſtimare cupiet, lucem & veritatem perceperit antè, neceſſe eſt. De dialecticis igitur à Dialectica luce profecti dicamus. Duo verò ſunt hominum genera, qui ſe ad Dialecticæ ſtudium cõtulerunt: alteri vnicam veritatem, omni authoritate poſthabita, laborioſe & diligenter inueſtigarunt, & quantulancunque inuenerunt, vtiliter exercuerunt: alteri vnicam authoritatem, pro omni veritate ſequuti maioris inueſtigationis laborem fugerunt, & propoſitam neglexerunt ex-

Dialecticorum genera duo.

ercitationis vtilitatem. Atque de maiorum illorũ diligẽtia, ſic ex Platonis teſtimonio primùm didicimus, Prometheum antiquiſſimum philoſophum, quædam circa Dialecticam de definiendo, diuidendo in partes, de rerum ordine conſtituẽdo principia mouiſſe, breuibúſque monitis mirabiles ſapientiæ fontes aperuiſſe: vnde Vulcani Mineruæq́ artificioſam pariter cũ igne ſapientiá, de cælo clepſiſſe dictus eſt. Zenoni tamẽ Eleati (fortaſſe quòd illa veterum monita primus in ſcholam, aut in quandam ſpeciem artis deduxit, atque in his adoleſcentes exercuit) inuentionis huius laudem quidam attribuere: & certè Zeno Socrati quædã huius artis præcepta tradidit. Hippocrates Zenonis ferè æqualis, vel eius ſuccreſcens ætati, hæc vſu maiore confirmauit, aliáque de argumentorum generibus & modis, paucis literis addidit. Plato cuius ore loquitur Socrates, veterum inuenta mirificè amplexatus diligenter exercuit: docuit etiam ſapienter, & copioſe auxit: nec vllum ferè genus eſt argumẽti, de quo non aliquid præceperit, tantiq́ hanc vnã artem fecit, vt omnium artium reginam, deámque faceret, perpetuóque nouis eam laudibus afficeret. Hactenus veritas dialectica, quæcunque inuenta erat, veritatíſque vtilitas ſimplex, & nuda fuit: deinceps verò turbari & corrumpi cœpit. Platonem enim ſequutus Ariſtoteles, quanquam viuus antiquum inueſtigandæ veritatis morem retinuit, & ſyllogiſmorum ſimplicium artem (vt de ſe ipſe teſtis eſt) reperit, & vtilitatem propoſita in vtranque partem perpetuæ diſputationis exerci-

Dialectici veteres liberi.

Dialectici Ariſtotelei

tatione, vberiorem reddidit: tamen ambitione & vano ſuperiores vincēdi ſtudio, ſuis ſcriptis & artem totam, & artis vtilitatem, & exercitationem magna ex parte conturbauit. Erat enim Dialectica res breuis omnino, & pauciorum propemodum verſiculorum (ſi præcepta perſequi more Ariſtotelis volueris) quàm numerus eſt librorum de Dialectica ab Ariſtotele conſcriptorum. Quid enim poteſt eſſe tam compendiarium, quàm genera & argumentorum, & cōcluſionum, & methodi ſine definitionibus, ſine exēplis (quales ſunt Ariſtotelis præceptiones ferè omnes; & inuentionis, & diſpoſitionis) nuda proponere? At dialectici Ariſtotelis libri plures quàm centum fuerunt: quorum (ſi tamen ſint Ariſtotelis) ſexdecim legūtur in quibus Ariſtoteles hanc artem mille tenebris inuoluit, & in eorum quibuſdam Dialecticæ artis vſum ad ſcholaſticas altercationes tranſtulit, quemadmodum ſuo loco in Topicis dicetur. Quod malum, repertis tamen & notatis coniunctorum ſyllogiſmorum modis, vehementer Peripatetici & Stoici auxerunt: vt incredibile dictu ſit, quàm ingentia, quámque infinita hac de re volumina edita ſint. Chryſippus enim (vt de cæteris taceā) ſupra trecentos libros dialecticos edidit: quorum tamen nihil ad noſtra tempora peruenit: tādem verò nō confuſione & multitudine librorū conturbata ſolùm diſciplina eſt, ſed (quod dialecticæ ſolum bonum reliquum erat) contempta rationis & orationis cōiunctione, ſpretáque veteris exercitationis (quæ mentis ac linguæ cōmunis erat) conſuetudine, Dialectica ad ſophi-

ſticam, & puerilem balbutiem tota traducta eſt: ac qui Dialectici ſunt appellati, magis de cõfuſa illa Dialectica, & eius vanis præceptis altercati ſunt, quàm Dialecticæ artis auxilio cæteris de rebus ſeriò ſunt philoſophati. Sic cùm ab Ariſtotele primùm, tum multò magis deinceps ab Alexandro, Themiſtio, cæteríſque recentioribus Græcis præſertim, deinde etiam Latinis, Ariſtotelis ſectatoribus tota vis Dialecticæ deprauata eſt: vt non ad vllum humanæ prudentiæ fructum, ſed ad clamorem altercationis ſophiſticæ ineptiſſimum referretur. Quamobrem ad illam veterẽ Promethei, Zenonis, Hippocratis, Socratis, Platonis conſuetudinem reuertamur: & de Ariſtotelis, Ariſtoteleorúmque non ſolùm libris (in quibus vulgò exiſtimatur hæc doctrina perfecta atque abſoluta eſſe) ſed etiam diligentia & exercitatione ſtudioſè & accuratè quæramus: atque ea quidem æquitate quæramus, vt Ariſtoteli, & Ariſtoteleis neque debitam laudem detrahamus, neque falſam affingamus: ſed ſiqua ab eis Dialecticæ propria veráque præcepta tradita fuerint, libenter approbemus: ſiqua aliena & falſa ſint, non diſſimulanter annotemus: exercitationis vſum omnibus locis requiramus. Quod vt rectè atque ex ordine perſequamur, Deum optimum maximum ducem, authorémque propitium cogitatis, conſiliíſq; noſtris precemur: diuina enim ope multò magis res honeſtæ atque laudabiles, quàm ratione conſilióque hominum reguntur. Abs te igitur

- ô qui res hominúmque, deúmque

AEternis regis imperiis, & fulmine terres,

pacem ac veniam peto: precórque, vt nos in hac contentione à recto & vero aberrare non ſinas: ſed lumen huius tantæ diſciplinæ proprium & naturale decus, ad laudem immēſæ bonitatis & magnitudinis tuæ (qui optimus & maximus vt es, ſic meritò appellaris) deditis tibi mentibus atque animis oſtendas. Nunc quoniam debita inſtituto noſtro vota fecimus, Ariſtoteleos ad audiendā animaduerſionis Ariſtotelicæ cauſſam excitemus.

Quæſtio ſumma Animaduerſionum de arte, & de artis vſu.

Dico igitur, vt ſumma diſputationis vniuerſæ quæſtio clara perſpicuáque ponatur, Dialecticam ab Ariſtotele & Ariſtoteleis non legitimè inſtitui: idque duobus ſummis argumentis confirmo, & quòd multa dialecticæ artis non neceſſaria præcepta libris illis conturbentur, & quòd multa neceſſaria prætermittantur. Multa inquam dico deeſſe, multò etiā plura redundare. Vſum verò dialecticæ artis totum ad ſcholaſticas & ſophiſticas altercationes eſſe traductum, duáſque res omnino ab Ariſtotele & Ariſtoteleis in hoc tanquam repetūdarum iudicio nobis ereptas eſſe queror, artem dialecticam, & dialecticæ artis vſum. Has igitur repeto: & humanitati (cui detractæ ſunt) reddendas & reſtituēdas legitima aſſertione & vindicta contendo. Quod quamobrem tantopere aſſeueremus, firma conſtantíque ratione diſputandum eſt & conuincendum. Rem itaque à principio deducamus ſic ad extremum, vt definitiones, diſtributiones, præceptionum denique omnium rationes expendamus, id eſt, ex cauſſis primis, neceſſariis, propriis

rem demõſtremus: Ariſtoteleis etiam defenſiones ſuas, quæcũque cõtra nos cogitari poßint, præbeamus: quinetiam ſcholaſticis verbis quoad fieri poterit, vtamur: vt facilius intelligant, quæ contra ſuos errores à nobis dicentur. Sic enim facillimè percipietur, & quid ab illis prætermiſſum erit, & quid quaque ratione ſit confuſum. Primus liber nobis erit de primis Dialecticæ principiis: reliqui ferè ſingulares Ariſtoteleæ Logicæ libris reſpondebunt. Quid eſt igitur (vt à capite ordiamur) Dialectica? Potuit definiri, ac debuit vis ac facultas diſſerendi. Quomodo Ariſtoteles explicat? quomodo Ariſtotelei definiunt? hoc primum eſt in artis deſcriptione, Logicæ Ariſtoteleæ vitium, quòd primam artis eius (quam profitetur) definitionem non habet. Lege omnes libros, reuolue paginas terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, analyticorum, topicorum, elenchorum, quibus Ariſtotelei noſtri (quibuſcum mihi certamen eſt) perfectam diſſerendi doctrinam contineri arbitrantur: reuolue inquam tot librorum paginas, nullam Logicæ generalem & vniuerſam definitionem reperies: hoc in deſcriptione artis primum eſt è prætermiſsis vitium. Quid verò? Dialecticæ partes quot ſunt? Tres proponi ab Ariſtotele debuerant, natura, ars, & exercitatio: quæ quantæ in homine fuerint, tanta Dialecticæ laus eſt futura: perfecta, atque abſoluta, ſiquando perfectæ coniungantur: mediocris, ſi mediocres: exigua tenuíſque, ſi rudes & inchoatæ. Verùm natura non tantummodo pars eſt huius virtutis abſoluenda, ſed ſubiecta pro-

Definitio dialecticæ non eſt in logicis Ariſtotelis.

Partitio dialecticæ nõ eſt in logicis Ariſtotelis.

Naturalis dialectica.

Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
pacem ac veniam peto: precórque, vt nos in hac contentione à recto & vero aberrare non ſinas: ſed lumen huius tantæ diſciplinæ proprium & naturale decus, ad laudem immẽſæ bonitatis & magnitudinis tuæ (qui optimus & maximus vt es, ſic meritò appellaris) deditis tibi mentibus atque animis oſtendas. Nunc quoniam debita inſtituto noſtro vota fecimus, Ariſtoteleos ad audiendã animaduerſionis Ariſtotelicæ cauſſam excitemus. Dico igitur, vt ſumma diſputationis vniuerſæ quæſtio clara perſpicuáque ponatur, Dialecticam ab Ariſtotele & Ariſtoteleis non legitimè inſtitui: idque duobus ſummis argumentis confirmo, & quòd multa dialecticæ artis non neceſſaria præcepta libris illis conturbentur, & quòd multa neceſſaria prætermittantur. Multa inquam dico deeſſe, multò etiã plura redundare. Vſum verò dialecticæ artis totum ad ſcholaſticas & ſophiſticas altercationes eſſe traductum, duáſque res omnino ab Ariſtotele & Ariſtoteleis in hoc tanquam repetũdarum iudicio nobis ereptas eſſe queror, artem dialecticam, & dialecticæ artis vſum. Has igitur repeto: & humanitati (cui detractæ ſunt) reddendas & reſtituẽdas legitima aſſertione & vindicta contendo. Quod quamobrem tantopere aſſeueremus, firma conſtantíque ratione diſputandum eſt & conuincendum. Rem itaque à principio deducamus ſic ad extremum, vt definitiones, diſtributiones, præceptionum denique omniũm rationes expendamus, id eſt, ex cauſſis primis, neceſſariis, propriis

Quæſtio ſumma Animaduerſionum de arte, & de artis vſu.

rem demōſtremus: Ariſtoteleis etiam defenſiones ſuas, quacūque cōtra nos cogitari poſſint, prabeamus: quinetiam ſcholaſticis verbis quoad fieri poterit, vtamur: vt facilius intelligant, quæ contra ſuos errores à nobis dicentur. Sic enim facillimè percipietur, & quid ab illis prætermiſſum erit, & quid quaque ratione ſit confuſum. Primus liber nobis erit de primis Dialecticæ principiis: reliqui ferè ſingulares Ariſtoteleæ Logicæ libris reſpondebunt. Quid eſt igitur (vt à capite ordiamur) Dialectica? Potuit definiri, ac debuit vis ac facultas diſſerendi. Quomodo Ariſtoteles explicat? quomodo Ariſtotelei definiunt? hoc primum eſt in artis deſcriptione, Logicæ Ariſtoteleæ vitium, quòd primam artis eius (quam profitetur) definitionem non habet. Lege omnes libros, reuolue paginas terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, analyticorum, topicorum, elenchorum, quibus Ariſtotelei noſtri (quibuſcum mihi certamen eſt) perfectam diſſerendi doctrinam contineri arbitrantur: reuolue inquam tot librorum paginas, nullam Logicæ generalem & vniuerſam definitionem reperies: hoc in deſcriptione artis primum eſt è prætermiſſis vitium. Quid verò? Dialecticæ partes quot ſunt? Tres proponi ab Ariſtotele debuerant, natura, ars, & exercitatio: quæ quantæ in homine fuerint, tanta Dialecticæ laus eſt futura: perfecta, atque abſoluta, ſiquando perfectæ coniungantur: mediocris, ſi mediocres:, exigua tenuiſque, ſi rudes & inchoatæ. Verùm natura non tantummodo pars eſt huius virtutis abſoluendæ, ſed ſubiecta pro-

Definitio dialecticæ non eſt in logicis Ariſtotelis.

Partitio dialecticæ nō eſt in logicis Ariſtotelis.

Naturalis dialectica.

priè materies eſt, quam ars ad explicandum & præceptis ſuis informandum proponere ſibi debeat. Itaque definienda dialecticis inſtitutionibus hac arte nihil niſi naturam definimus: nec aliud inter naturam & artem intereſt, quàm inter exemplar verum, & imitatam imaginem. Natura ipſa vis eſt agendi: ars conſilium: conſilium inquam, vt præſtantia diſciplinæ inde metienda ſit, & æſtimāda, ſi quàm rectiſſimè agendi conſilium ab arte tradatur. Ars enim dia-

Dialectica artificioſa naturalem imitatur.

lectica debet ab imitatione & obſeruatione naturalis vſus proficiſci: quemadmodum omnes artes imaginem aliquam effingere conantur, cuius veritas, in re ſubiecta, ſolida atque expreſſa appareat. Phiſici præceptionum ſuarum monitis ideam quandam proponunt: quæ reuera in elementis, plantis, arboribus, animalibus, cæteríſque naturalibus rebus cernatur. Mathematici ſpecies intuendas animis ſubiiciunt: quarū vis in quantitate perſpicitur. Morales philoſophi virtutes, virtutibusq́ oppoſitas vitioſitates decretis & monitis ſuis exequūtur: quarum actio in hominum vita cognoſcitur. Grāmatica præceptiones tradit: quarum vſus in ſermonis puritate verſatur: omniúmq́ artium veritas atque vſus prius extitit, q̃ vlla præcepta cogitarentur: nec quicquam in artis vllius accurata deſcriptione ſitum collocatúmque eſſe debet: cuius imitatio non è rei ipſius natura, vſu, veritate deduci deriuariq́ debeat. Dialectica itaque (quæ non modò ars eſſe, ſed artium regina deáque vult) deteriore cæteris cōditione non erit: vt cæteræ demonſtrent artes, quarū rerum

tanquam tabulæ ſint & imagines: Dialectica vel obmuteſcat, vel inanium viſorum ſomnia ſe dicat interpretari: Imò verò authoritatem præclarã & magnificam habebit: & quemadmodum Apelles, ſi fortè Alexandri imaginem à ſe rectè pictam probare vellet, corporis ſimulachrum ſpecie, ſtatura, genere ipſo penitus expreſſum, redditúmque eſſe contenderet: ita ars dialectica diligẽter expoſita naturalis rationis (cuius obſeruatio eſt) ſimilitudinem ſe referre, propriis, germaníſque coloribus exprimere, vim vniuerſam complecti, membra partéſque legitimis locis partiri, habitum denique totum imitari prædicabit. Qui igitur ſcribere artem diſſerẽdi cogitabit: proponere ſibi debebit in excellentibus ingeniis naturalem illam vim diſſerendi, & conſiderare quid ſit, quot actiones eius ſint, & quot actionum earũ ſpecies, atque præceptis conuenientibus includere: nec vnquã ab illo ſibi ad imitandum propoſito exemplo diſcedere: ita qui naturales illas ingenij vires obſeruauerit, atque animaduerterit, hac animaduerſione ſeipſum in diſſerendo conformabit, quanuis magiſtrum nullum vnquam audiuerit, nullas literas omnino nouerit, artem tamen ſibi faciet: ne fortè mireris pleroſque ſine præceptis artiũ facilè præſtare quæ ipſis doctoribus ac magiſtris aſſequi difficile eſt. Naturales enim illas animi dotes aut in ſe, aut in aliis peruiderunt, quod artis eſt. longa & aßiduæ conſuetudinis, multorum & variorum exemplorum, diuturnæ experiẽtiæ, quotidiani vſus diligẽtia (quod eſt exercitationis) confirmarunt. Conſtet igitur illud,

Quidã ſine magiſtris ſummi dialectici eſſe poſſunt.

b.i.

naturam, id eſt, vim rationis, mentibus noſtris à natura inſitam (per quam ſine decretis magiſtrorum diſputamus & ratiocinamur) non modò eſſe dialecticæ perficiendæ, atque abſoluendæ partem primã: ſed eam eſſe partem (cùm vſu confirmata ſit) quam ſecunda imitari debeat. Quid igitur Ariſtoteles? quid Ariſtotelei de his partibus præcipiũt? Ariſtoteles atque Ariſtotelei omnes de hac principe, & reliquas omnes complectente partitione, nullum verbum in tot libris faciunt. Fons Ariſtotelei erroris. *Hîc omnis erroris initium Ariſtoteli & Ariſtoteleis fuit, quòd nullam certam materiam huic arti ſubiectã intellexerint, quam præceptis explicarent: nullam ſibi in arte deſcribēda naturæ, id eſt (vt ſæpe iam loquor) naturalis rationis & popularis atque humani vſus imitationem proponunt. Atque hoc in deſcriptione artis è prætermiſſis rebus ſecundum eſt peccatum: magnũ ſanè & graue in hominibus præſertim, qui ſe philoſophos eſſe profitētur, nullum doctrinæ ſuæ fundamentũ habere. Non definiunt Ariſtotelei Dialecticam, non partiuntur. Verumenimuero pergamus, & arte percenſenda naturalis rationis, naturalíſque vſus vires perſequamur. Ars dialectica eſt doctrina* Definitio artis dialecticæ non eſt in logicís Ariſtoteleis. *differendi: ſic enim decet generali definitione complecti: vt tam latè pateat artificioſa Dialectica, quàm naturalis: & imago reſpondeat exemplari. Ratio verò (quæ exemplar eſt huius diſciplinæ) ſiue rerum meditatione & inuētione, ſiue ad explicandũ collocatione, in omnibus rebus vſum illũ generalem ac vniuerſum habet. Quid Ariſtoteles? Quid Ariſtotelei? quomo-*

do definiunt hanc artem in tam magna librorū confuſione? Non dico Ariſtotelem, aut Ariſtoteleos obſcuro & alieno loco dialecticam definire, quæ principio definienda erat: ſed eos dico nullo loco quid eſſet Dialectica docuiſſe. Atque errorem grauiorem hîc arguo, & Ariſtotelis, qui in libris logicis cùm ſyllogiſmum dialecticum partem diſciplinæ huius faciat, id videatur ſentire: & Ariſtoteleorum, qui diſtinctionibus vocabulorum (quāuis idem ſignificantium) rem tamen vnam & eandem tanquam diuerſam diſcerpunt. Totam enim tot librorum confuſionem, Logicam nominant: partem autem eius de probabilibus, Dialecticam. Quæ tam fatua diſtinctio ab hominibus non modò rerum, ſed etiam verborum ignaris inuenta eſt. Diſſerendi facultas tametſi generalis & vniuerſa, vna tamen eſt arte comprehenſa: vocabula Dialecticæ & Logicæ idem ſignificant, ac pro eodem & Græci exceptis Ariſtoteleis, & quidem duntaxat, cùm iſta ſomniant, & Latini vſurpant. Quare non tantum confundunt Ariſtotelei: ſed etiam falſa præcipiunt, qui inuita rei natura, & vi ſignificationum atque vſu repugnante, diſſipant & rem ſimplicem, & rei ſimplicia nomina. Verùm non definit Ariſtoteles Dialecticā in vniuerſum, non diſtribuit, non definit denique artem, Ariſtotelei fatentur: at inquient hæc facilè intelligi poſſe. Video inquam, poſſe, neque deſpero, quin aliquādo intelligantur. Sed obſecro te Ariſtotelee, qui iſta defendis, ſi pictorem aliquem ad te pingendum certo pretio conduxiſſes, iſque tui corporis imaginem truncam &

Logicę vocabulū ab Ariſtoteleis imperitè diuiſū.

Defenſio Ariſtoteleorum ridicula.

ſine capite, ſine principibus membris tibi pinxiſſet: cùm portentoſam illam picturam proponeret, quanuis meminiſſes te caput & humeros habere, num tibi ſtomachum faceret? cachinnum excitaret? id credo non negabis. Cur hanc igitur animi tui (quæ tanto tibi tot ſtudiorum, laborúmque pretio paratur) imaginem prima ſummáque ſui parte carentem probabis? Non ſunt, non ſunt inquam, ô Ariſtotelei, artes idcirco inuentæ ac laudatæ, quia prætermitterent, quod intelligi poſſet: nihil eſt enim artibus comprehenſum, quod ſine artibus intelligi non poßit: ſingulæ enim res antè cognitæ ſunt, quàm vniuerſæ præceptis concluderentur: ſed laudantur artes, quòd tam facilè explicent res omnes ſibi ſubiectas, vt facillimè & certißimè ex earum præceptis intelligi poßint. Itaque hîc Ariſtotelem & Ariſtoteleos reprehendo, & quòd neceſſariã artĩs Dialecticæ definitionẽ prætermittũt, & quòd eius nomen ſic diſcerpunt.

De quæſtione.

Q*Vid ſequitur? Dialectica diſputat de omni re propoſita, quæ modò quæſtio dicitur: de ea cùm iudicare volumus, partes diſtinguuntur duæ, vt ſyllogiſmus efficiatur, vna antecedens, conſequens altera: minor illa, maior hæc dicatur. De quæſtione ad vſum artis huius nihil præterea præcipiendũ eſt. Hoc dialectici ſubiectum eſt, vt in noſtris inſtitutionibus docuimus: hæc ei materies proponitur ad*

Dialectici materia.

diſſerendum. Quid hîc Ariſtoteles? quomodo definit quæſtionem? quem vſum eius oſtendit? Ariſtoteles non definit: & hoc ad ſuperiorem reprehenſionem aggrego, quòd neceſſaria præcepta omiſerit: atque hæc pauca, quæ de partibus quæſtionis & vſu diximus, approbat: & ſeipſum idcirco damnat, quia tam variè ea confundit. Primo enim analytico Ariſtotelea doctrina eſt, ſyllogiſmi concluſionem duobus extremis conſtare, vnde medium ſumitur: oratio verò nulla concluditur, quæ non prius quæſtio fuerit. Itaque cùm ſit eadem res, quæ antea quæritur, & poſtea concluditur, Ariſtoteles licet nihil finiat, tamen re ipſa nobiſcum idem ſentit, licet hîc mentionem quæſtionis nullam nominatim faciat. Ait enim duo eſſe extrema, vnde medium & argumentum ſumitur. Verùm in hac ſententia non perſiſtit: ſed eam (vt dixi) cõfundit: ſingulos locos in ſuis libris (vbi tractantur ab Ariſtotele) diligentius diſputabo: nunc dicam, quod ſatis ad hunc locum eſſe poſſit. Ariſtoteles in analyticis diuidit quæſtionem in quatuor genera, & docet hiſce modis omnia quæri, an eſt, quid eſt, quia eſt, propter quid eſt. Idem tamẽ in topicis quatuor ab iis diuerſa cõminiſcitur problematum genera: de accidente, genere, proprio, definitione: de qua partitione vtraque nunc in vniuerſum dicam: ſpecialiter verò & propriè ſuis in locis. Ergo videamus cuiuſmodi partitiones iſtæ ſunt: quàm vtiles: eas enim ſcio Ariſtoteleis *mirum in modum dialecticas, id eſt, veras ac conſtantes videri. Sed attendant atque animaduertãt quamobrem hæc inuiolata*

Quæſtionis definitio non eſt in logicis Ariſtotelis: vſus autem eius ĩ illis confunditur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quæſtionis diſtributio ĩ dialectica inutilis.

adhuc decreta demum à nobis tam acriter oppugnentur. Diſtributio quæſtionum, ô Ariſtotelei, inutiliter in Dialectica deſcribitur: idq́ neceſſariis rationibus addico. Quo modo? dicent Ariſtotolei, Attendite, inquam, & vt libentius credatis, ad Ariſtotelis ſapientiam animum conuertite. Quæ eſt Ariſtoteli ſumma atque abſoluta ad ſcientiam concluſio? ἀπόδειξις & demonſtratio: vnde verò demonſtratio Ariſtotelis iudicio ſumitur? nónne ex cauſsis primis, neceſſariis, propriis? Cauſſam igitur primam, neceſſariam, propriam exquiramus, quamobrem partiatur Ariſtoteles in dialectica, genera quæſtionum. Quænam eſt iſta cauſſa, Ariſtotelei, quamobrem quæſtiones in hac arte diuidantur? quis finis, cuius gratia hæc diuiſio fiat? hanc inueſtigemus: vt ſi legitima vlla ſit, diuiſionem quæſtionum probemus: ſin verò nulla ſit, omnino diuiſio quæſtionum tollatur. Atque id paulò altius repetamus. Quamobrem igitur in iis rebus, quæ artifici proponuntur ad agendum, & artem ſuam exercendum diuiſio adhibetur? an non quia vno communi artis ſuæ inſtrumento res ſibi propoſitas artifex ipſe expedire non poteſt? vt Catoni & Catonis ſimili cuiuis homini diuiſa ſunt in foro, in bello, in agro officia: quia nullo communis artis inſtrumento, tot res, tamq́ diuerſas obire & exequi poteſt: at ſiquis poſſit, diuiſione ſubiecti nihil ei opus eſt: vt in Grãmatica, quanuis ipſa in ſuas partes & partiũ particulas neceſſariò diuidatur: tamen non fit diuiſio rerum, quæ ſunt grãmaticæ præceptis explicandæ, neque grammatica deſi-

nitur ars rectè loquendi de iis vel illis rebus: ſed ars rectè loquendi. Tum ſi quaeras de quibus? meritò te grammaticus irrideat, & te interroget, quibus de rebus homines loquantur, aut loqui poßint. Grammatica, inquam, non definitur doctrina bene loquendi de iis vel illis rebus: quia grammaticus communibus grammaticae praeceptis quicquid ſermone exprimi poteſt, rectè exprimet: nullũ rerum genus eſt, in quo proprio ſermone exprimendo non vtatur grãmaticus etymologia, ſyntaxi, & (ſi voce id fiat) proſodia: ſi manu, ortographia. Itaque nullus adhuc grammaticus res ſibi ſubiectas diuiſit, & ſiquis id attentaret, ferendus ſanè non eſſet. Arithmetica ſuas praeceptiones diuiſas habet, vt Geometria, non fit autẽ diuiſio rerũ Arithmetico aut Geometrae, per has artes explicandarum. Quid ita? quia ſubiectam his artificibus materiam, generaliter intelligi ſat eſt, & hos artifices in iis rebus verſari, quas numero, aut menſura explicari cõueniat. conſtet igitur fundamentum illud ἀποδείξεως noſtrae.

Artificis ſubiectum generaliter tantum ponẽdum eſt, non ſpecialiter partiendum, aut diſtinguendum, cùm artifex ipſe communi doctrinae ſuae inſtrumento poßit illud qualecunque & cuiuſcunque modi eſt, nihil interſit, explicare.

Tũ verò verius quàm in ſuperioribus artibus aſſumã.

At dialecticus iſte noſter artifex, communi dialecticae inſtrumento ſubiectum totum, id eſt, quaeſtionem omnem, quaecunque ſit, quacunque de re ſit, quancunque rem, aut quomodocunque quae-

ſierit, nihil intereſt, explicat, ediſſerit, enarrat, exponit, edocet:

Dialectica enim tota communis eſt, tota publica, tota generalis, tota vniuerſa: omnia inuentionis præcepta communia ſunt omnium quæſtionum: omnia præcepta diſpoſitionis in ſyllogiſmo, in methodo communia ſunt omnium quæſtionum: nulla enim quæſtio eſt, cuius non poſsint quæri & cauſſa, & facta, & ſubiecta, & adiuncta, & diſſentanea, & comparata, & nomina, & tributio, & finitio, & teſtimonia. Ergo omnis inuentio (quoniam iis argumētorum generibus continetur) omnium quæſtionum communis eſt. Nulla eſt quæſtio, quæ non poſsit omni genere concluſionis & ſyllogiſmi, quodāmodo, omni methodi ratione & via diſponi. Tota igitur diſpoſitio (quoniam ſyllogiſmo & methodo comprehenditur) omnium quæſtionum communis eſt: tota denique Dialectica, quoniam his duabus inuentionis & diſpoſitionis partibus (vt in noſtris inſtitutionibus docui, & poſtea conuincam) continetur. Tota inquam Dialectica omnium quæſtionū communis eſt. Videte igitur, Ariſtotelei, quid concludam.

Quamobrem non eſt dialectici artificis ſubiectam quæſtionem in Dialectica partiri.

Videtis quomodo concludam, & quidem quò facilius videatis, idem breuius iterum concludam.

Generalis & communis doctrina nullam quæſtionis ſibi ſubiectæ partitionem requirit.

Dialectica generalis & communis doctrina eſt.

Dialectica igitur nullam quæſtionis ſibi ſubiectæ partitionem requirit.

Conuincam verò vos & altera demonſtratione, qua non errorem ſolùm veſtrũ refutabo, vt antea: ſed contrariam falſitati Ariſtotelicæ veritatem confirmabo. Propoſui antea vſum popularem & naturalem eſſe, & originem, & cauſſam, & principium & finem dialecticæ diſciplinæ: hinc enim promenda, huc eſt referenda: contra vos igitur ſecundo loco hanc ἀπόδειξιν ſtatuam.

Vſus diſſerẽdi naturalis & verus ſpectat tantùm in quæſtione id, quod agitur, & eius partes intuetur.

Huc enim tota inuentio refertur, vt cernantur cauſſæ, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, tributio, definitio, teſtimonia: huc tota diſpoſitio accommodatur, vt rebus inuentis certa collocatio ad iudicandum, & apertius explicandum adhibeatur.

Dialectica verò naturalẽ & verũ diſſerendi vſum duntaxat ſequitur, & præceptis explicat ſuis.

Dialectica igitur de quæſtione tantùm id præcipit, eſſe quod agitur, & eius partes ſpectãdas eſſe.

Videtis, Ariſtotelei, quid contra vos concludam, quomodo contra vos concludam, quàm apertè, quàm populariter, quàm definitè & diſtinctè concludam. Facio tres enuntiationes, propoſitionem, aſſumptionem, complexionem: eas etiam tribus verſiculis, quo facilius animaduertatis, diuido. Argumenta mea ſunt artis huius cauſſa primæ, neceſſariæ, propriæ: concluſiones certa & ſtabili forma &, vt Ariſtotelicè loquar, figura & modo confecta. Quid igitur iam reſtat? an

non ſunt Ariſtotelei ſuperati & conuicti? Imò (qua pertinacia eſt hominum) vereor ne potius irritati: non enim ſolent Ariſtotelei ſyllogiſmis conſtantibus, non argumẽtis quanuis neceſſariis (ſiquid Ariſtoteli contradicitur) commoueri: putant in ſchola ſe eſſe: & ſe de theſi, déque poſitione (vt vocant) interrogari, atque vrgeri. Illic enim reſpondentibus Ariſtoteleis certum eſt quicquid contradicatur: aut negando audacter, aut captioſe diſtinguendo reiicere: aſſentiri contra Ariſtotelem, nunquam. Quod autem de vſu dialecticæ artis & vtilitate, de fructu, de fine diſputo, id illis eſt ignotũ: inſidias putant ſibi talibus argumẽtis fieri. Quid ergo? quid inficiari poſſunt in noſtris demonſtrationibus? quid eludere diſtinguendo? Ego verò pro Ariſtoteleis cõtra me ipſum (ſicut ſum pollicitus me Ariſtoteleis ſuas defenſiones præſtaturum) reſpondebo: & quidẽ ad priorem demonſtrationẽ, vel potius Ariſtoteleis contra me obiectionẽ ſuppeditabo. Quare dicat Ariſtoteleus aliquis demonſtrationis illius antecedentis noſtræ, etſi vera eſſet propoſitio, tamen aſſumptionem falſam videri, nec generalem & communem doctrinam, Dialecticam eſſe: idq́ Ariſtotelis teſtimonio confirmet, qui ait primi topici capite quinto communem omnium problematum & quæſtionum doctrinã inueniri nõ poſſe, et, ſi inueniatur, obſcuram & inſuauem fore: & idcirco quæſtionum genera diſtribuit Ariſtoteles, & ad ſingulas quæſtiones inuentionis certas artes aſſcribit. Nam ſyllogiſmos & eorum modos omnes, communes omnium quæſtionum credi-

Ariſtotelis falſa ratio de partiẽdis quæſtionibus.

dit, eóſque ſemel duntaxat propoſuit: Inuentionem verò propter inſtitutam quæſtionum partitionem, variè confudit, ſcripſit ſæpius ac reſcripſit. Et certè ſi partienda quæſtio fuit, ea ratio partiendi fuit, quam Ariſtoteles vidit. Non detraham Ariſtoteli veram laudem, quoties vllam ei tribuere potero. Vidit inquam, vidit vir ille tantus ſummam cauſſam, propter quam, ſi partiendum hîc genus vllum eſſet, eſſet partiendum: quòd exiſtimaret vnam communem inuentionem in argumentis, vt diſpoſitionem in ſyllogiſmis omnium quæſtionum inueniri non poſſe. Hîc itaque quoniam ſumma rei periclitatur, Ariſtoteleos attentos eſſe velim, vt de cauſſa infinitæ confuſionis (nã propter hanc quæſtionum confuſionem inuentionis etiam confuſio ſecuta eſt) verè queant æſtimare. Quo modo igitur Ariſtotelis hæc ratio & authoritas tãta ſuſtineri poterit? Non enim ſolùm contra nos ſententia eius eſt: ſed ſententiæ quoque permagna (vt videtur) ratio. Dicit igitur Ariſtoteles vnam communem omnium quæſtionum inuẽtionis artem reperiri non poſſe, & idcirco & quæſtionis & inuentionis artes variè diſtribuendas eſſe, & ad varias quæſtionis ſpecies, proprias inuentionis inſtitutiones accõmodandas. Dicit, inquam, hæc Ariſtoteles, & ſic ſentienti hæc dicenda ſunt. Verùm Ariſtoteles multa eiuſmodi dicit, quibus ingenium ſuum mirificè quale eſt, oſtendit: affirmat inueniri non poſſe communem inuẽtionis doctrinam, quæ quæſtiones omnes explicari queãt, idcirco varias quæſtiones variis inuentionibus explicandas eſſe. At com-

Inuẽtio cõmunis ante Ariſtotelẽ reperta.

munem illam inuentionis doctrinam inuentam ante natum Ariſtotelem fuiſſe dico. Plato enim & Hippocrates, qui ætate Ariſtotelem præceſſerunt, quóſque Ariſtoteles ipſe & legerat, & nouerat, de omnibus ferè generalibus illis inuentionis locis ſæpe admonent: quanuis in formã diſciplinæ non redigunt. Ergo ante natum Ariſtotelem hæc doctrina inuenta fuerat, & falſo docet Ariſtoteles, inueniri generalem artem, & omnium quæſtionum communem non poſſe. Ac ſi tanta eſt Ariſtotelis apud Ariſtoteleos authoritas, valeat ſanè ad Ariſtotelis errorem condemnandum. Nam ſi ipſe Ariſtoteles generalem Dialecticæ inuentionis doctrinam, & cõmunem omnium quæſtionum doceat, nónne Ariſtoteles Ariſtotelem conuincet & refutabit? At ille ipſe Ariſtoteles non ſolùm in Topicis (vbi illud negat) ſed in prædicamentis, in interpretatione, in capitibus de abundãtia propoſitionum & inuentione medij primo analytico, in analyticis poſterioribus nihil omnino dialecticũ præter generales & omnium quæſtionum communes locos argumentorum explicat: cauſſarum, effectorum, ſubiectorum, adiunctorum, diſſentaneorum, comparatorum, nominum, tributionis, definitionis, teſtimonij: nec verò alij poſſunt eſſe: præterea enim argumentum generale nullũ eſt, quod in inuẽtionis Ariſtotelicæ libris (ne quid hîc noſtra turbetur oratio) clariſſimè declarabo. Iam igitur huius quæſtionis acceſſionẽ ad duas de arte ſuperiores mihi facio, vt doceam in ſingulis libris inuẽtionis Ariſtoteleæ nõ ſolùm quàm multa con-

Inuẽtio cõmunis ab Ariſtotele tradita.

fundantur, & quàm multa prætermittãtur: ſed quòd omnino nihil dialecticæ inuẽtionis doceatur, quod non ſit omnis quæſtionis cõmune, nihil problematis Ariſto telei proprium. Ergo Ariſtoteles hanc generalem inuẽtionis doctrinam & tradit, & vſurpat. Age verò quid ſi etiam conſtiterit, generalem illam & communem inuẽtionis artem ab eodem Ariſtotele eſſe probatam & laudatam? nónne Ariſtoteles Ariſtotelem iterum condemnabit? At primo, tertio, ſeptimo, octauo Topicis libris communes locos vnicè commendat: quẽadmodum cõmodius atque amplius in topicis ipſis explicabo. Ergo Ariſtoteles communes locos argumentorum approbat & collaudat. Grauiter igitur Ariſtoteles in hac confundendæ & quæſtionis & inuentionis ratione lapſus eſt qui negat inueniri poſſe, & quod inuentum ante ſe natum eſſe ſciat, quod ipſe tot locis confundat, quod ipſe prædicet & laudet. Atque hinc Ariſtotelei dicere incipiant, quàm temerè admirentur Ariſtotelem: & authoritatem eius (qua ſola ſine ratione, ſine argumento, ſine probatione vlla ſe putant egregiè eſſe munitos) nobis obiicere deſinant, quæ Ariſtotelis errorem tam vehementer arguit. Ariſtotelis enim errorem Ariſtotelis teſtimonio & authoritate, id eſt, confeſſione conuincimus. Quod autem hanc inuẽtionis doctrinam ait Ariſtoteles obſcuram fore (ſi inuenta ſit) nihil adhuc tam molli, támque plumbeo pugioni grauius oppono: tantum moneo (quod in topicis clariſſimè demõſtrabo) Ariſtotelẽ hîc Ariſtotelicè loqui, & pro clariſſimo & ſuauiſ-

Inuẽtio cõmunis ab Ariſtotele laudata.

Cicero & Quintilianus Ariſtotelis errorem ſecuti

ſimo obſcurũ & inſuaue interpretari. At itidem Cicero & Quintilianus (nihil enim habent Ariſtotelei ad Ariſtotelem defendendum, quàm has authoritatum vmbras, rationem firmam nullam, nullũ ſyllogiſmum, nullum denique dialecticũ, quod redargui non poſsit, inſtrumentum) ſed Cicero & Quintilianus peculiares locos inuentionis ad diſtinctas quæſtiones accommodauere, dicat Ariſtoteleus. Quid tum? an quia Ariſtoteles non ipſe errauit ſolus: ſed & alios in errorem ſuum traxit, ſapientiorem eum factum putas? Ariſtoteles generalem inuentionis doctrinam (quam hic tamen negat inueniri poſſe) primus vt ipſe gloriatur, ad rhetoricam tranſtulit, & ad eas (quæ fuerant antea à Corace & Tyſia & primis rhetoribus tam variæ & multiplices inuẽtionis artes confuſæ, de generibus cauſſarum, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali: de partibus orationis, exordio, narratione, cõfirmatione, refutatione, peroratione) accumulauit. In quam confuſionẽ cùm ais Ciceronem & Quintilianum Ariſtotelis falſa doctrina ſeductos incidiſſe, an alieno errore Ariſtotelis ſapientiam probari putas? Ariſtoteleos in præfatione rogaui, vt dialecticè mecum vellent de dialectica diſputare, cæcas authoritates & nihil docentes omitterent. Dialectica doctrina eſt, non ſolũ inartificialis argumẽti, vt teſtimonium eſt: ſed multo magis artificioſi, vt cauſſæ, vt facta, vt reliqua (exceptis teſtimoniis) argumenta ſunt. Itaque Ariſtotelei, ſi vultis vos dialecticos exiſtimari: claris & firmis argumentis ſententiam veſtram demonſtrate:

mutis authoritatibus ne nos conſtringite. Quanquam Ciceroni in rhetoricis, vt nunc Ariſtoteli propoſitũ non fuerat, Dialecticam explicare, & ſenex cũ topica ſcriberet, illum errorem ſuum quodammodo deprehendit: intellexit enim locos inuentionis cõmunes eſſe omnium quæſtionum, vt ſi diutius vixiſſet, omnem illam græcanicarum ſectionum & ſubductionũ confuſionẽ correcturus & emendaturus fuerit. Sed tamẽ, vt dixi in diſputatione de Dialectica, dialecticum opponi mihi volo, qui rem definiat, argumento cõprobet, ratione conuincat: hoſtem mutum mihi citari nolo: qui me ſine probatione, ſine demonſtratione, ſine ſententiæ ſuæ confirmatione condemnet. Atque ipſe ſi quando teſtimoniis vterer, facerem magis modeſtiæ gratia, ne viderer graues & honeſtas ſpectatorum hominum ſententias mihi arroganter aſſumere, quàm vt in perſonis momentum magnum conſtituerem: niſi fortè cùm Ariſtotelis errores & tenebras Ariſtotelis authoritate coarguam: nullum enim valentius argumentum eſt, nec eſſe debet ad conuincendum reum, rei ipſius teſtimonio & confeſſione. Quamobrem vt tam longam diſputationẽ concludã, in Dialectica quæſtionum partitio quæcunque ſit, inutilis eſt. De partitionum (quas de quæſtionibus fecit Ariſtoteles) vanitate ſuo loco & ſuo libro dicam. Atque hîc etiã Ariſtotelem cõſtet in dialecticis neceſſaria prætermittere, vt quæſtionis definitionem: & inutilia temerè turbare, vt quæſtionum partitionem.

Ciceronis excuſatio.

De partibus artis, Inuentione & Diſpoſitione.

SEd de quæſtionis tenebris ſatis: ad partes artis veniamus: quas duas vſus nobis oſtendit, inuentionē & diſpoſitionē: poſita enim quæſtione rationes & argumēta ad eam diſceptandā quæruntur: quibus inuentis cum adhibita ad iudicandū vel intelligenter & perſpicuè explicandum diſpoſitio fuerit, tertia mentis actio nulla reliqua eſt. Inuentio autem iuſtiore ratione ac certiore prima pars appellatur, quàm ſecunda. Nam cùm omnia prioris partis (quæ de argumentis eſt) præcepta noueris, non inueniſti protinus, quod de quæſtione dici poßit: ſed præceptis illis tanquam conſiliis deſcripta habes rerū genera, quæ tibi inuenienda ſunt: vt ſi ad medicum accedas (quales ſunt noſtris temporibus plerique) hic morbi genere cognito remedia tibi definiet, quæ tu per te aut alium inuenias, & adhibeas neceſſe eſt: non inuenta ab illo accipias: ſic dialecticus hac in parte tanquam medicus videlicet docebit te ad inſtituendum, quod velis, argumentorum genera, cauſas, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, tributiones, finitiones, teſtimonia eſſe quærenda & inuenienda: inuēta tibi hæc ipſa non ſuppeditabit. Atque hæc inuētionis dialecticæ præcepta ei demū plenè ac copioſè proderunt, qui eſt verſatus in rebus vel vſu (quē ætas denique adfert) vel artium auditione & cognitione

Inuentio cur appellatā prima pars dialecticæ.

diſciplinarũ: quæ ſtudio & diligentia præcurrit ætatem: nec tam huius partis dialecticæ præceptis adiuti, res inuenimus, quàm cognitas antea & perceptas horum admonitione præceptorum reminiſcimur, aut ad inquirẽdum inſtituimur. In diſpoſitione autem ſecus eſt: didiceris enim ſyllogiſmorum genera, & generũ ſpecies, habes regulã, quâ vtare: nec quicquã præterea requiras. Itaque artes omnes, inuentionis dialecticæ velut adminiſtræ ſunt, & docent non generatim vt dialectica, ſed ſpeciatim cauſas & facta, & adiuncta, & cætera rerum ſibi ſubiectarum genera. Syllogiſmi autem & methodi nulla eſt præter dialecticam doctrina. Sed tamen dialecticæ artis partes duæ vt ſunt, ita ſtatuantur, inuentio & diſpoſitio: de quibus quid Ariſtoteles ſentiat, inquiramus. Multi ſunt Ariſtotelis de Dialectica libri: an hãc dialecticæ partitionẽ ſequuntur? an omnes inuentionis partes ſeparatim, diſpoſitionis inſtitutiones item priuatim explicant? hoc enim Dialecticæ veritas & vtilitas exigit, vt duæ partes iſtæ non ſolùm tradantur, ſed diſtinctè, definitè, perſpicuè tradantur. Quid igitur hic Ariſtoteles? Attendite Ariſtotelei, ne ſi noua vobis & inaudita dicere videar, falſa protinus & aliena quoque dicere videar. Ariſtoteles hanc inuentionis & diſpoſitionis diuiſionem confirmat, & ſuam confuſionem condemnat. Quomodo? Ariſtoteles hanc inuentionis & diſpoſitionis partitionẽ (licet erret toto cælo præceptis huius artis via & ordine collocandis) tamen duobus locis approbat, primo analytico & octauo topico. Primo enim

Ariſtoteles probat artis diuiſionem in inuentionem & diſpoſitionẽ.

c.i.

analytico cùm de ſyllogiſmis reſoluẽdis præcipit, ita loquitur, Quomodo autẽ reducemus ſyllogiſmos in prædictas figuras, dicẽdũ erit poſthac. Reſtat enim cõſideratio hæc, ſi enim & generationẽ ſyllogiſmorũ inſpiciamus, & inueniẽdi habeamus poteſtatem, amplius autẽ factos reducamus in prædictas figuras, finem habebit, quod ex principio propoſitũ eſt. Hic Ariſtoteles *inuẽtionem, Dialecticæ partem facit: confectio verò ſyllogiſmi, prima diſpoſitionis dialecticæ pars eſt de ſyllogiſmo ſeu iudicio: diſſolutio autẽ, id eſt analyſis, pars eſt exercitationis prima, vt tertio inſtitutionũ noſtrarum libro docuimus. Itaque hoc loco Ariſtoteles logicã doctrinam quodãmodo ad inuẽtionẽ & diſpoſitionẽ refert, & doctrinæ veritatẽ, quã tot tenebris perturbauit, agnoſcit. Octauo topico partitionẽ eãdem apertius exprimit, cùm ait: Oportet autẽ primùm quidem eum qui interrogare debet, locum inuenire, vnde ſit argumentandum: ſecundùm autẽ interrogare & ordinare ſingula apud ſeipſum: reliquum verò & tertiùm dicere iam eadem ad alterum. Hoc loco Ariſtoteles (licet ineptè) tamen diuidit rationem diſſerendi in inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem. Inuentionẽ & diſpoſitionẽ planè nominat, & dialecticæ partes eſſe ait. Elocutio autem (quam tertiam partem facit) rhetoricæ propria eſt, non dialecticæ. Quamobrem Ariſtoteles his duobus locis, principiis huius partitionis lucem & cernit & docet & probat & ſeipſum conuincit & cõdemnat.*

Cicero tribuit Ariſtoteli ve-

Atque hãc partitionẽ Cicero Ariſtotelis eſſe teſtatur in Topicis. Cùm enim diſtribuit Dialecticã in inuen

tionem & iudicium, quod diſpoſitionis prima pars eſt, hanc diuiſionem ſibi non aſſumit: ſed Ariſtoteli refert acceptam: ſic enim ait, Cùm omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, vnam inueniẽdi, alteram iudicandi: vtriuſque princeps (vt mihi quidem videtur) Ariſtoteles fuit. Et poſt Ciceronẽ Quintilianus eandem diſtributionem Dialecticæ, tanquam inter dialecticos indubitatam ſtatuit, cùm de dialecticis circa finem libri quinti loquitur, Sibi, ait, & inueniendi & iudicãdi vendicant partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Atque oratores, cùm de Rhetorica præcipiunt (ad quam ferè totam Dialecticam traduxerunt) melius partem ſecundam diſpoſitionem nominant, quàm aliàs iudicium nominantur. Diſpoſitio enim plenioris ſignificationis eſt: nõ enim tantum iudicium (quod ſyllogiſmo fit) ſed etiam methodum complectitur: iudicium autem & methodus res variæ ſunt & diuerſæ, vt inſtitutiones noſtræ planè declarant. Hanc igitur partitionem inuentionis & diſpoſitionis Ariſtoteles approbat, & Ariſtotelem ſequuti Cicero & Quintilianus. Cur igitur hîc Ariſtotelem reprehendis? Ariſtoteles in hanc partitionem incidit quidem, ſed imprudẽs, & cæcorum errantium more, qui duce deſtituti, ſi fortè in viam rectam venerint, non inſiſtunt tamen. Vna Ariſtotelei erroris perpetua cauſa eſt, quòd Ariſtoteles in arte deſcribenda, naturalis illius rationis & vſus exemplar nullum ſibi ad imitandum propoſuit, & inuentorem ſe Dialecticæ falſò credi, quàm obſeruatorem verè pro-

ram partitionẽ dialecticæ.

Quintilianus cõmemorat verã partitionem dialecticæ.

Ariſtoteles non diſtinguit artem logicã inuentionis & diſpoſitionis partibus.

bari maluit. Tantum enim abeſt, vt has partes inuentionis & diſpoſitionis dialecticæ proprias faciat Ariſtoteles, vt Dialecticæ detractas, alibi Rhetoricæ attribuat: vt in rhetoricis, vbi rhetoricæ partes facit eaſdē, quas octauo topico, Dialecticæ facit, inuētionem, diſpoſitionem, eloquutionem: addit actionem, de qua adhuc ante ipſum nemo. Itaque cōfundit ac permiſcet omnia, & omiſſa naturali veráque diſtributione (quaſi omnino eam nunquam vidiſſet) indigeſtam & mira confuſione diuulſam commentationem logicis libris coaggerat. Quæ confuſio non ſanè ſigno aliquo ſuſpicioſo, ſed veriſsima illa pulcherrimáque naturæ luce ac demonſtratione à nobis refellatur.

Quare cō fuſio Ariſtoteleę logicæ improbāda.

Artis dialecticæ partes conuenire debent cum naturalis rationis & vſus partitione.

Ariſtoteleæ verò doctrinæ partes in terminos, prædicabilia, prædicamenta, interpretationes, analytica, topica, elenchos nullo modo conueniunt cum partibus vſus & naturæ.

Cùm enim diſſerimus, quærimus primum rationes & argumenta propoſitæ controuerſiæ conſentanea, deinde ea diſponimus ad ſententiam noſtram de re poſita declarandum: tertium nihil eſt: animus verò per terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, analyticorum, topicorum, elenchorum ſalebras non diſcurrit, præcipites illos ſaltus non peragrat.

Quare via illa terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretationibus, analyticis, topicis, elēchis deſcripta, veram Dialecticæ deſcriptio-

nem non continet.

Hic Ariſtotelei velut aliquo ſydere perculſi ſtupent, tam celebrem, tam veram, támque perſpicuam diſtributionis lucem inficiari non audent: diſtinctiones (quæ magnopere turbare poßint) nullæ ſunt: attamen ne quē Ariſtotelici erroris ſcrupulum in eorum animis reſidere patiamur, omnes latebras excutiamus. Obiiciamus etiam nobis pro Ariſtotele, quæ Ariſtoteleis ipſis in mentem forſitan nunquā venerint. Dicat igitur Ariſtoteleus aliquis, & id quod à nobis acceperit, contra nos obiiciat. At nos facimus inuentionem & diſpoſitionem Dialecticæ partes vt tu, non diſtribuendo, ſed tamen confundendo. Inuentio enim & diſpoſitio prioribus analyticis confunduntur: quia illic de abundantia propoſitionum, de inuentione medij quod inuentionis eſt. Item de ſyllogiſmorū regulis vniuerſalibus præcipitur, quod diſpoſitionis eſt: deinde tota illa confuſa logica in tres partes diuiditur, ſyllogiſmum demonſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum: in poſterioribus autem analyticis demonſtratiui ſyllogiſmi inuentio, in topicis dialectici, in elenchis ſophiſtici declaratur: termini verò, prædicabilia, prædicamenta, interpretationes futuri ſyllogiſmi fundamēta ſunt. Oportet enim cognoſcere ſignificationes vocabulorum ſimplicium, & enuntiationes facere antequam ſyllogiſmus fiat: neque omnino ſequitur, ſi diſtributio tua in inuentionem, & diſpoſitionem vera & commoda ſit, vt Ariſtotelea doctrina (quæ iſtam partitionem tam diſtinctè non ſequitur) falſa ſit & incommoda: multa enim ſunt ad

Defenſio pro confuſione Ariſtotelis.

laudem via, & in diſsimili genere tamen probabiles. Hæc ſit Ariſtoteleorum contra partitionem noſtram defenſio: lubet enim his arma generum omnium ſuppeditare, ne ſe non iuſta dimicatione victos conquerantur. Hæc, inquam, ſit eorum defenſio, Deus bone, quàm puerilis, quàm communis ſenſus expers! Duæ ſunt Dialecticæ partes: negare non audetis, nec poteſtis Ariſtotelei, lux tanta vos ad confeſsionem adducit: & partes duæ illæ, tam propriæ dialecticæ ſunt, quàm manus digiti proprÿ ſunt. Cur igitur ab ea declinatis? inuentionem & diſpoſitionem confunditis: hoc etiam egregium & bellum putatis: at inuentio diſpoſitióque permiſceri non debent & confundi: alia enim ſunt inueniendi, alia diſponendi præcepta: diſtingui loco iſta debent, vt alia in parte fontes inuentionis, in alia diſponendi regulæ doceantur: vſus inuentionis & diſpoſitionis coniunctus eſt: ſed præcepta diſtinguenda ſunt: vt in Grammatica etymologiæ præcepta de partibus orationis alio loco, alio ſyntaxis de partium cõiunctione traduntur: tametſi in loquendo & etymologia & ſyntaxi ſimul vtimur: diſtinguenda, inquam, inuentionis & diſpoſitionis præcepta ſunt: hoc veritas illa naturæ (quam ducem ſequimur) deſiderat, hoc vtilitas artis requirit, hoc diſciplinæ finis efflagitat. Recordamini (opinor) quæ demonſtrationis noſtræ contra veſtras tenebras concluſio ſit: in analyticis prioribus inuentionem & diſpoſitionem confunditis: verum eſt: ſed longè aliter etiam quàm ſentitis. Vt enim paucula quædam inuentionis & diſpoſitionis de ſimplicibus

ſyllogiſmis præcepta confunderetis, omnium generum tenebras vno in loco peperiſtis: & hoc eſt crimen, quod in vobis tantopere reprehendo, ſed id ſuo loco tractabitur. Quale verò eſt, quod Ariſtotelei totam logicam (placet enim eis inuentionem & diſpoſitionem illic eſſe confuſam) in ſyllogiſmum demonſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum diſtribuũt? aliena enim valdéque abſurda partitio illa eſt. Iubet in analyticis Ariſtoteles, & quidem rectè iubet, omnes ſcientias ex cauſsis primis neceſſariis, propriis, illuſtribus cõſtituendas eſſe: nullam ex accidentibus, ex fortuitis rebus ſolidam & conſtantem explicationem eſſe confirmat. At illa præclara diſtributio confuſæ Ariſtotelis logicæ in ſyllogiſmum demonſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum ex remotiſsimis accidentiarum & leuiſsimis circunſtantiis accerſitur: ſyllogiſmo enim ratione propoſitionis & aſſumptionis accidit, vt demonſtratiuus, dialecticus, ſophiſticus dicatur: & propoſitioni, atque aſſumptioni item id accidit: poteſt enim vtraque manifeſtiſsimè falſa eſſe, vt tamen ſyllogiſmus integer & conſtans habeatur. Quod Ariſtoteles ipſe confirmat in analyticis, vbi docet ex falſis ſyllogiſmum poſſe fieri. Quare hæc confuſæ dialecticæ Ariſtotelea partitio eſt ex accidentibus accidentium. Noſtra verò in inuentionem, & diſpoſitionem ex propriis, veris, neceſſariis cauſsis aſſumpta eſt. Ita veſtro iudicio Ariſtotelei nos ſcientiam & artem facimus, cùm principes & ſummas cauſſas perſequimur: vos qui accidentias remotiſsimas ſectamini, quid agitis? Terminos, prædicabilia, prædicamenta,

Partitio Ariſtoteleæ logicæ in ſyllogiſmũ, demõſtratiuum, dialecticum, & ſophiſticũ, leuiſsima.

Nugatoria Aristoteleæ logicæ fundamenta.

interpretationes, fundamenta prima ſyllogiſmi eſſe di citis. Quid ita? nugatoria (ita me Deus amet) & valde ſophiſtica fundamenta. Detur mihi puer grammaticis & rhetoricis, id eſt, antecedentibus ſtudiis informatus, qui partes orationis, & earum coniunctionem, & accentum, & orthographiam teneat: qui tropos, figuras, numeros: actionis dignitatem perceperit: huic in dialecticis ſimplicius nihil erit, quàm vt diſcat inuenire argumenta probabilia, & rebus propoſitis idonea, & inuenta collocare certo ordine: præterea nihil erit: hæc duo ſola ſunt non ſophiſticis innixa fundamentis, ſed ſua virtute ad bene prudentérque diſſerendum contenta. Falluntur autem hîc Ariſtotelei, cùm de natura dialecticæ artis quæritur, ſimilitudinem aliis in rebus naturæ conſiderant fortaſſe: magnas quippe arbores plerunque tenui nuce naſci, quæ putreſcit, germinat, radices agit: vnde ſurculus, truncus. Quod verùm eſſe quis negat? At alia porrò docendi, alia naſcendi natura eſt. Res enim primò rudes & inchoatæ naſcuntur: deinde verò ſuis vſæ progreßionibus paulatim augentur: tandem maturitatem ſuam quandam & perfectionem aſſequuntur. Verùm doctoris alia ratio eſt doctrinam inſtituētis: alia naturæ creſcentis: doctor enim ille conſummatißima & perfectißima quæque primo loco adhibet, vniuerſas quippe rerũ definitiones, deinde genera, & partes: ſecus enim doctrina non fuerit, niſi à clarioribus, abſolutioribus, antiquioribus rebus inſtituatur. Hæc autem creſcentis arboris comparatio, cum artis effectu & opere aptius conueniet: quæſtio

Prima & vera dialecticæ fundamenta.

enim primùm dubia eſt, nux ſcilicet: deinde argumentum ex ea quæritur, radix eſt: poſtremò diſpoſitio accedit, vnde diſputatio dialectica opus, id eſt truncus & arbor exiſtit. Si verò cum traditione & inſtitutione artis progreſſum illum naſcentis naturæ comparabis, diſſimilia prorſus diſſidentiáque comparabis. vigilate igitur Ariſtotelei, adeſte ad muros, & acriter propugnate: imo verò noua conſilia capite: non iam in arcem veſtræ confuſionis inuaditur: ſed tota fundamenta ſubuertuntur: concrepant omnia, ruina in propinquo eſt, ſuccurrite. At ſignificationes vocabulorum ſimplicium non ſunt ignorandæ: hæ verò prædicamentis diſtinguuntur. Audio inquam, & hoc idem non ſolum falſum eſſe, ſed ridiculum in prædicamentis declarabo. Tota dialectica hoc ſuſcipit, hoc profitetur, vt non ſolum ſimplices dictiones (quod dicitis prædicamentis fieri) ſed omnes res omnino diſtinguat: id eſt definiendo, diſtribuendo declaret & doceat. At ſine nominibus & verbis diſputari non poteſt: primùm hoc falſum eſt; deinde ſi verum ſit, non eſt conſentaneum tamen his de rebus præcepta in Dialectica confundi. Etenim res animo comprehendi ſine vocabulis poſſunt, & ratiocinatione agitari, & ſyllogiſmo concludi, vt in hominibus mutis, & pleriſque totis populis: qui nutu & ſignis, non verbis & oratione ſenſa mentis exprimunt: & tamen ratiocinantur, & diſputant: Et Ariſtoteles docet notiones animi, rerum notas eſſe, & indices, notionum nomina & verba, quæ voce & ſcripto pronuntiantur. Deinde non poſſit ſyllogiſ-

Nominũ & verborum præceptio nõ eſt propria dialecticę.

mus ſine nominibus, ſine oratione fieri: quid tum? quid enim nomen ſit, & verbum, & oratio à grammaticis diſcite: hoc eorum propriũ eſt. Valde autem fatua, & Ariſtotelea eſt iſta veſtra complexio, non poteſt diſputatio ſine cognitione nominis, & verbi, & orationis explicari: ergo in dialectica de his præcepta ponenda ſunt: iiſdem enim veſtigiis concludã, Non poteſt arithmetica & geometria ſine grammatica, & dialectica explicari: ergo in arithmetica & geometria de his artibus eſt præcipiendum. Videtis Ariſtotelei in vno veſtro ſomnio, quàm multa deliramenta ſint. Vt effugiatis veram huius doctrinæ partitionem, ad ea confugitis, quæ patefacta & illuſtrata vos tanquam noctuas in ſole caligantes, deſtituant. Quid iam reſtat quominus verum fateamini? an non vos tot argumentis tam perſpicuis, támque claris victos ſentitis? Ariſtoteles hanc partitionem approbauit: Cicero & Quintilianus Ariſtoteli aſſentiuntur: diſtinctiones & captiones (quæ contra ſint) meritò irridentur. An non inquam, tantam veritatem agnoſcetis? Imò verò acrius ſcilicet (quàm antea) reſiſtite: ſi quid poteſtis, nobis opponite, nil intentatum relinquite, quod omni ratione nõ vincamus. Fallacia nobilis eſt in Ariſtotelis topicis, ne vobis rationes non ſubminiſtraſſe videar, ſicut recepi, cùm reſpondere non poſſumus, vt rem conturbemus & deſpiciamus. Itaque faſtidiat Ariſtoteleus aliquis hãc noſtram tam accuratam in partiendo diligentiam, ac nos, ſi lubet, irrideat, dicátque diſtributionẽ illam inuentionis & diſpoſitionis facilem, & vulgarem eſſe,

Ariſtotelis defenſio captioſa.

nec tanto philoſopho rem leuiſsimam explicandam fuiſſe: Ariſtotelicæ denique authoritatis pondere nos premat, & vrgeat. Hoc enim poſtremum eſt Ariſtotelеis perfugium, hæc ſacra anchora. Ariſtoteles non adhibuerit hanc partitionem: non erat igitur (quia omiſit) neceſſaria. At quouſque tanta peccandi licentia nos eludet? Redi, ô Ariſtotelee, ad pictorem illum corporis tibi propoſitum, quid ſi cum caput eſſet oblitus, brachia nulla diſtinxiſſet: quid iſti homini facias, ſi tam ſit impudens, vt talem te eſſe contendat: ídque tibi videnti & ſpectanti perſuadere pergat, eas partes in perfecta imagine neceſſarias non eſſe? Num tu colaphis & flagris tantam impudentiam reprimes? At tu vide ne ſis longè vano illo & impudēti pictore vanior & impudentior, qui non homini vni, ſed vniuerſo hominum generi pro legitima numeríſque ſuis abſoluta tabula tam commentitiam, támque monſtroſam deformitatem maxima mercede vendites. Ariſtoteles fecit (ais) fecerit Apelles, quid tum? ſi tuus A*riſtoteles (finge enim tantiſper hominem hunc calceolariolum fuiſſe) calceos feciſſet ineptos ad pedem & ad nullum vſum prorſus idoneos, pedémne frangeres aut dolares, aut naturam potius omnem violares, quàm Ariſtotelis ingenium non probares? Minimè (opinor) inquies: ſed pedis naturam atque vtilitatem, cuiuſuis Ariſtotelis authoritati præponeres. O mi Ariſtotelee, quid agis? pedem pluris quàm animum, calceum quàm artificium tantum facis? pedis calceíque gratia vanam de Ariſtotele, ſuperſtitioſámque opinionem deſpicis, a-*

nimi ſtudiíque nobiliſsimi gratia non deſpicis? Tribue obſecro amice Ariſtotelee tantum veritati, quantum pedi tribuis. Age verò amice mi Ariſtotelee, excita te per Deum optimum, & ne exhorreſcas ſi cognoueris, quàm fœda, quámque indigna philoſopho (quem te eſſe vis) ſit iſta tua reſponſio, qua contra me vteris: neque vero meis vllis argumẽtis contra te nunc vtar, ne quid contra meditere, ſed tanquam Ariſtoteleus ex Ariſtotelis ſententia te admonebo, & repetam, quod in præfatione poſui: Ariſtoteles ſophiſtam ſic à dialectico diſtinguit, vt grammaticus à barbaro, orator ab infante & balbo diſtinguitur. Inter autem ſophiſtarum ſordes & vitia petitionem principij conſtituit: & ſophiſtam bardum & ſtolidum facit, qui pro argumento ſumit, quod eſt in quæſtione poſitum. Iámne ſentis Ariſtotelee mi, quam tibi ab Ariſtotele notam inuram? Quænam eſt Ariſtotelicarũ animaduerſionum quæſtio? An Ariſtoteles rectè ſenſerit in dialecticis: quem cum tot argumentis, quibus obſiſti iuſta ratione nulla poteſt, premimus & vrgemus, tu ad nos refellendum quid facis? Ariſtotelem pro Ariſtotele nobis opponis, atque id quod in principio & quæſtione erat, pro argumento permagno ſcilicet obiicis. At hoc Ariſtoteles ipſe docet captioſum & hebes & ignauum ſophiſma eſſe. Quare attende quomodo ſyllogiſmum iſtum concludamus. Propoſitio ex ſententia Ariſtotelis eſt,

Qui Ariſtotelem Ariſtotele defendit, ſophiſta eſt: Petitur nempe quod in principio eſt: tu aſſumptionem ſuppeditas: nam

Ariſtotelem Ariſtotele defendis,
Ego tantum concludo,
Ergo ſophiſta es.

Vellem, ita me Deus amet, vel hāc ſolam ſyllogiſmi poſtremam partem ita me complecti non coegiſſes amice. At ſæpe populares tui obiiciunt, quod iraſcor tantum modo, quod nihil concludo, & pro omni argumento nomen Ariſtotelis & authoritatem nobis opponunt, de qua tamen diſputamus, quæ in quæſtione & controuerſia poſita eſt: in quo ſi Ariſtoteli credant, non ſe dialecticos, ſed ſophiſtas eſſe iudicabunt. Quare ne te pariter Ariſtoteles ſophiſtam faciat (quoniam Ariſtotelis authoritate, Ariſtotelis authoritatem defendere ſophiſma eſt) Ariſtotelea authoritatis in hac animaduerſione Ariſtotelica obliuiſcere: veriſſimaq́; illius noſtræ & clariſſimæ demonſtrationis recordare.

Vera legitimáque dialecticæ artis partitio, cum naturali vſu conſentire debet & conuenire,
Confuſio terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, interpretationum, analyticorum, topicorum, elenchorum non conuenit cum naturali vſu:
Non igitur veram dialecticæ partitionem cōtinet.

Quamobrem adoleſcentes huius doctrinæ ſtudioſi diligenter partitionem illam inuentionis & diſpoſitionis animaduertant, penitúſque inſpiciant, ad naturalis vſus imaginem referant, explorent, probent. Vniuerſa diſputatio ab hoc fonte manabit: duæ ſunt dialecticæ partes, inuentio & diſpoſitio: naturalis rationis vſus

nos huc ducit: imò verò trahit, & admonet omnes artis dialecticæ præceptiones ad earum alteram referendas eſſe: quicquid neutrius erit, dialecticæ non eſſe: ſi quis aliter doceat, eum grauiter errare. Propterea partes iſtæ diligenter animaduertantur: id enim propoſitum ſemper eſſe volo,

-præq; omnibus vnum
Prædicam, & repetens iterúmque iterúmque monebo.

Vereor vt quod dico perinde intelligi legendo poſſit, atque ipſe cogitans ſentio: luceant clara nocte ſingulares ſtellæ toto cælo: nox tamen eſt, & tenebræ oculorũ aciẽ longius extendi non ſinunt, quia non tota lux, ſed pars eius luceat: ita cernãtur in terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis appoſitis diſputationis noſtræ tanquã ſtellis errores multi & varij: multa inania confuſa, multa neceſſaria prætermiſſa, ſingula præpoſtera exercitatione deprauata: tenebræ tamẽ adhuc vniuerſæ in oculis mẽtis noſtræ reſidebunt. quia non totum doctrinæ lumen, ſed radij quidam diſperſis & diſtinctis locis duntaxat illuceant. Sol porrò clarus oriatur, extemplò noctis obſcuritas & caligo tota pellitur, quoniam lumẽ vniuerſum tenebris vniuerſis opponitur. Itaque ad Ariſtotelis & Ariſtoteleòrum tenebras totas & vniuerſas fugandum, generali atque vniuerſo lumine ante oculos poſito nobis opus eſt. Totas igitur inſtitutiones noſtras cum tota Ariſtotelis confuſione, exercitationis vtilitatem cum altercationum vanitate comparemus. Non eſt Ariſtotelea confuſio eiuſmodi, quæ tota poſſit

è partibus ſingulis deprehendi: ſed lux vniuerſa cum totis tenebris, compoſitio generalis cum ſumma diſſolutione contendenda & comparanda eſt. Quapropter prima iſta inuentionis & diſpoſitionis membra reliquum artis corpus complexa perpetuò ante oculos habeantur. Atque hîc Ariſtotelem & Ariſtoteleos verè & vehementer accuſo, quòd tam nobilem, támque neceſſariam partitionem omiſerint, cuius omiſsione reliquæ ferè deinceps tenebræ natæ ſunt.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber ſecundus.

De Terminis.

HActenus primus liber eſt, in quo principum definitionum & diſtributionum collatio & diſquiſitio recta fuit, vt Ariſtoteleorum nugæ ad artis veræ præcepta ordine compararentur, quo ſunt in noſtris inſtitutionibus expoſita. Deinceps verò Ariſtoteleorum confuſio minus facilè fortaſſe perciperetur, ſi verum illum conſtantis & certæ doctrinæ ordinem ſequeremur: res diſcerpenda variis modis eſſet, propterea quòd in eodem loco varia ſæpe confuſa præcepta ſunt. Ergo tanquam deſertos ſaltus peragraturi ſimus, atque inibi ſpinetis obrutas raris in locis fruges inueſtigaturi, ſic facia-

nos huc ducit: imò verò trahit, & admonet omnes artis dialecticæ præceptiones ad earum alteram referendas eſſe: quicquid neutrius erit, dialecticæ non eſſe: ſi quis aliter doceat, eum grauiter errare. Propterea partes iſtæ diligenter animaduertantur: id enim propoſitum ſemper eſſe volo,

-præq́; omnibus vnum
Prædicam, & repetens iterúmque iterúmque monebo.

Vereor vt quod dico perinde intelligi legendo poſſit, atque ipſe cogitans ſentio: luceant clara nocte ſingulares ſtellæ toto cœlo: nox tamen eſt, & tenebræ oculorũ aciẽ longius extendi non ſinunt, quia non tota lux, ſed pars eius luceat: ita cernãtur in terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis appoſitis diſputationis noſtræ tanquã ſtellis errores multi & varij: multa inania confuſa, multa neceſſaria prætermiſſa, ſingula præpoſtera exercitatione deprauata: tenebræ tamẽ adhuc vniuerſæ in oculis mẽtis noſtræ reſidebunt. quia non totum doctrinæ lumen, ſed radij quidam diſperſis & diſtinctis locis duntaxat illuceant. Sol porrò clarus oriatur, extemplò noctis obſcuritas & caligo tota pellitur, quoniam lumẽ vniuerſum tenebris vniuerſis opponitur. Itaque ad Ariſtotelis & Ariſtoteleórum tenebras totas & vniuerſas fugandum, generali atque vniuerſo lumine ante oculos poſito nobis opus eſt. Totas igitur inſtitutiones noſtras cum tota Ariſtotelis confuſione, exercitationis vtilitatem cum altercationum vanitate comparemus. Non eſt Ariſtotelea confuſio eiuſmodi, quæ tota poſſit

è partibus ſingulis deprehendi : ſed lux vniuerſa cum totis tenebris, compoſitio generalis cum ſumma diſſolutione contendenda & comparanda eſt. Quapropter prima iſta inuentionis & diſpoſitionis membra reliquum artis corpus complexa perpetuò ante oculos habeantur. Atque hîc Ariſtotelem & Ariſtoteleos verè & vehementer accuſo, quòd tam nobilem, támque neceſſariam partitionem omiſerint, cuius omiſſione reliquæ ferè deinceps tenebræ natæ ſunt.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber ſecundus.

De Terminis.

HActenus primus liber eſt, in quo principum definitionum & diſtributionum collatio & diſquiſitio recta fuit, vt Ariſtoteleorum nugæ ad artis veræ præcepta ordine compararentur, quo ſunt in noſtris inſtitutionibus expoſita. Deinceps verò Ariſtoteleorum confuſio minus facilè fortaſſe perciperetur, ſi verum illum conſtantis & certæ doctrinæ ordinem ſequeremur: res diſcerpenda variis modis eſſet, propterea quòd in eodem loco varia ſæpe confuſa præcepta ſunt. Ergo tanquam deſertos ſaltus peragraturi ſimus, atque inibi ſpinetis obrutas raris in locis fruges inueſtigaturi, ſic facia-

mus: facem illam ardentem, ac ſplendidè collucentem dialecticæ in inuentionis & diſpoſitionis partibus à nobis expoſitæ præ nobis ipſis feramus: diſtinguamus etiã partes Ariſtoteleæ cõmentationis, & quæ videbuntur aliquid eſſe vel inuentionis vel diſpoſitionis vel exercitationis, id eſt caliginem inuentionis, diſpoſitionis, exercitationis habere (ſic enim de Ariſtotele & Ariſtoteleis eſt loquẽdũ) ſegregemus. Itaque ad inuẽtionis chaos termini, prædicabilia, prædicamẽta, interpretationes, ex primo analytico duo capita de abundantia propoſitionum & inuentione medij, poſteriora analytica, topica diſtrahantur. In his enim tam multis libris dialecticum præter inuentionis confuſos locos nihil eſſe confirmo: ad diſpoſitionis autem confuſionem ex analyticis prioribus non totum primum, ſed ex eo ſyllogiſmorum γένεσις: ſecundum autem integrũ: ad exercitationis verò tenebras ex prioribus analyticis ſyllogiſmorum ἀνάλυσις, cum pauculis octaui topici, & duobus elenchorum libris referantur. Ac quoniam partitio tenebrarum facta eſt, primum illud inuentionis chaos aggrediamur. Aperi itaque ô Ariſtotelee oculos, & naturæ tuæ lumine aliquando fruere: tenebras Ariſtoteleæ confuſionis attende, in qua primo loco termini ſunt: quos non idcirco inuẽtioni ſubiecimus, quia inuentionis dialecticæ hîc aliquid eſſe credamus: ſed quia de his Ariſtotelei ſolent initio ſuæ profeſſionis præcipere. Terminos in dialectica Ariſtotelei inſtituunt: nos etiam terminos explicamus. Terminos initio artis dialecticæ rudibus & nouitiis ediſcendos

Quales Ariſtotelei termini, & veræ dialecticæ.

ponunt: nos omnibus artis partibus terminos diſcipulis noſtris exponimus. Hîc igitur noſtræ voluntates conueniunt: verùm, quos aut quales terminos ſentiamus, multum ſanè intereſt: res cognita declarabit. Hîc Ariſtoteleos oro, vt iis de rebus, quid à nobis dicatur, attentè & conſideratè audiant: neque enim terminorum ſcientiam, vel vſum tollere (vt Ariſtotelei exiſtimant) inſtituimus: ſed confirmare, ſed augere, ſed modis omnibus amplificare volumus. Meminerimus igitur quod antea propoſui, & in tota harũ animaduerſionum diſputatione mihi proponam, in præceptis artium conſilia agendi deſcribi, artes ipſas non agere, ſed monere quomodo quidque optimè agatur. Quare hoc iam conſideremus, an terminorum Ariſtoteleorũ conſilia conſiliis noſtrorum terminorum vtiliora, certiora, ſapientiora ſint: hoc enim ſi eſt, Ariſtotelei termini floreant: ſin contrà, date nobis Ariſtotelei libertatem parem, quam vobis concedimus: liceat nobis terminos noſtros tueri. Pono igitur illud initio multos ab Ariſtoteleis non neceſſarios terminos conturbari: omnes autem neceſſarios ferè omitti, atque in his non neceſſariis vſum præceptis ſimillimum adhiberi. Quid eſt igitur Ariſtoteleis terminus? quod claudit & terminat, inquiunt: rectè ſane, ſi de agro, non de artis ſtudio & eius vocabulis loqueremur. In agro terminus propriè dicitur, qui claudit & terminat agrum: ſic enim Ouidius,

Termine ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

In dialectica autem artis vocabulis appellãdis videamus unde Aristotelei & qua ratione terminos nominent & definiant. Aristoteles in Analytico primo commentus eſt analyſin ſyllogiſmi, ut primò in tres enuntiationes retexeretur, deinde in tres extremas partes, ὅρους ille nominat, Boetius terminos: qua ratione Ariſtoteles ὅρον definit, in quem enuntiatio retexitur & reſoluitur, Ariſtoteles inquam, hanc eſt analyſin commentus: ſuo enim loco (cum de exercitatione dicemus) commentitiam, & alienam docebo: ſed tamen cũ eſſet ita commentus, congruenter inſtituto ſuo extremas partes ἀναλύσεως, ὅρους appellauit: quia finis illic & extremum ἀναλύσεως eſſet. Itaque tres ὅρους in prima ſyllogiſmorum figura appellat πρῶτον, μέσον, ἔσχατον, id eſt primum, medium, ſummum. In ſecunda (quia diſpoſitio mutata erat) duos ὅρους, qui in complexione coniungerentur, id eſt qui partes quaeſtionis eſſent, vocat ἄκρα, id eſt extrema, alterum μεῖζον, id eſt maius, alterum ἔλαττον, id eſt minus. Ergo ex Ariſtotelis doctrina ὅρος, id eſt extremum definiatur, non quod claudit & terminat, ſed in quem & ſyllogiſmi & enuntiationis diſſolutio recidit. Neque hic Ariſtotelei definiendo termino ſunt ſequuti Ariſtotelem, ex quo tamen videri volunt terminorum doctrinam deriuaſſe: & tamen Ariſtoteleorum ſapientiam conſideremus: qui Ariſtotelem (quem licet omnium mortalium ſapientiſſimum iudicant, & ſuperis penè in Dialecticis parem, ut ſi Iuppiter ipſe diſputare velit, Ariſtotelis dialectica videatur Ariſtoteleis vſurus) qui Ariſto-

Ariſtotelei in terminis non ſunt Ariſtotelem ſecuti.

telem inquam, tam ſapientem velint ſapientia ſuperare. Ariſtoteles analyſin concluſit in ὅρῳ. Ariſtotelei ὅρον ipſum (quem Ariſtoteles ἄτομον & indiuiduum, & extremum in analyſi fecerat) tamen diuidunt, vt acutiores Ariſtotele ſanè iam videantur, & ex vno eius indiuiduo verbo magnam artem faciunt. Quomodo verò diuidunt? In terminos ſanè Ariſtoteli inauditos, & quos ipſe (ſi intelligeret) irriſurus ſit, reales, logicales, mentales, vocales, materiales, perſonales, primæ intentionis, ſecundæ intentionis, ſyncategorematicos & categorematicos, & eiuſmodi elegantibus titulis reliquos inſignes terminos. Ariſtotelei contra Ariſtotelis doctrinam terminum definiunt & partiuntur. Hîc igitur vos Ariſtotelei conſiderate, quemadmodum termini veſtri refellantur: exiſtimate potius Ariſtotelem vobiſcum, quàm me loqui. Qui ſi reuiuiſceret, vos profectò non ſolum caſtigaret vt diſcipulos errantes magiſter, ſed vt grauiter offenſus obiurgaret. Vos enim illi quem tantum, tam excellentem eſſe vultis, magnam profectò infamiæ notam inuritis, ex cuius doctrina tam aniles nugas deductas eſſe fingitis. Atque in his veſtris terminis nil inuentionis eſt, nil diſpoſitionis: propterea nil omnino Dialecticæ, totáque hæc egregia terminorum non modò non neceſſariæ, ſed inertis & ignauæ delirationis confuſio eſt. Videamus qui termini neceſſarij ſunt omiſſi, quoniam qui non neceſſarij confuſi ſint, intelleximus: noſtros terminos cum veſtris conferamus: interrogate me viciſſim quos terminos in Dialectica

Quæſtio prima de arte. Multi nō neceſſarij termini confundūtur ab Ariſtoteleis.

Quæſtio ſecūda de arte.

Quàm multi neceſſarij ab Ariſtoteleis omittantur.

doceam, quibus finibus artem hanc concludam. Terminus eſt quod claudit & terminat, dicitis. Dialecticam igitur definitionibus, partitionibus, exemplis concludimus & terminamus. Termini artium (vt barbaræ per vos in alias quoque artes inductæ ſermonis conſuetudini reſpondeam) vulgò dicuntur à vobis vocabula in artibus ipſis propria: ſic grammaticæ termini dicuntur à vobis nomen, verbum, declinatio, coniugatio: Rhetoricæ, tropus, figura: Arithmeticæ, additio, ſubductio: Geometriæ, circulus, linea, quadratum: termini denique artis, quia nunc per vos dicuntur artis prima & neceſſaria & propria vocabula, nos nullum vocabulum argumẽti, nullum ſyllogiſmi, nullum methodi, nullum denique totius artis dialecticæ proprium vocabulum inconcluſum, indefinitum, non terminatum omittimus. Atque hi noſtri termini ſunt, quibus totam Dialecticam claudimus & terminamus: quos penè omnes à vobis ſublatos eſſe dico. Vbi enim eſt apud vos primus ille terminus, quo Dialecticæ virtus definitur? vbi ſecundus, quo diuiditur in naturam, artem, exercitationem? vbi tertius, quo natura declaratur? vbi quartus, quo doctrina finitur? vbi quintus, quo quæſtio ſuo ordine terminatur? vbi ſextus, quo artis partes, inuentio & diſpoſitio diſtinguũtur? vbi ſunt reliqui omnes, exceptis de tota Dialectica cõtradictionis & ſyllogiſmorum ſimplicium definitionibus, termini? vbi ſunt inquam, illi termini principes, ac primarij? vos in tota dialecticæ poſſeſſione, in toto agro nullos habetis. Vos igitur terminos ſuſtuliſtis: vos id-

circo totum fundum conturbaſtis: nos verò contrà defendimus & retinemus. Veruntamen vſum etiam & veſtrorum & noſtrorum terminorum comparate, vt hanc quoque de vſu quæſtionem concludamus. Hoc vobis veriſsimè de veſtris terminis oppono, nihil per eos iuuentutem hîc adiuuari, nil etiam cæteris in artibus. Quid enim per veſtros terminos humanitatis à poetis, quid elegantiæ ab oratoribus, quid ſcientiæ à mathematicis, quid dignitatis è cæteris artibus ingenuis conſequetur? Quomodo terminos exercetis? clamando, vociferando, altercando de terminis. Grammatica exercetur explicando Cicerone aut Virgilio, loquendo, ſcribendo: non de ſuis præceptis clamando: at terminorum doctrina ad clamandum de terminis facta vobis videtur. Itaque ſi pueri antea liberaliter inſtituti fuerint, cùm ad hos terminorum clamores perueniunt: barbariem illam tot ineptiarum ediſcunt: puritatem ſermonis, ornatum orationis magnis antea ſtudiis partum obliuiſcuntur: clamant ita de terminis, vt nullum interea poetam legant, nullum oratorem adhibeant. A vobis enim verberātur, ſi toto artium veſtrarum tempore, Virgilium aut Ciceronem legant. Ac ſi falſæ de iis rebus opinionis perſuaſione decepti (vt mihi miſero accidit, qui tot labores tam miſerè in iis ſophiſmatis conſumpſi) detrimenta ſua nō ſentiant, non ſolum pergunt reliquis Ariſtotelicis ſophiſmatis animum obruere: ſed eum ſibi ex tot ineptiis animi habitum comparant, vt niſi rara aliqua muſarum gratia ad naturæ lumen redierint, in perpetuum nihil niſi ſimiles in-

Quæſtio tertia de terminorū vſu.

eptias & nugas diligant, & quas artes didicerint (vt in prouerbio eſt) in his ſeſe ſemper exerceant. Hi veſtri ſunt termini ô Ariſtotelei, hic veſtrorum terminorum fructus. Premite verò me contrà, vſum meorum terminorum quærite: erigite animos, & hunc terminorum ſplendorem cum veſtrorum terminorum tenebris comparate: ſubducite tot vtilitates: quot ingenij, iudicij, prudentiæ æſtimari animo & cogitatione comprehendi poſſunt, tot eſſe terminorum noſtrorum vendicabo: & cùm illa veſtra miſeria & calamitate conferte, obſtupeſcetis mediusfidius, ſi res tam diſsidentes, támque longè diſiunctas comprehẽdere animo poſsitis. Noſtros terminos diſcipuli noſtri non exercent altercando de his & clamando: ſed in poetis, in oratoribus, in philoſophis, in omnibus bonis authoribus humanæ prudentiæ, vias ſequuntur quæ conſilia authorum fuerint, quæ iudicia, quæ totius ingenij facultas: has virtutes ſic intellectas amant, imitantur: per ſe & ex induſtria ſua ſimilia fingunt & conantur. Hìc Ariſtotelis viui, non in libris mortui mos ille fuit exercendæ in philoſophia iuuentutis: coniungebat eloquentiam cum philoſophia: vos non tantum diſiungitis, ſed quãtum in vobis eſt, extinguitis. Philoſophiam ille mane docebat, à prandio eloquentiam, & diſcipulos ſic exercebat, vt diſertè dicerent, & acutè diſputarent: vos diſcipulos veſtros docetis altercari de barbariſmis veſtris, &, vt ipſi dicitis, barbarizare facitis. Quare Ariſtotelei hæc diligenter conſiderate, & deſinite nos accuſare, quaſi terminos huius artis auellamus, & totam

Ariſtotelis viui conſuetudo.

poſſeſſionem conturbemus. Non enim dialectica artis terminos tollimus: ſed pro falſis (quos vos nocturni tanquam fures alieno loco poſueratis) veros & legitimo loco reponimus, & eorum verum, ac naturalem vſum reſtituimus. Ignoſcite vos oro, Ariſtotelei, ſi me veſtri miſeret: maximas in veſtris terminis cognoſcendis, & (quod iam non tædet confiteri) clamandus vigilias perdidi: vobiſcum aliquando inſaniui, terminorum veſtrorum ineptias amaui, didici, colui: verùm cum poſteà legendis poetis, cognoſcendis hiſtoriis, explicandis oratoribus, philoſophis etiam reuoluendis, nullum tot nugarum fructum reperiiſſem, ac ne vllum quidem reperiri poſſe percepiſſem, me falſum & deceptum cognoui. Reſipiſcite mecum, & vos ipſos pluris quàm hæc ſophiſmata facite.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber tertius.

De Prædicabilibus Porphyrij.

D*Emonſtrauimus in primis inuẽtionis tenebris qualem terminorum doctrinam nobis Ariſtotelei proponerent, quantas iuuentuti ſapientiæ commoditates terminorum ſuorum exercitatione & vſu adferrent: de Prædicabilibus Porphyrij ſecundo loco nobis eſt dicendum.*

κατηγορούμενα Porphyrius Græcè nominat: ſed recepi me ſcholaſticis vocabulis vſurū, quia cum ſcholaſticis hominibus mihi diſputatio iſta eſt inſtituta: & Boetiū interpretem vt notiſſimum ſcholis, & lectum maximè hîc ſequar. Ergo dicamus de prædicabilibus Porphyrij: de quo philoſopho, tametſi impio Chriſtianæ religionis hoſte, homo Chriſtianus ita dicturus ſum, vt Ariſtoteleos faciles, quemadmodum ſpero, & placatos habeam. Prædicabilia Ariſtotelei eſſe volunt in dialectica, nos non repugnamus: prædicabilia initio poſt terminos pueris proponunt, nos totam inuentionem (quæ pars prima Dialecticæ eſt) ſic prædicabilem eſſe volumus, vt nullum ſit argumenti genus, quod nō poſſit de quæſtione propoſita dici atque affirmari: nihil hîc igitur noſtri ſenſus diſſident: verùm quid aut quale ſit quod dici, quod conuenire propoſitæ rei volumus, nonnihil fortaſſe inter nos intereſt. Teneamus igitur, quod antea propoſui, & in tota harum animaduerſionum diſputatione mihi proponam, artes eſſe agēdi conſilia, non eſſe ipſas actiones: quare hoc prouideamus, an Porphyrij doctrina vtilius & ad agendum, id eſt intelligendum, differendum, tractandum commodius conſilium doceat, quàm noſtra: hoc enim ſi eſt, Ariſtoteleus vel etiam Porphyrianus ſiam: ſin contrà, Ariſtoteleos oro, ne mihi ſuccenſeant, ſi de duobus melius & perfectius eligam. Atque ne à propoſita nobis quæſtione diſcedamus, pono illud initio de prædicabilibus, & laudandis inuentionis partibus (ad quas omnino pertinet, ſi quid in Porphyrio dialecticum eſt) quaſdā

confundi, multò plures prætermitti: vſum verò nullum naturalẽ & verum ab Ariſtoteleis adhiberi. Quod vt conuinci demõſtraríque poſſit, de ſingulis institutionis Porphyrianæ capitibus ſigillatim diſſerã, tũ vniuerſa Porphyrij prædicabilia cũ noſtris vniuerſis prædicabilibus conferã: ſic enim deinceps, vbi res maximè poſtulabit, duas de doctrina mihi propoſitas quæſtiones explicare cõſtitui: in ſingulis locis vt primùm cõſideremus quæ non vtilia, non neceſſaria conturbentur: deinde ex vniuerſa cõparatione rerũ quæ neceſſaria prætermittãtur: tum de vſu qui nunc ab Ariſtoteleis adhibeatur. Quare ad primam quæſtionem accedamus, & ab initio cuiuſque loci præcipuas & inſignes tenebras diſcutiamus. Porphyrius in proœmio operis quæſtiones de genere & ſpecie ab instituto, vt fatetur, alienas proponit, an genera & ſpecies ſubſiſtant, an in nudis intellectibus poſita ſint, ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint, an incorporalia, & vtrum ſeparata à ſenſibilibus, an in ſenſibilibus poſita, & circa ea cõſiſtentia. Quibus quæſtionibus crucem fixam eſſe credas, ad torquendos eos, qui Porphyrio erudiendi traderentur: ex re tamen admodum futili. Quid enim facilius quàm dicere, vocabulorum ſignificationes & notiones animo contineri, res ſignificatas extra eſſe? De vniuerſo hominum genere cùm cogitamus, communis omnium hominum notio in animis noſtris ineſt: homines autem ipſi in Aſia, Aphrica, Europa. Vaniſſimus igitur eſt initio Porphyrius, qui è re facillima difficillimam finxit eſſe. At eas quæſtiones præterit inquies, fateor: ſed dum ita

Quæſtio prima de arte prædicabilium.

Quàm multa nõ neceſſaria à Porphyrio confundantur.

præterit, grauius offendit, quàm ſi longiſſima oratione tractaſſet & explicaſſet. Propoſuit enim diſcipulis (vt videtur) ænigma, in quo ſoluendo ſe miſerè cruciarent. Qui ſunt enim ſudores? qui labores interpretum, vt quæſtiones iſtas in Dialectica (vt Porphyrius ipſe ſentit) inutiles & alienas exponant? & Ariſtotelis interpretem ſecundarij interpretes noua interpretatione ſic interpretentur, vt ipſi tertiarios interpretes requirant? O vanitatem interpretum! ſiccine bona iuuentuti illuditur? hæ liberalibus ſtudiis tenebræ pro luce proponuntur? Sed hæc leuiſſima ſunt, ſi cum ſequentibus conferantur. Sequitur de genere & ſpecie ſecũdum & tertium caput. Hæc duo prædicabilia, particulæ duæ ſunt vnius noſtri loci: è diſtributione enim ſunt, id eſt

De genere natura totius & partium. De genere igitur primum, vbi tres generis ſignificationes enumerantur, quarum prima cum tertia conſentit: tam enim propriè dicimus Herculeorum genus, quàm animalium, & ſecunda ſignificatio abſurda eſt: neque enim Herculem dicimus Herculeorum genus, ſed ab Hercule genus Herculeorum deſcendiſſe. Definitio deinde generis ſequitur. Genus eſt quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur: quæ definitio proximo capite cum ſpeciei definitione commodius cõſiderabitur. Atque hoc tamen interea de iſta generis definitione dici poteſt, in ea non ſatis exquiſitum atque accuratum eſſe, quod dicatur genus in quid affirmari de partibus ſibi ſubiectis. id enim non tam generi naturale eſt, ac penitus inſitum, quàm adiunctum quodammodo: generis

enim vera ſubſtantia eſt unde fuerat explicandum, atque definiendum, communem ſubiectis partibus habere naturam: unde id illi propterea adiungitur, ut de iis interroganti quid eſt, reſpondeatur: quia natura eius, quædam ſit natura partium. Ergo qui genus definiet quod ſui ipſius communione ſimiles inter ſe partes complectitur, ex vera generis natura definiet genus: & proprium generis, & naturalem vſum demonſtrabit: quod fecimus in noſtris inſtitutionibus. Qui autem Ariſtotelis & Porphyrij more genus definiunt, quod in quid de multis ſpecie differentibus dicitur, circunſtantiam quandam generis indicant, generis naturam non demonſtrant. De reliquis autem definitionis huius partibus, quod Porphyrio placet, partes generi ſubiectas ſpecie differre, & quomodo id intelligat, dicemus tertio capite, quod eſt de ſpecie. Atque hæc definitio explicatur, vel potius obſcuratur reliquorũ prædicabiliũ diſtinctione. Quid enim tam præpoſterũ eſt, q̃ rem definitã & cognitã, vt genus nũc eſt Porphyrio, per res nõ definitas & ignotas, vt cætera prædicabilia ſunt, explicare? tũ verò ridiculũ eſt iſtas rerum differẽtias exquirere, vbi definitio adhibita eſt: neq; enim definitio recta, rẽ definiendo ſolũ explicat quid ipſa ſit, ſed à cæteris rebus diſtinguit. Poſt generis confuſionẽ ſequitur & ſpeciei confuſio. Recẽſentur duæ ſignificationes ſpeciei, definitiones tres: ſpeciei autem ſpecialiſsimæ & generis generaliſsimi definitiones octo: vbi prædicamenti declaratio alieno loco perturbatur: hoc ingenium eſt Porphyrij, vt genus & ſpeciem duabus definitionibus De ſpecie.

explicaret, tot definitiones ridiculæ & nugatoriæ cumulandæ fuerunt. Atque in definienda ſpecie quemadmodum antè in definiendo genere, quid Porphyrius peccauerit, diligenter animaduertendum eſſe arbitror: ſic enim Porphyrius definit, vt ſpecies dicatur communis notio, quæ generi ſubiiciatur: vel quæ ad ſubiecta ſibi indiuidua referatur: & genus idcirco ſolum, quod tales communes ſpecies amplectatur. Quorum vtrumque falſum eſſe dico: nam & genus dicitur quicquid plures partes ſui ipſius communione ſimiles habet: vt animal hominis & pecudis: homo Socratis & Platonis genus: & Socrates hominis ſpecies dicatur. Vnde igitur harum rerum veritas exquiri poteſt? ab illo nempe veritatis fonte, vnde omnis noſtra diſputatio contra Ariſtotelem & Ariſtoteleos manauit: nihil hîc de vocabulis diſputemus: de re vocabulis ſubiecta potius quæramus: & quemadmodum iudices plerunque, ſic nos in rem præſentem veniamus. Dicis Sequanam Lutetiæ exaruiſſe, id nego: vt igitur cõtrouerſiam tollamus, huc ipſi veniamus, vt coram oculis & ſenſu fidem nobis faciamus: Dicis genus eſſe quod dicitur de multis ſpecie differentibus in quid, & ſpecie non putas differre Socratem & Platonem: ego contrà, ſpecie vtrumque differre aio, & hominis ſpecies diuerſas eſſe confirmo: genúſque eſſe contendo, quicquid partes habet ſui ipſius communione ſimiles: ſpeciem partem generi ſubiectam: partes alias ſub ſe habeat, an non habeat, nihil intereſſe. In rem igitur præſentem veniamus: nihil ſomniemus, nihil commentemur: finge ipſa illa eſſe tempora,

Generis & ſpeciei vera declaratio.

quibus Ariſtoteles nondum hæc deſcripſerat: Dialecti ca vis fuit, & homines genera quædam & quaſdam ſpecies dixerunt, atque intellexerũt: hic naturalis vſus, hæc humanitatis regula & finis & principium eſt, vnde non dico temerè arripi, ſed prudenter obſeruari Dialecticæ præcepta omnia deceat. Conſideretur igitur quid ea res eſt, & cuiuſmodi, quam homines ſignificant his vocabulis, genus, generalis, generaliter, generatim: ſpecies, ſpecialis, ſpecialiter, ſpeciatim: hoc obſeruato, hoc poſito (quod inficiari niſi malitioſe nemo poſſit) genus id omne dicemus, quod cõmunione ſuiipſius ſimiles partes complectitur, ſpeciem partem generi ita ſubiectam: ſic Plautus ait, Iuppiter qui genus colis aliſque hominum: & Cicero, Dum genus hominum extabit, ait ſecunda Philippica. & idem, cùm de ſe poſt reditum loquitur, Meſſinius legem ſpeciatim de mea ſalute promulgauit. Sic generalis & ſpecialis quæſtio dicitur à Quintiliano: ſic generaliter aliquid, & ſpecialiter ſæpe dicitur. Cicero de inuentione, Nam genus eſt, quod plures partes cõplectitur, vt animal: pars eſt, quæ ſubeſt generi, vt equus: ſed ſæpe eadẽ res alij genus, alij pars eſt: nã homo animalis pars eſt, Thebani & Troiani genus: ſic Seneca hominẽ animalis ſpeciẽ dicit, genus autẽ Catonis Cicerones, Lucretij: itaque ait de homine, quia cõtinet multa, in genus cadit: quia ſub alio eſt in ſpeciẽ: ſic iurecõſulti loquũtur: cũ hominẽ genus, Stichũ & Pãphilũ ſpecies appellãt: quæ de re lex eſt de ſtipulationibus, in quibus aliàs ſpecies, aliàs genera deducuntur: ſic iidem loquuntur, cùm aiunt in mutuo recipi nõ

eandem ſpeciem, ſed idem genus: Vbi iureconſulti eleganter appellant eãdem ſpeciem, & idem genus, quod vulgus Ariſtoteleum, idem numero & idem ſpecie dicit. Socratem enim & Platonem Ariſtotelei dicũt numero differre, non ſpecie: & eſſe duo indiuidua, ſpeciem vnam: melius iureconſulti, qui duas quidem ſpecies, genus autem vnum vocant. At malim veri & proprij ſermonis vſum à iureconſultis, id eſt reipublicæ principibus, quàm à ſcholis inertium philoſophaſtrorum petere. Quòd ſi Ariſtotelei dicant (nil enim erubeſcunt, modò tueri ſe poßint) Plautum, Ciceronem, Senecam, iureconſultos parum acutè διαλέγεσαι, *attamen hoc mihi concedant, eos homines purè & eleganter loqui, cũ hominem genus dicunt Catonis, Catonem ſpeciem hominis: quod ad* ἀπόδειξιν *meam concludendum ſatis eſt: Doceo enim vſu populari & naturali, id eſt vnico Dialecticæ artis authore, & magiſtro ſingulari, probari hanc orationem. Homo eſt genus Catonis, Cato ſpecies eſt hominis. Attamen ne ſe querantur Ariſtotelei parum acutis dialecticis iudicibus victos & ſuperatos eſſe, proferam illis authorem eum philoſophum, quem philoſophorum omnium principem, & Homerum conſtat fuiſſe: Platonem dico. Quid igitur Plato? An ait hominem Socratis eſſe ſpeciem, vt Ariſtotelei fabulantur? Imo verò & planè, & clarè, & frequenter dicit hominum genus, vt dicit genus animaliũ: & in Regno* ἀξίωμα *eiuſmodi confirmat, quo neceſſe ſit omnes has Ariſtoteleorum ineptias euerti: Quicquid eſt alicuius ſpecies (ait) eiuſdem quoque pars ſit neceſſe eſt;*

cuius ſpecies eſſe dicitur. Quid eſt igitur, Ariſtotelei, an cum ſpeciem, id eſt εἶδος fingitis, quæ partes indiuiduas habeat, Platonis iudicio ſpecies erit earum rerum, quarum totum eſt? at contrà hic affirmat, & vos condemnat: & ſi quo alio loco hominem Socratis ſpeciem, id eſt ἰδέαν diceret: certè typum ipſum diceret, vnde indiuidua (quæ vocant Ariſtotelei) velut ectypa formarentur: quomodo ſæpe & generales, & ſpeciales rerum notitias, ἰδέας appellat: quo pacto etiam nominare poßis animal ſpeciem hominis, & quoduis genus ſpeciem ſubiectarum ſibi partium: quia ex eo velut ex ore aliquo quaſi imago & ſimilitudo ducatur, & exprimatur. Verùm aliud eſt ſpecies, cui opponitur effigies & imago: quomodo loquitur in oratore Cicero; Perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo videmus: effigiem auribus quærimus: aliud ſpecies, quæ generi ſubiecta dicitur, & tanquam pars in toto comprehenſa. Agite verò miſſos & poetas & oratores & iureconſultos, quin Platonem ipſum Ariſtotelei miſſum facite, Ariſtotelem potius audite, qui quarto capite primi libri de partibus animalium, vbi de genere & ſpecie loquitur, noſtrum hunc ſermonem, & ſenſum ſuo ſermone
" ſenſúque confirmat: Sed cùm vltimæ ſpecies ſub-
" ſtantiæ ſint, quæ quidem ſpecies nullo ſpeciei diſ-
" crimine differant, vt Socrates, Coriſcus, efficitur
" profectò vt vel vniuerſalia explicari prius, vel i-
" dem ſæpius dicere neceſſe ſit. Hoc loco vocat Ariſtoteles ſpecies, Socratem & Coriſcum, & Græcè ea-

dem modo loquitur, qui ἔσχατα εἴδη nominat. Nihil igitur hîc turbetur, dialectica ſignificatio in dialecticis, & dialecticè tractetur: de ſpecie autem loquimur, quæ confertur cum genere. Vbi verò exceptis Ariſtoteleorũ ſcholis dialecticum genus huius ſermonis audietur? Homo eſt ſpecies Platonis: Platanus eſt ſpecies huius arboris: Smaragdus eſt ſpecies huius gemmæ: non contrà potius? Plato eſt ſpecies hominis, hæc arbor eſt ſpecies Platani, hæc gemma eſt ſpecies Smaragdi. Intellecta autem hac propria generis & ſpeciei natura, diſtinguendus abuſus erit: quo modo generis vocabulum pro ſpecie vſurpari ſoleat, vt animalium genera multa ſunt, cauſſarum tria genera, item generatim, pro ſpeciatim. Virgilius ſecundo Georg.

Quare agite ô proprios generatim diſcite cultus.

Speciei nomen nunquam pro genere, nunquam ſpecialis pro generali: ſæpe etiam & genus & ſpecies pro modis quibuſdam, quales ſunt in partibus ſubiectis atque adiunctis. Scio diſtinctiones hîc Ariſtoteleis non defuturas: verùm nihil hîc ſine vſu, ſiue naturalis & humanæ conſuetudinis exemplis: qui modus, qui finis eſt Dialectica, recipio: vſus ille magiſter eſt, qui artem ſibi ſubiectam docuit. Eſt igitur nomen generis vniuerſum, ſpeciei ſingulare: illud totum quidem multarum partium, hoc partem in toto comprehenſam ſignificat: vt genus naturali quadam relatione multiplicis ſpeciei totum, ſpecies eadẽ ratione pars generis habeatur. Quod Porphyrius ſentit, cùm ait, Quòd genus ſit alicuius ſpeciei genus, & ſpecies alicuius generis ſpecies: præ-

pterea alterum alterius mutua ratione definiri:ſed alteram neſcio quam rationem contra omnem vſum & veritatem ſermonis Porphyrius commentus eſt, vel potius ab Ariſtotele mutuatus eſt:ſic enim videtur Ariſtoteles in Topicis ſentire. O nos miſeros Ariſtotelei, ſi hæc intelligimus, & ſtultiſſimas opiniones anteponimus veritati?miſeriores,ſi non intelligimus,quibus tot annos in hoc miſero luto volutatis nunquam venerit in mentem cogitare quorſum hæc diſcerentur, quibus in rebus horum præceptorum vſus verſaretur:quis fructus inde perciperetur. Proferant Ariſtotelei,Homeri, Demoſthenis & probatorum authorum exempla: redeant ad vſum dialecticæ magiſtrum: tum germanos artis huius doctores agnoſcam,ſi doceant exemplis humani vſus hominem perpetuò dici ſpeciem Socratis,genus autem dici nunquam: hoc enim illis vt me refellant, conuincendum eſt: verùm id nunquam facient: ſentẽtiam enim meam & Latinis & Græcis exemplis affirmaui. Quid deinde? Quartum caput eſt de differentia:hoc prædicabile quarta particula eſt vnius noſtri:de quatuor enim cauſſarum generibus vna eſt forma,quam Porphyrius differentiam vocat. Quid igitur Porphyrius? quomodo definit? Differentiam Porphyrius appellat ſuis verbis, quod in quale quid eſt prædicatur:Id verò multò commodius ad vſum inuentionis forma,quàm differentia nominaretur:Differentia autẽ nomine diſſimilitudo à Cicerone dicitur: & propriè nomen hoc in comparationis genere ſumitur: & Ariſtoteles primo topico quanquam pro forma dif- De differentia.

ferentiæ nomine abutitur, tamen cum de inſtrumentis loquitur, vſus veritate inductus opponit ſimilitudini, & tacitè diſsimilitudinem appellat. Porphyrius autem ſimpliciter, non comparatè differentiam conſiderat, vt id ſit quo vnaquæque res eſt, id quod eſt, & à cæteris diſtinguitur rebus: Sic rationale, hominis differentiam ait, quia homo, quòd rationalis ſit, differt à bellua & cæteris rebus. Id verò, vt dixi, commodius

Obiectio. *forma rei, quàm differentia diceretur. At forma prædicabilis rationem non habet, dicet Ariſtoteleus aliquis: differentia autem quatenus prædicatur, differentia eſt. Vereor ne leuiter facere videar, qui tam fatuis ſomniis reſpondeam. Dialectica ars, vt è medio tota ſumi, ſic populariter declarari debuit. Verùm Ariſtotelei nouum genus ſermonis commenti ſunt, prædicabilium, prædicamentorum, prædicationum, prædicatorum: atque ad has leuiſsimas orationis & ſermonis accidentias totam penè Dialecticam tranſtulerunt: quibus niſi vtamur, totam dialecticam periiſſe exiſtimabunt. Si dixero formam conuenire rei, cuius forma eſt, vt lapidis formam, lapidi: Socratis, Socrati: perſpicuè, & intelligenter loquor: ab Ariſtoteleis tamen reprehendar, ad quorum legem dicere debui: Differentia prædicatur, aut eſt prædicabilis, aut prædicationem facit, aut aliquam denique huius nouæ elegantiæ ſpeciem ſequi, qua & genus, & ſpecies antea, & nũc differentia obſcuratur. In proprio, & accidente (quæ ſequuntur) iſta bella prædicandi ſeu prædicationis ſapiẽtia non adhibetur: quãuis ea tamen prædicabilia Ari*

ſtotelei appellant. Verùm deſinamus aliquando pueri eſſe, & ſpectemus quid finis, quid vſus, quid vtilitas doctrinæ ferat, & conſideremus hoc an illo ſermonis genere plus vtilitatis, plus ſapientiæ conſequamur. At Ariſtoteles ita vocauit, ais: Ergo Ariſtotelee mi, dãnata veritate per omnes ſaltus, aſperitates, ſalebras Ariſtoteles ſequendus eſt? Hìc diſtinctionum, id eſt abuſionum miriadas paratas eſſe ſcio: at in artium traditione captioſam illam ſubtilitatem nolo: definitam perſpicuitatem volo, & vt progreßionis facilem viam laudo, ſic malitioſam erroris occaſionem vitupero. Si formæ in diſtinguendis definiendíſque rebus vtilitas vlla eſt, cur non tanta quæritur, quantam vſus naturáque rerum ferre poteſt? At videmus omnium rerum, ſeu vniuerſalium, ſeu ſingularium naturale quoddã definitúmque diſcrimen eſſe, quod cum poßit, & debeat appellari forma, cur potius inuerſo fine res verbis, quàm verba rebus, quibus explicandis inuenta ſunt, cedent atque inſeruient? Duo reliqua prædicabilia ſunt, proprium & accidens. Significationes proprij quatuor recenſentur, ſimillima videlicet ſapiẽtia, qua generis, & ſpeciei ſignificationes enumeratæ ſunt. At ſi definitum eſſet initio, vt decuit, proprium: ſanè optima & conuenientißima ſignificatio ſine hac inani tot ſignificationum inductione perciperetur. Pari iure duæ ſunt accidentis definitiones factæ, cum res tamen vnico tantum modo perfectè definiri poßit, & è duabus definitionibus alteram vacare neceſſe ſit. Sed Ariſtotelem magiſtrum Porphyrius hìc ſequutus eſt, qui

Obiectio.

De proprio.

De accidente.

primo Topico duas iſtas accidentis definitiones adhibuit. Hæc autem prædicabilia duo, vt breuius quàm ſuperiora, ita minus obſcurè confuſéque tradita ſunt: proprium tamen argumenti nullum genus eſt, non magis quàm cōmune. Ea verò affectio, quam Porphyrius proprium vocat, ex adiunctis rei eſt: per accidens effecta, & (proprio exemplo) adiuncta omnia ſignificat Porphyrius, ineptè tamen: melius enim & diſtinctius facta & adiuncta dicuntur, quàm accidētia. Cùm enim ſic loquimur, Cato eſt prudens & fortis, Xerxes ſtultus & timidus, Cato ſibi manus attulit, Xerxes maria ambulauit, terras nauigauit: fortitudinem, ſtultitiā, timorem, ſe interficere, copias armare, ambulare, nauigare, ſermo noſter appellat non accidentias, ſed circunſtantias & facta: ea enim dicuntur accidere, quæ caſu eueniunt. Tollendum igitur nomen accidentis è locis inuentionis: adiunctorum & factorum vocabulum retinendum, quia naturæ & vſui conuenit: illud repugnat. His tam tenebricoſis ſophiſmatis nouæ & quidem incredibili genere fatuitatis ineptiæ accumulantur: communitates & differentiæ prædicabilium ab authore ſuo nominantur: quid inter ſe commune, quid differens quæque prædicabilia habeant. Hîc mecum Ariſtoteleі conſiderate, quid philoſophus iſte ſacrilegus & impius ſibi velit, an non ex his tam fatuis nugis æſtimare poſſumus, cùm in Chriſtianos petulantem & furioſam linguam exacuit, amentem eum & vecordem fuiſſe? Facite in alienis exemplis periculum, cum Donatus octo partes orationis expoſuiſſet, ſi tam

De cōmunitatibu prædicabilium.

longam orationem conſumeret in dinumerandis communitatibus & differentiis nominis, pronominis, verbi, aduerbij, participij, præpoſitionis, coniunctionis, interiectionis, quàm in ipſis partibus exprompſerat, quis fatuitatem eam ferret? quis pueris ediſcendam eſſe cenſeret? facite idem in Arithmetica, in Geometria, in ciuilibus legibus periculum, an Porphyrio ſophiſtæ eſſe licet it impunè, cæteris ſine reprehenſione non licebit? Atque Porphyrij prædicabilia quinque ſunt ita expoſita, vt genus & ſpecies falſò definiatur: vt forma, vt facta, adiuncta alienis nominibus & impropriis differentiæ, proprij, accidentis confundantur. Ex mille autem atque amplius ſenariis verſibus (qui inſtitutione Porphyrij conſumuntur) ſi decem tantum ſeparaueris ad hæc vocabula quinque definienda, cætera Porphyriana planè erunt, id eſt ſophiſtica ac nugatoria. Verùm enimuero paulò altius iſta diſputemus, capita ſingula percenſuimus, & quæ inutilia in iis eſſent oſtendimus: quæ Porphyrius omiſerit iam conſideremus: de duabus ex deſcriptione artis poſitis quæſtionibus altera expedita eſt, quænam hîc Porphyrius confuderit: reliquam aggrediamur, quàm multa prædicabilia Porphyrius omiſerit, ad quam explicandam, doctrinam vniuerſam plenius & verius expendamus: & prædicabilia Porphyrij cum noſtris prædicabilibus, tota cum totis cõparemus: melius enim & clarius ex vniuerſali iſta contentione, rerum diſsimilitudo differẽtiáque percipietur. Nos inuentionem dialecticam definiuimus: inuentionem ſibi Porphyrius definiendam de in-

Quæſtio ſecũda de arte prædicabilium.

Quàm multa neceſſaria à Porphyrio omittantur.

duſtria nullam propoſuit: hoc tamen non arguo, neque enim Porphyrio tantam laudem tribuo, ut eum de re tam excellenti certum quicquam cogitaſſe exiſtimem. Attamen ex eius verbis deprehēdo eum cæco quodam errore mentis imprudentem & caligantem (ut de Ariſtotele in diſtributione inuentionis & diſpoſitionis diximus) huc incidiſſe: omnia enim ſibi propoſuit explicanda, quæ de re propoſita dici poſſent: quæ propoſitio rectiſsima erat, & ad explicandam inuentionis doctrinam prima. Nos partimur in genera & ſpecies partéſque omnes, quas omni ſtudio conſequi potuimus, ut decem certa genera laudanda quidem & prædicabilia complectamur: cauſſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, partes, finitiones, teſtimonia: Porphyrius vagando & errando ita partitur, ut diſtincta illa genera mille tenebris conturbet & confundat. Diuidit enim ſecundum grammaticam nominis accidentiam in vocabula propria & com- » munia. Verba Porphyrij ſunt, Eorum quæ prædican- » tur alia quidem de vno dicũtur ſolo, ſicut indiuidua, » ut Socrates, & hic & hoc: alia verò de pluribus, quẽ- » admodum genera & ſpecies & differentiæ, & pro- » pria, & accidentia communiter, ſed non propriè ali- » cui. Hæc Porphyrij verba ſunt, quibus indicat ſe ſomniantem & ſtertentem in aliquam inuentionis dialecticæ rationem incidiſſe, cùm cogitaret deſcribere, quæ de re propoſita dicerentur. Argumenta enim omnia, & cauſſæ, & effecta, & ſubiecta, & adiuncta, & diſſentanea, & collata, & nomina, & partes, & fini-

tiones, & teſtimonia de re (qua de agitur) dicuntur aut per ſe, aut (vt Ariſtotelicè loquar) denominatiuè. Porphyrius igitur ſummam quandam comprehenſionem inuentionis dialecticæ erat amplexatus, ſed confuſam, & indefinitam, & omnino ignotam, qualia dormientibus viſa quadam inuoluta, & implicata ſeſe ſolent oſtendere. Itaque Porphyrius illud ipſum quod ita viderat, explicare definiendo nō potuit: partitus autem eſt non multò diligentius, in nomina propria & communia: hæc grammatica nominum, & vocabulorum accidentia, & qualitas eſt: ſic enim grammatici nomina partiuntur, vt alia ſint propria, alia ſint appellatiuæ qualitatis: dialectica autem doctrina eſt rationis & inueniendæ, & diſponendæ: ſermonis nullam curam habet, hoc grammaticæ totum & proprium eſt, quare grammaticus iſte dialecticus vehementer errat, quòd dialecticam in grammaticas vocabulorum circunſtantias ita fatuè compingit. Sed tamen multò fœdius, & turpius labitur, quòd ex omni numero prædicabilium, ſex tantum faciat, indiuiduum, genus, ſpeciem, differentiam, proprium, accidens? Nam cùm genus & ſpeciem, & differentiam è noſtris prædicabilibus, generi, ſpeciei, formæ: proprium adiunctis, accidens factis atque adiunctis comparaueris, & in ſuis locis conſtitueris, in reliquis ſedibus tot argumentorum, id eſt, prædicabilium noſtrorum finis, efficientis, materiæ, ſubiecti, diſſentanei, collatorum, nominis, partium, finitionum, teſtimoniorum (hæc enim omnia, vt dixi, prædicabilia ſunt, & de re propoſita,

aut per ſe,aut denominatiuè,vt ipſa Porphyrij prædicabilia,prædicantur)hîc inquã,tam multis prædicabilibus quæ prædicabilia Porphyrij reſpondebũt? tot ſubſellia è regione vacua,atque inania,quibus rebus explebũtur? Nos igitur non euertimus prædicabilium doctrinã,qui tot eam partibus augemus: ſed Porphyrius perdit,qui tã multas eius, tâmque neceſſarias inſtitutiones omittit. Vbi eſt enim apud Porphyrium primus ille noſter tã celebris,tamq́; prædicabilis locus,quo finis,efficiens,materia declaratur? Vbi tertius,quo ſubiecta deſcribũtur? Vbi quintus,quo diſſentanea diſtinguũtur? Vbi ſextus,quo genera tã variarũ collationũ explicantur? Vbi ſeptimus,quo nominum notationes,& coniugationes exprimuntur? Vbi octauus,quo totum partéſque diuiduntur? Vbi nonus,quo res naturæ ſuæ lumine perluſtrantur? Vbi decimus,quo dubiæ res teſtimoniis & authoritatibus aſſeruntur? Vbi ſunt inquam, apud Porphyrium,tot támque prædicabiles argumentorum loci? Porphyrius aut ſuſtulit,aut ignorauit:omiſit certé. Quod ſi ita dixiſſet, eorum quæ dicuntur de re propoſita, alia ſunt cauſſæ, alia effecta, alia ſubiecta,alia adiuncta, alia diſſentanea, alia comparata, alia nomina,alia partes, alia finitiones, alia teſtimonia, id certè enumeraſſet, quod illa caliginoſa & nebuloſa viſione comprehenderat. At dicet Ariſtoteleus aliquis, cur hæc in eo reprehendis, quæ non declaranda ſumpſerat? Voluit enim gratia prædicamentorum Ariſtotelis quinque vocabula declarare: quod fecit,& diligenter,& vtiliter. Sic videlicet Porphy-

Obiectio.

rius Ariſtoteleus à ſociis Ariſtoteleis defendetur. Verùm non quid Porphyrius voluerit, ſpectandum mihi eſſe arbitror, ſed quid ſequi debuerit. Voluiſti peccare, an idcirco excuſaris? non acerbius damnaris? Ita cum obiicis mihi, non hoc voluit, quod ais: at velle debuit, inquam, vt rectè explicaret, quod ſophiſticè perdit. Sed tamen quid Porphyrius voluerit, quàm diligenter, quàm vtiliter egerit, non arbitror ab Ariſtoteleis mihi potius, quàm à Porphyrio ipſo cognoſcendum. Porphyrius ita proponit, vt dixi, ita partitur, vt dixi: nihil Ariſtoteleorum more comminiſcor: teſtimonia Porphyrij, & verba profero. Quod autem prædicamentorum tantum gratia ſcripta ſint à Porphyrio prædicabilia, falſum planè eſt, & à Porphyrio refutatum, qui initio ait prædicabilia eſſe neceſſaria, non ſolum ad prædicamenta, ſed ad definitiones, demonſtrationes: quibus verbis indicat totam ferè dialecticæ inuentionis vtilitatem, ſed confuſe, & inuolutè, vt totam antea inuentionem comprehenderat: omnia enim argumenta adhibentur ferè ad definiendum, partiendum, demonſtrandum: quarum trium rerum vtilitas vel minima, tota Porphyrianorum prædicabilium doctrina maior eſt. Quare valeant Ariſtoteleorum tam ineptæ ad Porphyrium defendendum nugæ. Atque hîc Ariſtotelei mementote, quod in ſingulis inuentionis Ariſtotelea libris me quæſiturum antea in diſputatione de quæſtione recepi, genus, ſpeciem, formam, facta, adiuncta, quæ à Porphyrio confunduntur, nihil habere Ariſtotelei problematis cuiuſquam proprium: ſed

Confectariũ de locis problematis communibus.

tota illa argumentorum generalia conſilia, omnium quæſtionum eſſe communia. Reliqua eſt expoſitis tribus quæſtionibus, de Ariſtoteleorum in his prædicabilibus vſu, & exercitatione quæſtio. Vos igitur Ariſtotelei Porphyriani quid? quem vſum, quem fructum de Porphyrij prædicabilibus petitis? quomodo vos? quomodo iuuentutem hîc exercetis? quos oratores, quos poetas, cuius doctrinæ doctores Porphyrij præceptis explicatis? quæ thetica in veſtris ſcholis ſcribendo, declamando, colloquendo diſputatis? Hei miſero mihi, qui ætatis meæ bonam maximámque partem in his miſeriis tam miſerè collocaui. De prædicabilibus tota Ariſtoteleorum ſchola clamantes, & altercantes perſtrepunt: hoc magiſtri non ſolum diligenter & laborioſe, ſed etiam vehementer, & iracundè, plerunque etiam contumelioſe faciunt: hoc diſcipuli in magiſtris admirantur, condiſcunt, imitantur: Ita clamoſa iſta Porphyrij prædicabilia inuenta, ſcilicet creditis, vt de iis tantopere tam multis clamoribus clametur. Quid ergo? dicet Ariſtoteleus aliquis, præcepta cognoſci non vis? imò verò exquiſitè doceantur, diligenter vel ad verbum ediſcantur: hoc quidem vehementer laudo & probo: verùm vſus eorum aliis in rebus quæratur: exerceantur in iis negotiis explicandis, & expediendis, quorum gratia fuerunt inuenta. Puer cognoſcat grammaticam, fructum grammaticæ ne quærat in clamore de grammaticis præceptis, & altercatione: diſcat arithmeticam, geometriam, diſciplinas liberales & ingenuas: exerceat porrò in rebus ſeriis, in exemplis vtilibus: nec vllā

Quæſtio tertia de vſu.

Obiectio.

artem ad clamandum de ſe ipſa repertam & inuentam exiſtimet. Non exercuit Ariſtoteles viuus dialecticam in clamoribus de dialectica, ſed in theſi de ciuilibus, & honeſtis exemplis. Hoc in Ariſtotele tantum, & tam ſingulare exemplum, quod maxime, & pene ſolum in eo philoſopho dialecticis erat ſpectandum, contemnitis. Conſiderate quæ ſint, & cuiuſmodi, quæ de vſu diſputo, non voco vos ad ſophiſticum clamorem, vt Ariſtotelicè de theſi atque, vt dicitis, poſitione ex prædicabilium tricis inſtituta clametis, vt diſtinctione aliqua Ariſtotelica veram ſententiam conturbetis, ſed admoneo, vt modeſtè æſtimetis, non ſit melius explicare ſemel ex naturalis vſus obſeruatione quid ſit genus, quid ſpecies, quid forma, quid effecta, quid adiuncta, & vbi ſic explicata fuerint, per omnes talibus præceptis propoſitæ materiæ partes vſum eorum pertractare: quod nos facimus docendo iuuentutem, & quotidianis laboribus in omni genere humanitatis exercendo: quàm ex ſcholaſticis falſis & nugatoriis opinionibus vitioſe conturbare, & ſic conturbata ad vanas, & inutiles, & omnis humanitatis expertes altercationes referre: quod Ariſtoteles & Porphyrius in libris, vos in ſcholis veſtris efficitis.

Ariſtotelis viui cõſuetudo.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber quartus.

De Prædicamentis.

AT in prædicabilibus nimiũ diu moramur, ad prædicamenta veniamus, Ariſtoteles Græcè κατηγορίας vocat: ſed ſcholaſtica vocabula (quoniam cum ſcholaſticis hominibus certamen nobis eſt) retineamus, ſicut antè ſumus polliciti: ad prædicamenta igitur veniamus, ac per Deum immortalem æquis, & veritatis, non contentionis cupidis animis veniamus: Dialectici eſſe, quàm Ariſtotelei malimus. Atque id recordemur quod antea monuimus, artes & præcepta ipſa non agere, ſed agendi conſilium dare: & omiſſa pertinacia de prædicamentis quæramus. Ariſtoteles decem prædicamenta proponit, ſubſtantiam, quantitatem, relationem, qualitatem, actionem, paſſionem, locum, tempus, ſitum, habitum: nos quoque (liceat enim nobis iiſdem in rebus nominibus iiſdem, cum Ariſtoteleis duntaxat vti) decem prædicamenta proponimus, cauſſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, tributiones, finitiones, teſtimonia: numero prædicamentorum conuenit inter nos: genere & qualitate multum intereſt. Hoc igitur diſputandum, & premendum diligenter eſt, vtra prædicamenta Ariſtotelis, an noſtra,

magis dialectica propria, magis vtilia ſint. Atque hoc initio propoſitum noſtrum de prædicamentis Ariſtotelis ponimus: multa non neceſſaria prædicamenta ab Ariſtotele confundi, multa propria, & neceſſaria prætermitti. Quamobrem ad primam quæſtionem, de confuſione inutilium in prædicamentis Ariſtotelis rerum confirmandam, ſingula Ariſtotelis capita, vt vulgo diſtincta ſunt in ſchola, recenſeamus: deinde cùm de ſingulis ſatis commodè diſputatum erit, ad ſecundã de neceſſariis rebus omiſsis quæſtionem, vniuerſam Ariſtotelis doctrinam cum noſtra vniuerſa conferamus. Sic facile de prædicamentis & Ariſtotelis & noſtris iudicium erit. Quare ad primam quæſtionem, de perturbatis inutilibus rebus accedamus. Capita quædam prima, vulgo antepraedicamenta nominantur: ex his primùm eſt de vniuocis, æquiuocis, denominatiuis. Recepi enim me verbis Ariſtoteleorum vſurum, quo res plenius intelligeretur. De æquiuocis, id eſt ambiguis, & varios ſenſus habentibus verbis aut ſingulis aut coniunctis notari poteſt aliquid in exercitatione: ſicut tertio inſtitutionum noſtrarum libro fecimus: quia poſſunt eſſe argumenta ambigua, & ſyllogiſmi partes ambiguæ. Vniuoca nihil neceſſe eſt in arte dialectica definiri, non magis quàm perſpicuum, aut conueniens: quorum contraria tamen obſcurum & alienum tam ſunt in vitio, quàm ambiguum: hoc igitur primum in ſuperuacaneis numeretur. Denominatiua, vt à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis, aliquid habent cum loco coniugatorum commune, nec enim

Quæſtio prima de arte prædicamentorum.

Quàm multa non neceſſaria ab Ariſtotele cõfundantur.

Vniuoca, æquiuoca.

Denominatiua.

omnino cõſentiũt: multa enim cõiugata ſunt, quæ non ſunt denominatiua: nulla ſanè denominatiua, quæ cõiugata non ſint. Quare inutile eſt in dialectica præcipere de denominatiuis, ſi coniugata rectè exponantur, & hoc ſecundum in prædicamentis Ariſtotelis redundat. Secundo capite genera duo proponũtur complexa, vt homo currit: incomplexa, vt homo, currit. Quod dialectica omnino nihil eſt: neque enim dialectica verborum eiuſmodi, aut orationis rationem habet, ſed argumentorum & inueniendorum, & ſyllogiſmo, aut methodo diſponendorum. Didicerit puer linguam populi, cum quo verſatur: à grammatica puritatem ſermonis, à rhetorica ornatum orationis ſibi parauerit: tum ſanè cùm ad dialecticam accedet, præceptis iſtis non egebit: ſciet, Homo currit, orationem eſſe: homo, & currit, partes eſſe orationis. Atque hæc complexorum & incomplexorum diuiſio, quia nihil prorſus inuentionis, quid nil diſpoſitionis habeat, tanquam aliena ab arte dialectica reiiciatur, & in ſuperuacaneis numeretur. Ariſtotelis errores infiniti ex eodem fonte redundarunt: quia nullam certam ſibi materiam artis huius propoſuit. Itaque in dialecticis & grammatica & phyſica & mathematica temerè congerit, & quicquid illi in buccam venerit, effundit. Eodem capite partitio alia eſt, quòd quædam dicantur de ſubiecto, in ſubiecto non ſint: quædam in ſubiecto ſint, & de ſubiecto non dicantur: quædam de ſubiecto dicantur, & in ſubiecto ſint: quædam neque ſint in ſubiecto, neque de ſubiecto dicãtur. Quæ partitio in dialectica inutilis eſt: nullas enim

Cõplexa & incomplexa.

De ſubiecto dici, & in ſubiecto eſſe.

partes inuentionis, nullus diſpoſitionis indicat, ad quas tamen omnes dialecticæ partes ſunt referendæ: eſt autem ex vaniſſima dictionis accidentia, de qua ſuperiore diſputatione dictum eſt, quomodo de dictione dictio affirmetur: vnde Ariſtoteles & Ariſtotelei artem prædicabilium, prædicamentorum, prædicatorum commenti ſunt, & hanc Ariſtotelei ſermonis ſophiſticam ſpeciem per totam Dialecticam diſperſerunt, vt nihil in logicis Ariſtotelis ferè ſit, non his prædicandi & prædicationis tricis & apinis inuolutum, cùm tamen dialectica verè deſcripta rationis tota ſit, ſermonis & dictionis nullam curam, nullam regulam habeat, ſed à grammatica vel rhetorica id totum ſumat, & iſta eſt ſubiectæ & propoſitæ dialecticis præceptis materiæ Ariſtotelica ignoratio. At facta eſt iſta partitio (inquiet Ariſtoteleus aliquis) vt ordo prædicamentorum ſecundum eam deſcriberetur: in vnoquoque enim prædicamento ſuperiora de ſubiectis & inferioribus dicuntur. Nihil acerbius reſpondeo: tantum moneo, vt ſi poſtea cognitum ſit, prædicamentis Ariſtotelis nullam dialecticam doctrinam doceri: ſed doctrinæ confuſionem tradi, fateantur Ariſtotelei hanc partitionem inanem & nugatoriam eſſe: illud autē mox conſtabit: hoc igitur totum caput in rebus inanibus & inutilibus numeretur. Tertio capite ex hac egregia partitione duæ regulæ oriuntur. Prior eſt, Quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque de eo quod prædicatur, dicuntur: omnia etiam de ſubiecto dicentur. Poſterior eſt, Diuerſorum generum Obiectio.

& non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ. Hæ inquam regulæ ex illa prædicationis & ſubiectionis Ariſtotelica infantia deductæ ſunt: vera quidem, ſed inutiles & vanæ. Neque enim ſequitur, ſi quid verum eſt, protinus eſſe vtile, protinus in artis præceptis ponendum eſſe: multa enim mala vera ſunt. Conſtare debet ars legibus & inſtitutis non ſolum veris, ſed multo magis vtilibus. Hæ autem regulæ generis legem quandam indicant, cuius proprium eſt partes habere, & de his affirmari: & tales ex omnibus argumentis innumerabiles maximæ (quæ vulgo dicuntur) exponi poſſunt: ſed inutiliter in præceptis ponuntur. Teneantur definitiones argumentorum & virtutes communes perceptæ ſint, infinitæ eiuſmodi regulæ fingi, quoties opus erit, poterunt: nec iudicij quicquam hæ regulæ adferunt. Vna enim & ſola ſyllogiſmi regula omne veri iudicium continet, & ſyllogiſmi leges ſequuti falli nunquam poſſumus. Has autem (vt Ariſtotelicè loquar) antepredicamentales regulas ſequuti, falli & labi poſſumus. Aggregetur igitur & hoc caput ad ſuperuacua & inutilia. Quarto capite diuiſio fit rerum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, in decem partes: ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, vbi, quando, ſitum eſſe, habere, agere, pati. Hîc Ariſtoteles dictiones ſimplices diuidit in decem genera, dictiones (inquam) diuidit, vt tota prædicamenta dictionum & vocabulorum gratia, ficta videantur. Scio ſcholaſticas Ariſtoteleorum & Græcorum, & Latinorum rixas hac

Prædicamenta dictionum gratia.

de re, quòd alij dicant nominum eſſe prædicamenta, alij rerum, alij intellectuum, alij horum omnium. Vnde quondam nobilis illa celebríſque ſecta Lutetiæ extitit nominalium & realium. Et nunc nuper Bernardus quidam Italus conſimili ſapientia totam penè Italiam cõmouit. Nã cùm æditis ea de re commẽtariis prædicamenta logicæ negaret eſſe, eáque metaphyſicæ ſubiiceret, omnes Ariſtotelici profeſſores Itali contrà clamare, & ſcribere cœperunt, vt ex hoc egregio argumento libris & ad cõfirmandum & refellendum compoſitis, opus iliade maius collectum & diuulgatum ſit. Sed de prædicamentis hoc tempore, de metaphyſicis, poſtea cũ de ſeptimo topico agetur. Verùm Ariſtotelẽ audiamus, qui diuidit dictiones in cõplexas & incõplexas: deinde in eas quæ dicuntur de ſubiecto & non dicuntur: poſtremò eas quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, ita diuidit in partes decem, vt dicat ſignificare aut ſubſtantiam, aut quantitatem, & cætera: audiamus inquam Ariſtotelem in his tribus partitionibus dictiones & vocabula partientem: eiuſmodi enim oratio verborum, non rerum eſt. Atque hæc Ariſtotelis anteprædicamenta ſunt, quæ nominantur, quibus auditor ſcilicet ad intelligentiam prædicamentorum comparatur, nempe vt intelligat decem prædicamentis dictionum ſimplicium genera diſtingui. At dictionum, vt iam ſæpe dixi, dialectica non eſt, ſed rerum & inueniendarum & diſponẽdarum. Verùm de tam cæco errore in ſingulis totius libri capitibus, & tandem vniuerſè planius & apertius diſſeremus. Summa

igitur quæſtio iſta pauliſper differatur, & concludamus in antepradicamentis, dialecticæ nihil eſſe proprium, niſi quod de æquiuocis & ambiguis ex hac confuſione fortè poßit excerpi. Videamus igitur in ſingulis prædicamentis, quænam ratio præſcribatur ſimplicium dictionum inter ſe diſtinguendarum: An generalis tantum, & communis, ut diſtinguamus ex prædicamentis dictionum ſingularum generales ſignificationes, ut hæc ſubſtantiam, illa quantitatem, aut aliquid reliquorum generum ſignificet, nihil præterea: An non generalis tantùm, ſed etiam ſpecialis, & propria diſtinguendarum ſimplicium dictionum præceptio ab Ariſtotele tradatur: ut cognoſcamus, hac dictione non tantummodo ſignificari relationem, aut actionem: ſed huiuſmodi, ac talem relationem, & actionem. Multum enim intereſt utrum prædicamenta Ariſtotelis in decem genera dictiones ſimplices diſtinguant, in ſingulis autem generibus cōfundant: ut cum omnes dictiones relationum, actionum, paßionum, & cæterorum generum, hoc ipſo diſtinctæ ſint, quòd ſunt relationes, & ideo non ſubſtantiæ, aut quantitates: inter ſe tamen ipſæ relationum dictiones nullo modo ſint diſtinctæ, ſed confuſæ & perturbatæ. Multum inquam hoc intereſt, an dictiones ſimplices Ariſtotelis prædicamentis generaliter diſtinguantur, ſpecialiter ſint inter ſe confuſæ: an contrà non generaliter tantùm, ſed ſpecialiter quoque ſint diſcretæ. Hæc igitur in Ariſtotelis prædicamentis exquiramus: nec de Ariſtotele ex vanis interpretum commentis, ſed ex Ariſtote-

lis ipſius dictis, & ſcriptis ſtatuamus. Hîc vera prædicamenta incipiunt. Quintum caput eſt de ſubſtantia, primo quippe prædicamẽto: quod vt definitum in vniuerſum nuſquam eſt, ita ſubſtantia generaliter hoc capite nuſquam definitur. Hoc tametſi doctoribus diſciplinæ turpe eſt, tamen prætereamus, Ariſtotelicum eſt non definire. Subſtantiam non diuidit quidem primo loco duas in partes: ſed tamen duplicem tradit, primam & ſecundam: atque ita exponit, vt prima ſubſtantia dictio ſit ſignificans ſubſtantiam, ſed propriæ qualitatis, vt grammatici loquuntur. Secunda contrà, vt dictio ſit ſignificans ſubſtantiam, ſed appellatiuæ qualitatis. Ariſtoteles paulò aliter Ariſtotelicè videlicet, id eſt ſpinoſè & tenebricoſè loquitur. Sed tamen id Ariſtoteles loquitur. Sic antea Porphyrius prædicabilia partitus eſt, vt alia de vno, alia de pluribus dicerentur: & Ariſtotelis Porphyriíque partitio ex eadèm ſubtilitate atque elegantia eſt, grammaticæ nempe qualitatis. Quæ partitio, vt ex leuiſſima dictionis accidentia ſumitur, ita communiter in cæteras quantitatis, relationis, qualitatis dictiones conuenit. Sunt enim omnia nomina propriæ, vel appellatiuæ qualitatis. Subiecta dialecticis præceptis materiæ hæc Ariſtotelica ignoratio eſt. In hoc capite, ſubſtantiæ nulla alia partitio eſt, communitates quædam, & proprietates colliguntur. Prima, quòd nulla ſubſtantia ſit in ſubiecto. Secunda, quòd nulla æquiuocè prædicetur, quod ſecundum falſum cuipiam videri poſſit. Quid enim obſtat hominem de viuo, & picto homine dici? ſecus, quid

De ſubſtãtia.

Communitates ſubſtantiæ.

ait Ariſtoteles, quod non ſit omnium prædicamentorum commune? Tertia, quòd ſubſtantia videatur hoc aliquid ſignificare. Quarta, quòd ſubſtantiæ nihil ſit contrarium. Poſtremum autem hoc planè falſum eſt: Cõtraria. *ignis enim aquæ verè contrarius eſt, homo beſtiæ. Sunt enim res ſub eodem genere plurimum differentes: neque neceſſe eſt (quod Ariſtoteles ſomniauit) eidem ſubiecto viciſſim ineſſe, vt ſola accidentia contraria ſint: quaſi non ſit inter ſubſtãtias maior, & verior pugna, quàm inter accidentias. Et Ariſtoteles ipſe in phyſicis non fecerit ſubſtantias inter ſe contrarias. Scio pueros falli Ariſtotelica diſtinctione contrariorum dialecticorum, & phyſicorum. Sed doceri iuuentutem volo, nolo Ariſtotelis defendendi gratia decipi. Ratio contrarij vt generis, vt ſpeciei, vt ſimilitudinis, vt definitionis, vt ſyllogiſmi vna eſt, & ſimplex: neque phyſicis aut mathematicis immutatur. Tollantur illuſiones, & captiones. Quinta, quòd ſubſtantia non ſuſcipit maius, neque minus. Quid ita? Nónne & vita, & ſenſus, & rationis vis, & facultas in homine hoc, quàm in illo maior videtur? quæ ipſa tamen hominis ſubſtantia quædam eſt. Sexta, quòd contraria ſuſcipiat. Hæc Ariſtotelica ſubtilitas eſt, id eſt inanis, & ſuperuacanea in colligendis ſubſtantiæ conuenientiis. Talis erat Porphyrij vanitas in colligendis prædicabilium communitatibus & differentiis. Hoc Ariſtotelis primum prædicamentum eſt: quod cuiuſmodi ſit accuratius etiam ſpectemus: nam hîc dialecticum nihil eſſe contendo, aliena eſſe omnia, & planè inutilia. Grammatica non*

Caput de ſubſtantia nil habet dialecticũ

docet, hac vel illa de re propriè & eleganter loqui, ſed communiter omni de re quacūque ſit. Sic dialectica rectè tradita tota communis, tota generalis, tota vniuerſalis eſt. Argumentorum genera declarat in omnem quaeſtionem conuenientia, eadem diſpoſitionis communes leges, & in ſyllogiſmo, & in methodo demonſtrat. In generalibus autem artibus ſpecialis diſciplinae materies vitioſe deſcribitur. Non enim rectè cōcentus, & harmoniae ſpecies Arithmetica, nec rectè aſtrologicas ſyderum motiones Geometria traderet, cùm Arithmetica, & Geometria ſint artes, ſi Muſica & Aſtrologiae comparentur, generales: materies autem illa concentuum, & motionum caeleſtium ſpecialis. Subſtantia autem quae ab Ariſtotele primo praedicamento ponitur, certum rei genus eſt, Theologiae, phyſicae, medicinae, caeteriſque ſpecialibus corporearum, & incorporearum ſubſtantiarum artibus ſubiectum. Non eſt igitur dialecticae, de ſubſtantia praecipere. Simpliciter & apertè concludo, & hoc totum caput à dialectica alienum eſſe demonſtro.

Dialectica tota cōmunisin argumētorum inuentione & diſpoſitione.

Separatum rerū genus & inferiori diſciplinae ſubiectum in dialectica declarari nō debet, quia tota partibus omnibus omniū rerum communis eſt.
Subſtantia autem rerum ſeparatum & inferiori diſciplinae ſubiectum genus eſt, theologorum, phyſicorum, medicorum.
Subſtantia igitur non eſt in dialectica declaranda.

Et hoc eſt, quod tam multis locis reprehendo, Ari-

ſtotelem definitam & diſtinctam non habuiſſe materiam artis,quam ſequeretur: & totum fundamentum artis huius ignoraſſe.Verùm licet aliena hæc tota ſint, vtilitatem tamen videamus. Non enim propoſuimus ſolum demonſtrare,quòd Ariſtotelis prædicamẽta ſint falſa,aut aliena,ſed multò magis quòd inutilia.Quid igitur ſubſtantia? quam vtilitatem diſſerentibus afferet? Dictionum ſimplicium diſtinctionem oſtendet, aiunt Ariſtotelei.Bellam ſanè, & Ariſtotelis philoſophia dignam vtilitatem: nempe cùm noueris dictiones ſubſtantiam ſignificantes,vt ſunt Deus,homo,dæmon,arbor, lapis,Socrates,bucephalus:tum ex doctrina Ariſtotelis has dictiones acutè diſtingues: dices enim alias eſſe propriæ,alias appellatiuæ qualitatis.Hoc Ariſtotelis dialecticum conſilium eſt de diſtinguendis ſimplicibus ſubſtantiæ dictionibus: nullum præterea conſilium eſt,ſubſtantiam non definit Ariſtoteles,per quam tamen definiendas,& diſtinguendas dictiones ſimplices eſſe dicit: partitur ex grammatica nominis accidentia in propriam,& communem.Siccine nos Ariſtotelei (non enim alloquor Ariſtotelem, quia veſtrũ quibuſdam ſacroſanctus eſt, ſed noſipſos, quorum minor eſſe debeat authoritas, & reuerentia) ſiccine inquam,Ariſtotelei ſimplices dictiones diſtinguere,explicare,declarare inſtituemus? O nos philoſophos hebetes & cæcos, ſi volumus in hac diutius errare ſententia! O conſilium inſipiens! præcepta enim artium conſilia ſunt tanquam ſapientum, quæ doceant ignorantes non errantem viam. Adiungite verò huic quæſtioni

Caput de ſubſtantia inutile.

prædicamenta, & conſilia inſtitutionum noſtrarum, & Ariſtotelicis prædicamentis & conſiliis comparate: vtra certiora, fideliora, prudentiora ſint: adiungite inquam inſtitutionum noſtrarum conſilia huic quæſtioni, & quærite quo pacto non ſolum dictiones ſimplices vt vultis, ſed res omnes (vt nobis placet) diſtingui, ac declarari poſſint: vos, ita me deus amet, obruent rationum copia, & vbertate. Iubebunt imprimis cauſſas conſiderari, & finem, & formam, & efficientem, & materiam, tum facta, ſubiecta, adiuncta ſubduci, diſſentanea è regione ſpectari, collationes, & nomina perluſtrari, partes ſubinde erui, definiri penitus ex cauſſis propriam naturam, vel è cæteris argumentis explicari, teſtimonia probatorum, & ſpectatorum hominum produci: quibus ampliſſimè, & perfectiſſimè rem omnem diſtinguetis. At vos Ariſtotelei remittetis me ad cõſiderationem propriæ, & appellatiuæ qualitatis. Videtis Ariſtotelei nihil vtilitatis iſto prædicamento doceri, quòd non melius, & abundãtius partibus omnibus inſtitutiones noſtræ doceant. Ergo in capite de ſubſtantia cum falſa quædam ſunt, tum aliena prorſus, & inutilia ſunt omnia. Sexto capite quantitas de qua agitur, non definitur, Ariſtotelicum eſt: nõ enim definit Ariſtoteles prædicamentum, non definit ſubſtantiam, nunc quantitatem quoque non definit: partitur autem in continuam, & diſcretam, in eam, cuius partes inter ſe poſitionem habeant, aut non habeant: diſcretæ quantitatis partes facit numerum, & orationem, continuæ lineam, ſuperficiem, corpus, tẽpus

Collatio veræ inuẽtionis cũ hoc capite

De quantitate.

f. iiij.

& locum. Hic tres ſpecies falſas Ariſtoteles quantitati attribuit. Oratio enim quem habet in quantitate locum? Nam ſi ſcripta, vt in libris, qua ratione potius quantitas diſcreta dicetur, quàm multi lapides, quàm multi homines, quàm denique res omnes, quæ ſunt multæ & variis ex partibus in multitudinem coactæ? ſi proferatur, & hac ratione diſcreta quantitas dicatur, quia ſyllabarum breuium, & longarum arſis & theſis, id eſt ſublatio, & poſitio ſpectetur, id ſanè ratione, & menſura temporis orationi accidet: ſicut Ariſtoteles ait de actione, quòd non ſit ex ſe quantitas, ſed ratione temporis, longa dicatur aut breuis. Pari atque eadem ratione Ariſtoteles tempus & locum in continuis quantitatibus numerat. Tempus enim cùm numerus motus ſecundum prius, & poſterius ab Ariſtotele in phyſicis definiatur, ratione motus quantitas tempus erit. Ac motus quantitas ratione magnitudinis (in qua exercetur) appellatur: nec motus omnino quantitas eſt: quare multo minus tempus, longè verò minimum oratio. Quid eſt igitur? quot ſunt in hoc errore delicta? tempus inter quantitatis continuæ ſpecies ab Ariſtotele numeratur, & quantitas ex ſe ſuáque natura eſſe dicitur. At alibi confitetur Ariſtoteles, & Ariſtotelei profitentur tempus ratione motus eſſe quantitatem, & motum ipſum quantitatem eſſe aduentitia duntaxat & externa, non inſita, & naturali ratione. Locus itidem cùm ſit accidentia ambientis ſuperficiei (accidit enim ſuperficiei, vt contineat, aut contineatur) qua ratione quantitatis ſpecies dicetur? Adduntur ex Ari

Oratio nō eſt quantitas, vt Ariſtoteles putat.

Tempus non eſt quantitas.

Locus non eſt quantitas.

ſtotelis doctrina, ſicut antea in ſubſtantiæ capite, communitates: quod quantitati nihil ſit contrarium: quæ communitas ex Ariſtotelis argutiis vna eſt. Linea enim ſuperficies, & corpus tam res ſunt inter ſe cõtraria, quàm bonum & malum, quàm nigrum & cãdidum: ſunt enim res ſub eodem genere differentes maximè, nec ſimul eſſe poſſunt, alioqui penetratio dimenſionum eſſet. Excogitauit Ariſtoteles non ſatis eſſe, vt res contrariæ dicerentur, ſi ſub eodem genere inter ſe maximè diſtarent (quæ erat contrariorum definitio perfecta) ſed eidem ſubiecto viciſſim ineſſe voluit, niſi alterum ineſſet à natura. Quid autem rectum, & curuum? nónne quantitatis germanæ, & naturales formæ, ac differentiæ ſunt? nónne etiam contrariæ? Nec verò quicquam obſtat, quin veritas communis, & naturalis probetur Ariſtoteleis, niſi quòd vana Ariſtotelis authoritas contra eſt. Sequitur altera cõmunitas, quòd quantitas non ſuſcipiat magis & minus: quãobrem verò? an quia lõgitudo & latitudo & altitudo magis & minus non dicitur? verùm cũ Ariſtoteles poſtea fateatur qualitatis eſſe propriũ magis ac minus dici, calor & cãdor magis & minus nõ dicũtur: at calidius, & cãdidius aliud alio dicitur: ſic aliud alio longius, latius, altius dicitur. Quid ergo Ariſtoteles nobis hîc ſomniat? Poſtrema cõmunitas eſt quãtitatis, ſecundum eam æquale, vel inæquale dici: quæ de communitatibus ſola vera eſt. Quamobrem in hoc capite Ariſtoteles ſic philoſophatur, vt quantitatem nõ definiat, vt vitioſe diuidat, in partibus falſas ſpecies numeran-

Cõmunitates quãtitatum.

do orationem, tempus, locum: vt ſomnia communitatum falſa recenſeat. Quòd nihil contrarium ſit quantitati. Quod non ei minus, & magis accidat. Verùm enimuero quanuis hæc tam ſtolidè confunduntur: tamen, vt in capite ſuperiori feci, quæramus quid ſit hic dialecticæ proprium, quid vtilè & commodum. At proprium dialecticæ nihil omnino hîc eſt, aliena prorſus ſunt omnia. Reuocemus huc fundamentum illud diſputationis paulò antè adhibitæ.

Caput de quantitate nil habet dialecticũ

Separatũ rerũ genus & inferiori diſciplinæ ſubiectũ nullũ in dialectica declarari debet: dialectica enim tota cõmunis eſt: argumẽtorũ leges & ſyllogiſmi, & methodi tota generales ſũt & publicæ.

At quantitas ſeparatum rerum genus eſt, & arithmeticæ, & geometriæ inferioribus dialecticæ diſciplinis ſubiectum: numeros Arithmetica, magnitudines Geometria declarat.

Quantitas igitur in dialectica declarari nõ debet.

Videtis Ariſtotelei, quoties Ariſtoteles dialecticæ poſſeſsionis finibus egrediatur, & quàm verum ſit, quod initio diſputaui, Ariſtoteli *nullam dialecticæ rationis imitationem, id eſt, propriam dialecticæ artis materiam nullam propoſitam fuiſſe. At quanuis & multis partibus falſa, & tota aliena ſit de quantitate* Ariſtotelis *inſtitutio, cõſideremus tamen illud poſtremum, quid vtilitatis habeat. Dictiones ſimplices quantitatem ſignificantes hoc prædicamento diſtinguentur. Quo modo? quibus conſiliis? finge nos ad* Ariſtotelem *conſiliarium de diſtinguendis quantitatum finibus*

Caput de quãtitate inutile.

accedere: quod reſponſum feremus? Primùm quantitates ſint néc ne ex Ariſtotele neſciam: quia quantitatem non definiuit. Si cuius generis quantitates ſint requiram, in falſa genera incîdam orationem, tempus, locum: nullius generis definitionem ex Ariſtotele percipiam: innumerabiles autem dictionum ſimplicium ſpecies, lineam, ſuperficiem, corpus, numerum ſignificantes quomodo diſtinguam? ad quod Ariſtotelis conſilium, ad quod huius prædicamenti præceptum me referam? Videtis Ariſtotelei quemadmodum, & falſa, & aliena, & inutilia doceatis: pollicemini artem vos tradituros eſſe, qua ſimplices dictiones diſtinguãtur: at falſis, alienis, inanibus ſomniis auditores veſtros fallitis. Agite porrò Ariſtotelei, & conuertite animum ad prædicamenta noſtra, id eſt, inſtitutionum noſtrarum conſilia veſtris conſiliis comparate: rogate me viciſſim iſtam diſtinguendi, id eſt (quod dicere neſcitis) explicandi, declarandi, interpretandi, finiendi, diuidendi, ſic enim diſtinctiones efficiũtur: rogate me inquam, iſtam diſtinguendi rationem, conſilium à nobis expetite, vrgete me contrà, & parem difficultatem reponite, comparate (vt dixi) veſtris conſiliis noſtra conſilia: vos nihil niſi tenebras veſtris conſiliis oſtenditis: perſtringam verò cogitationes veſtras infinita lucis ſplẽdore, ſimulatque inſtitutionis noſtræ inſignia illa propoſuero. Vis lineam à numero diſtinguere? cauſſas vtriuſque, & circunſtantias expende, excute partes, genera, ſpecies, nomina, diſſentanea, cæteráſque dialecticæ inuentionis facultates exprome: nihil tum (cum

Collatio veræ inuẽtioniscum hoc capite.

iſta peruideris) ignorabis: iſta propria ſunt dialectica conſilia, vel oracula potius conſtantia quidem & omnem rerum veritatem complectentia. Quamobrem ſecundum Ariſtotelis prædicamentum totum à dialectica alienum eſt, & inutiliter hîc confuſum, & multis falſis rebus confertum. Septimum caput ſequitur de relatione: tertium prædicamentum eſt, longiſſima & vaniſſima oratione dilatatum. Ponit Ariſtoteles oſtentationis (opinor) gratia falſam relationis definitionem, quam argutando refellat, & aliam deinde finitionem conſtituit, & communitates aliquot colligit, Ariſtotelica illa quippe ſapientia, qua vſus eſt in prædicabilibus Porphyrius: qua Ariſtoteles ipſe in ſubſtantia, & quantitate. Ineſt (ait Ariſtoteles) contrarietas in relatis, magis & minus: inter ſe conuertuntur: ſimul ſunt natura. Duo poſteriora aliquid habent, quod poßit ad explicandam relationem accommodari: priora duo Ariſtotelica, & ſophiſtica planè ſunt, ſicut orationis tam moleſta, támque odioſa vanitas ob id duntaxat ſuſcepta, vt relationis finitio turbaretur. Relatio genus eſt argumenti, & dialectica inuentionis proprium, & locus ei ab Ariſtotele in topicis inter oppoſitorum genera tribuitur: & paulò poſt ab Ariſtotele inter oppoſita numeratur. Hîc non ſolum Ariſtotelis inconſtantiam arguo, quòd relationem in prædicamentis ſummo loco ſtatuat, & eandem in poſt prædicamētis inter oppoſita numeret: ſed etiam quòd ad vnicam relationis definitionem obſcurandam, & perdendam, tantam, támque nugatoriam

De relatione.

loquacitatem exprimendam duxerit. Sunt autem dictiones relationem ſignificantes propemodum innumerabiles: qua ratione, ô Ariſtoteles, in hoc prædicamento deſtinguentur? Vna relationis definitio eſt: nulla genera, nullæ ſpecies, nullæ differentiæ. Neque idcirco neceſſe eſt inſtitutionum noſtrarum conſilia cum huius inanitate prædicamenti comparari. Relatio vnum è prædicamentis noſtris non eſt, ſed particula vnius, nempe diſſentaneorum ſpecies vna in contrariis eſt, quibus relata continentur. Ergo de prædicamentis hoc adhuc ſolum eſt dialecticæ proprium. Caput octauum ſequitur de qualitate, quæ definitur initio & diſtribuitur in partes quatuor, habitum, & diſpoſitionem: potentiam naturalem, & impotentiam: paßibilem qualitatem, & paßionem: figuram, & circa vnumquodque conſtantem formam: tum communitates quædam colliguntur, quòd contrarietas ſit in qualitate. Item magis, & minus. Item quod ſecundum eam vnumquodque dicatur ſimile, aut dißimile. Primum autem qualitas quid ſit, definitur ab Ariſtotele, ſecundum quam quales eſſe dicimur, vt hac definitione qualitas non admodum à ſubſtantia & quantitate, & relatione diſtinguatur, homo qualis ab anima rationali dicitur. Item quòd longus, item quòd pater, quòd maritus. Verùm id Ariſtotelicum eſt: nihil enim Ariſtoteles cõſueuit definire, aut ſi definiat, præſtaret omnino nihil definire, quàm iſto modo definire: atque hæc de definitione. In partibus autem qualitatis cur paßio numeratur, quæ prædicamentum à qua-

De qualitate.

litate diſtinctum poſtea eſt? Cur verò figura, & forma, quæ genus eſt ſuperficiei, quæ corporis etiam, inter qualitates numeratur, cùm re vera quantitas ſit? An erunt ſpecies in vno prædicamento, genus in alio? figura autem & forma genera ſunt circuli, trianguli, quadrati, & reliquorum lineamentorum. Operæ pretium verò eſt Ariſtotelis diligentiam in partitione qualitatis conſiderare: qui ſpecies alias falſas numeret, alias prudens ac ſciens omittat: nam præter numeratas, alias eſſe ait. Diſtinctiones Ariſtotelicas eſſe ſcio, quibus errores hi obſcurentur: ſed ſimplicem veritatem amo: aſtutas eiuſmodi fraudes in liberali præſertim, & honeſta diſciplina non amo. Atque hæc in falſis rebus: aliena verò hæc eſſe omnia eodẽ illo (quo iam ſæpius vſus ſum) conſtantiſſimæ veriſſimæque demonſtrationis argumento conuinco. Dialectica tota generalis eſt, ſpeciale cuiuſquam ſeparati rerum generis præceptum habere nullum debet. Itaque non deſcendit ad ſpecialem præceptionem de habitu, de diſpoſitione, figura, potentia. Hîc noui nil accuſo, dico Ariſtotelem egredi fines artis ſuæ, neſcire principium dialecticæ, terminos ignorare. At vtilis forſan eiuſmodi de qualitate Ariſtotelica doctrina eſt: ſpectemus igitur etiam hanc poſtremam quæſtionem. Simplices dictiones qualitatem ſignificantes ſunt penè infinitæ: quomodo ex Ariſtotelis doctrina explicabimus? Definitio qualitatis impropria eſt: ſpecies quædam falſæ ſubiectæ ei ſunt, quædam etiam prætermiſſæ. En igitur vtilitas prædicamenti huius tanti planè Ariſtotelica, id

Caput de qualitate nil habet dialecticę.

Caput de qualitate inutile.

eſt ſophiſtica, & nugatoria, en Ariſtotelea conſilia. Quòd ſi qualitatis inuentionem (quæ nulla præceptis huius prædicamenti declaratur) ad inſtitutiones noſtras exigamus, Deus bone, quanta conſilij, quámque accurata copia præſtabitur? tanquam vberrimæ Eufratis cuiuſdam inſtar aquæ, rationes generum omnium confluent, & cauſſæ, & facta, & ſubiecta, & adiuncta, & diſſentanea, & comparata, & nomina, & partes, & definitiones, & teſtimonia, vnde qualitas rei cuiuſcunque intelligi percipíque poteſt. Quare cùm Ariſtoteles in hoc prædicamento male definiat, peius partiatur, proprium dialecticæ nihil interpretetur: tum verò vtilitatis nullam ſpeciem oſtendit, quam noſtræ inſtitutiones ampliſſimè non ſuperent. Nonum caput eſt breuiſſimum de ſex reliquis prædicamentis: agere, pati, quæ recipiunt contrarietatem, item magis & minus: iſtæ ſunt ex Ariſtotelis ſapientia ſubtilitates: ſitum eſſe, quando, vbi, habere. Quæ Ariſtoteles (quia manifeſta putat) præteriit, ſine definitione, ſine partitione. Hîc minus Ariſtoteles peccauit, quàm in ſuperioribus: non multas falſas res, non multas alienas dixit: verùm quænam philoſophia iſta Ariſtotelis eſt? pollicetur Ariſtoteles per decem prædicamenta artem, qua ſimplices dictiones diſtingueremus: deinde cùm quatuor prima tam ineptè conturbaſſet, ſex reliqua abiecit. Tam multa ſunt ſimplices dictiones actionem, paſſionem, ſitum, habitum, tempus, locum ſignificantes: quomodo Ariſtotelei prædicamentis Ariſtotelis veſtri diſtinguentur? Reſpondebitis, credo,

De ſex vltimis prædicamentis.

id eſſe facile, quòd Ariſtoteles itidem ait hoc totum manifeſtum eſſe. At Ariſtoteles ſibi primùm, deinde nobis impoſuit: intelligebat ſe fortaſſe in vanam de prædicamentis cogitationem lapſum eſſe. Attamen ne videretur nihil effeciſſe: quod efficere non poterat, videri noluit ignoraſſe, ſed contempſiſſe. Hîc neceſſe nobis nihil eſt cum his turbidis foßis clarißimos fontes inſtitutionum noſtrarum comparare ad vtilitatis excellentiam. Reliquam prædicamentorum doctrinam deſpicit Ariſtoteles, & tanquam inutilem præterit: attamen in his quæ contemnit, dialecticum aliquid eſt: actio enim ad locum effectorum referri poteſt, ſi tamen Ariſtoteleis placeat tantam actionis vtilitatem æſtimari: efficientiam enim ipſam hîc potius conſiderant, quàm effecta, & actionem, quàm acta. Locus, tempus, ſitus, habitus, tametſi res ſpeciales ſunt, nec conuenientes in vniuerſam artis dialecticæ formam, tamen plerunque hæc in adiunctis connumerantur. In adiunctis enim expendendis quæritur, & vbi, & quando, & de ſitu, atque habitu. Quamobrem iam concludere poſſum, quod initio propoſueram, in Ariſtotelis prædicamentis falſa eſſe permulta, quales ſunt ſpecies quantitatis, & qualitatis: aliena ferè ab artis dialecticæ præceptis omnia, vt tota illa capita de ſubſtantia, quãtitate, de tam prolixa relationis balbutie, de qualitate: vtilitatem verò generalem rerum omnium, & communem, id eſt dialecticam nullam excepta definitione relationis eſſe: ac ne vllam quidem ad diſtinguẽdas dictiones ſimplices, quam non modis omnibus ex-

cedentiorem prædicamenta inſtitutionum noſtrarum præbeant. Poſt prædicamenta reliqua ſunt: in quibus caput decimum eſt, de oppoſitis, quæ nos contraria in noſtris inſtitutionibus appellamus. Locus hic eſt inuentionis dialecticæ proprius, & ab Ariſtotele in topicis enumeratus, ne alieno teſtimonio Ariſtoteleos, quàm Ariſtotelis refellamus. Hîc genus dialecticæ inſtitutionis, & præceptionis agnoſco, & vnius noſtri prædicamenti formam recipio: diſſentaneorum enim genus alterum, in oppoſitis iſtis eſt: Ariſtotelicas tenebras, quæ in hoc capite ad trecentos atque amplius ſenarios extendantur, ad vnum locum obruendum non agnoſco, ſed reprehendo & vehementer condemno: contraria ſuccinctè definienda erant, vſus nobilibus exemplis declarandus, vt nos fecimus: nihil autẽ apertè definiuit Ariſtoteles, nullum locum expoſuit: ſed ſuo more ineptè nugatur, & balbutit. Eiuſmodi capita ſunt vndecimum, & duodecimum, & poſtremum, quas ſignificationes habeant vocabula prius, & ſimul & habeo, quæ vix grammaticuli eſſe, neſcio an dicam. At ſine his dialectica intelligi non poteſt, aiunt Ariſtotelei. Quaſi verò poſſit intelligi Ariſtotelis logica confuſio ſine tot verborum intelligentia, quot in ea Ariſtoteles vſus eſt: & idcirco græcum, aut barbarum lexicon, ſit in logica Ariſtotelis confundendum. Decimumtertium caput eſt de motus ſex generibus, quod totum cùm phyſicæ diſciplinæ proprium ſit, ſicut quantitas mathematicæ, quid repetam toties illud antea adhibitum, non eſſe hac dialecticæ, id eſt

De oppoſitis.

Prius Simul Habeo.

De generibus motus.

generalis, & vniuerſalis diſciplina, cùm ſpeciali diſciplinæ ſubiecta ſint? At per deum immortalem, quoniam ſingulas huius confuſionis vniuerſæ partes expendimus, & in his docuimus (exceptis æquiuocis, relatis, oppoſitis, actione, vbi, quando, ſitu, habitu, quæ ſi rectè exponantur, dialecticæ aliquid eſſe poſſint) omnia eſſe, aut falſa, aut aliena. De duabus ad deſcriptionem doctrinæ quæſtionibus; priorem explicauimus, quàm multa inutilia, & non neceſſaria Ariſtoteles in his prædicamentis conturbarit: ad poſteriorem accedamus, quàm multa neceſſaria prædicamenta Ariſtoteles hîc omiſerit: ad quam facilius exprimendam de ſumma tota, & vniuerſa diligentius, & accuratius conſideremus, de fine, atque vſu, id eſt ſumma, & prima cauſſa diſputemus. Ex hac enim collatione ſummaria, quæ deſint, intelligemus: ſtellas adhuc in ſingulis capitibus perlucidas aſpeximus: ſed ſtellas tantùm, ideóque nox adhuc eſt. Solem igitur ac vniuerſum lumen inducamus, tenebræ noctis pellentur, ac dies erit. Sol autem doctrinæ vniuerſæ, collatio eſt artis totius cum tota arte, vſus generalis cum generali vſu. Quid ergo? quorſum hæc prædicamenta nobis ab Ariſtotele tradita ſunt? Vt ſimplices dictiones diſtinguantur, aiunt Ariſtotelei: & Ariſtoteles ipſe videtur initio ſignificare, qui dictiones ſimplices in decẽ genera prædicamentorum partitus eſt. Verùm in ſingulis prædicamentis docui nullam ab Ariſtotele diſciplinam tradi, quæ ſimplices dictiones diſtinguerentur: & id totum, quod ab Ariſtotele ſomniatur, eſſe aut falſum,

Quæſtio ſecũda de arte prædicamentorũ, Quàm multa neceſſaria hîc ab Ariſtotele omittátur.

Prædicamenta nõ habent diſtinctiones dictionum.

aut alienum, aut inutile: dictiones ſimplices, ſi ratione dictionis quæreretur (quod dialectica antea nihil eſſe dixi) quo modo inter ſe diſtinguerentur, rectius multò grammatici in octo partibus orationis nos docerent, quàm Ariſtoteles in prædicamentis. Illi omnium dictionum ſimplicium genera, & proprietates ſunt perſequuti. Ariſtoteles nihil niſi ſophiſtica his de rebus ſomnia propoſuit. At prædicamentum Porphyrius ad rerum explicationem contulit, & definit ordinem rerum vno ſummo genere comprehenſarum per genera, & ſpecies, & differentias diſtributarum. Vbi eſt igitur, ô Porphyri, hic ordo in prædicamentis ab Ariſtotele propoſitus? In ſubſtantia duo genera tantum ab Ariſtotele proponuntur ex accidentia grammatica, prima & ſecunda ſubſtantia: in quantitate, falſæ etiam ſpecies attribuuntur, vt in qualitate: in reliquis prædicamentis, nullæ omnino ſpecies proponuntur. Nulla igitur tua definitione ab Ariſtotele prædicamenta diſtribuuntur. Hem, fallóne? retexam orationem meã? argumentum quo vtor, definitio tua eſt: ſyllogiſmus ſecundæ figuræ (vt Ariſtotelicè loquar) in barroco: atque vt intelligas, ita ex tua definitione contra te concludo.

Prædicamenta nõ habent diſtinctiones rerũ.

Prædicamentum eſt ordo rerum per genera, differentias, & ſpecies diſtributarum.

Ariſtotelis iſta commẽtatio non eſt ordo rerum per genera, differentias, & ſpecies diſtributarum.

Ariſtotelis igitur iſta commentatio non eſt prædicamentum.

An igitur rectè concludo? Agite excitate Ariſtotelei ſophiſma aliquod: expromite, vt orientem ſolem obiecta nube obſcuretis, diſtinctionem Ariſtotelicam: hoc enim genere ſapientiæ abundatis: & iamiam vos adiuuabo: proferam, quod huic quæſtioni obiici & veſtro quidem artificio obiici poßit: nihil enim ſtatui prætermittere ineptiarum veſtrarum, quod ego mihi ipſi non obiiciam: quod non omni veritate, & luce conuictum & confectum vel confeßione veſtra conteram. Quid ergo pro iſta Porphyrij ſententia contra nos dici, vel ineptißimè ſomniari ab Ariſtoteleis poteſt? Nō

Obiectio. *ſunt (reſpondeant) prædicamenta actu, at ſunt potentia: poſſent enim ex Ariſtotelis admirabili doctrina ſic inchoata reliqua perfici. O me ſimplicem, & apertum, vereor ne Ariſtotelem imitari videar, & res tam ſtultas argutandi cauſſa confingere. Ergo Ariſtotelee qui nobis ita reſpondes, quanuis nullam liberalem, & ingenuam artem didiceris, quanuis nullas honeſtas literas noris, tamen hac egregia potentiæ diſtinctione Demoſthenem, & Ciceronem eloquentia ſuperabis, philoſophia Theophraſtum & Platonem, Mathematicis artibus Ptolemæum & Euclidem: poteſt enim Deus (ſi velit) te his omnibus excellentiorem præſtantiorémque facere. Nunquámne cogitabitis Ariſtotelei cuiuſmodi ſint, quæ dicitis? Nulla ſit grammatica, grammaticam dicetis eſſe, quia eſſe aliqua poteſt: nulla ſint artes omnino, omnes artes dicetis eſſe, quia eſſe poſſunt, quinetiam ſophiſtæ quidam Ariſtotelei hac egregia potentiæ diſtinctione huc peruenere,*

vt virginei meretrices dicerent eſſe, egentes opulentos, reges mendicos, quia & virgines, & egentes, & reges fieri poſſent meretrices, opulēti, mēdici: hinc enim, credo, ampliationes factæ ſunt. Atque hoc mirificum reſponſum eſt, prædicamenta facilè perfici poſſe. Verùm poſſum veriſſimè confirmare, id nullo modo ab homine fieri poſſe. Nam genera, ſpecies, differentias ſubſtantiarum, quantitatum, relationum, qualitatum, actionum, paſſionum, ſitus, habitus, loci, temporis homo nemo nouit vnquam, neque nouerit vnquam: id ſoli Deo notum & perſpectum eſt: & tamen Ariſtotelei potius quàm Ariſtotelem errare confiteantur, rem omnino difficillimam, facillimam eſſe confirmabunt. Videtis Ariſtotelei quales ſint diſtinctiones veſtræ, & quàm fatuæ, cùm à veſtris tenebricoſis commentis ad veram lucem traducantur. Hic tametſi obſtupeſcitis, tam certis argumentis expugnati, nequaquam tamen ſententiam mutate, niſi vos omnibus modis ad confeſſionem veritatis adduxero: quin defenſionem nouam aliquam contortam, & aculeatam, per me licet, quærite. Enimuero, vt pertinaciæ veſtræ tandem aliquando ſatisfactum ſit, vos etiam adiuuabo, & quæ ipſi nequaquam reperiretis, mea ſponte vobis arma ſuppeditabo. Dicat Obiectio. *igitur veſtrum aliquis, quanuis prædicamēta non habeant, nec habere poſſint ordine diſpoſita omnium rerum genera, & ſpecies cum differentiis, ſunt tamen decem loci vnde omnia ſumi poſſunt, idcirco ad rerum omnium cognitionem neceſſarij, qui admoneant quid ſit videndum & conſiderandum, vt rem aliquam*

Prædicamenta nō ſunt loci generales vt videtur Ariſtoteles ſignificare.

diſtinguamus, & exponamus, eámque Ariſtotelis dicat eſſe ſententiam. Ex his enim prædicamentis omnem inuentionis logicæ doctrinam deriuauit, & generalem, & ſyllogiſmi tum demonſtratiui, tum dialectici propriam. Primo enim analytico, cùm de abundantia propoſitionum & inuentione medij, id eſt vniuerſis fontibus inuẽtionis, & generibus argumentorum præcipere vellet Ariſtoteles, inuentionis doctrinam ſecundum prædicamenti ordinem deſcripſit, infimorum, ſummorum, mediorum: infima & ſumma genera rarò in argumentum trahi ait, media ſæpiſsimè: & tertio analytico, cùm de mediis, id eſt argumentis quærit an infinita ſint, duobus extremis propoſitis, imo & ſummo, ad hunc prædicamenti ordinem ſummorum, mediorum, infimorum relabitur: & primi topici capite ſeptimo, docet problematum probationes, & argumenta ſumi oportere ex prædicamentis: atque iſto modo, octauo topico Ariſtoteles in prædicamenta recidit. Quare hanc Ariſtotelis (quam Ariſtoteles ipſe ſua oratione nobis exprimit) ſententiam, vt prædicamenta ad inuentionem argumentorum accommodentur, contrà nos Ariſtoteleis ſuppeditemus: vt cauſſam tandem tot argumentis conuictam, & conſtrictam verè victam fateantur: & cognoſcant quod eſt nobis hîc propoſitum, quàm multa prædicamenta Ariſtoteles in prædicamentis omiſerit. Conſideremus igitur an decem Ariſtotelis prædicamenta doceant omnia quæ de re propoſita dici poſſunt, & noſtris prædicamentis totis tota illa comparemus: videamúſque Ariſtotelíſne

an noſtra conſilia rationem faciliorem inueniendi oſtendant, quo ſimplices dictiones, vt Ariſtotelei volunt, vel potius omnes, & dictiones, & res cuiuſcunque modi ſint (vt nobis placet) diſtinguantur: hic enim finis eſt, & prædicamentorum, & inuentionis dialecticæ: hoc ſummum, & vltimum, & ſingulare argumentum eſt, quod ſit nobis ſpectandum in his dialecticis artium conſiliis. Comparemus verò primùm dialecticæ deſcriptionem: deinde deſcriptæ doctrinæ vſum: ita mox diluceſcet, ac planè exorto claro ſole dieſcet. Nos argumentum generaliter primùm definimus, partimur ex adiunctis, & ſubiectis, vt poſſumus, quoniam vera genera vlla nondum vidimus: ridebunt Ariſtotelei, & irrideri ſe putabunt, ſi quid horum luminum in prædicamentis requiras. Nos definimus cauſſas, cauſſarúmque ſpecies, & partes omnes explicamus, idémque de cæteris argumentorum generibus, effectis, adiunctis, ſubiectis, diſſentaneis, comparatis, nominibus, tributione, definitione, teſtimoniis efficimus: Ariſtoteles horum omnium nihil (excepta, quæ diſſentaneorum particula eſt, relatione, & actione) nō dico definiendo, & partiendo, nihil enim definire, nihil partiri Ariſtotelis proprium eſt, nihil horum inquam in decem prædicamentis, aut nominatim, aut coniectura ſigno vllo notatum habet. Nos ſingulares generis cuiuſque ſpecies, & partes exēplis quàm maximè fieri poßit, inſignibus illuſtramus, vt doceamus, & vnde præcepta noſtra ſumantur, & quo referantur: omni ſiquidem, & lectionis, & obſer-

Collatio inuentionis veræ cū prędicamentis.

uationis ſtudio, & quidem maiore, quàm Ariſtoteleis credibile ſit, contendimus, vt ſelectis præſtantium, & excellentium hominum exemplis, & teſtimoniis doctrinæ huius non ſolum cognitionem perſpicuam, & facilem, ſed multò magis vſum ſingularem, & admirabilem (vt eſt) ſic efficeremus: itaque nullus eſt apud nos locus, ſine aliquo nobili Ciceronis exemplo: quia hîc orator ſolus nobis eſt, cui tamen ſemper adiunximus poetæ alicuius notabile item exemplum, Virgilij maximè: nec tamen huius vnius, ſed vt res ipſa iucundior ad cognoſcendum pueris, & gratior varietate fieret, nunc Terentij, nunc Horatij, nunc Ouidij, nũc Catulli, nunc Tibulli, nunc Propertij, nunc Iuuenalis, nunc Perſii, nunc Martialis, nunc Lucani, & vt quiſque authoritate præſtare, & excellere viſus eſt: quid hîc Ariſtoteles? quem ſplendorem humanitatis in prædicamentis ſuis adhibuit, vt oſtenderet ex humanæ rationis vſu hæc obſeruata eſſe, & ad eundem vſum referenda? Ariſtoteles multa in logicis libris rectè præcipit, ſed eorum nihil ipſe facit. Docet veram ſcientiæ demonſtrationem ex cauſſis primis, neceſſariis, propriis ſumendam eſſe: at in explicandis, & demonſtrandis prædicamentis, naturalis rationis vſum, in quo ſunt primæ, neceſſariæ, propriæ, totius huius negotij cauſſæ, nullum ſequitur, nullum obſeruat, nullum ſibi imitandum proponit. Docet Ariſtoteles octauo topico ad perſpicuè docendum, vtendum eſſe exemplis magnificis, & nobilibus, qualia ſint apud Homerum, ait, non apud Cherilum. Docet inquam, id Ariſtoteles, ſed ex-

rum more, qui leges interdum bonas, & utiles ciuibus ſuis præſcribunt: at quibus tamen ipſi minimè obtemperant. Quamobrem in tota iſta laude, & definiendi, & partiendi, & exemplis explanandi, & artem denique deſcribendi, inſtitutiones noſtræ non una parte aliqua, ſed prorſus omnibus partibus Ariſtotelis prædicamenta longè ſuperant. Atque hîc quod in prædicabilibus admonui, memoriæ mandate, dialecticæ inuentionis nullum in prædicamentis eſſe conſilium, quod Ariſtotelici problematis cuiuſque proprium ſit, ſed tota illa conſilia ambigui, nominis, relationis, actionis, adiunctorum, contrariorum, omnium quæſtionum eſſe communia. Verùm enimuero conſiderate iam Ariſtotelei, quanta facilitate erga vos utar, ſit Ariſtoteles omni dialecticæ gloria princeps, nominetur, & prædicetur parens huius doctrinæ, author, Deus denique, ſi hoc vobis concedendum putatis, habeatur & appelletur, niſi tam ſit toto prædicamentorum uſu (nihil enim de artificioſa deſcriptione amplius ago) toto inquam uſu, tota utilitate, tota cauſſa, tota exercitationis ratione, non quæ nunc ſit in ſcholis, ſed quæ omnino eſſe debeat, inferior, quàm doctrinæ demõſtratione, & explicatione poſterior. Agite dum, ſit Ariſtoteleus aliquis bene in prædicamentis Ariſtotelis tres annos cum dimidio (ſi ita placet) verſatus, bene doctus & eruditus, qui de arte prædicamentorum nihil addubitet, qui totam illam doctrinam penitus intelligat, ſit è ſchola noſtra puer item aliquis non tres annos, ſed tres menſes atque etiam minus ſi

Conſectarium de locis problematis cõmunibus.

Quæſtio tertia de uſu.

lubet, ad inſtitutionum noſtrarum rationem audiendo, legendo, ſcribendo, dicendo exercitatus: atque hunc dialecticum cum illo Ariſtoteleo cõponamus: quæſtionẽ cõmunẽ ſtatuamus, & experiamur, vter magiſtri ſui doctrinã ſequutus, melius, & accuratius, & prudentius eam diſputabit atque explicabit. Et quoniam hæc exercitationis ratio duplex eſt: altera in alienis ſententiis conſiderandis, altera in ſuis & propriis exponendis, proponatur aliqua Ciceronis, aut Maronis oratio, & eius dialecticum artificium vtrique declarandum mandetur. Verſet hîc ſe Ariſtoteleus, omnes prædicamentorũ vires & neruos excitet, Ariſtotelis conſilia meditetur: quid eſt? an plorabit hic Ariſtoteleus diſcipulus, ſi fortè ingenuus erit, & in propoſito themate ſe vinci dolebit? ac ſe tamen iuſta ratione excuſabit, dicétque huius pugnæ ſe planè inſolentem eſſe, nec vllum hac de re verbum in ſcholis Ariſtotelis audiſſe? Ergo, diſcipulo Ariſtotelis ignoſcamus, qui ex prædicamentis Ariſtotelis non didicerit, quod ſanè diſcere non poterat, quomodo propoſiti authoris conſilium eſſet intelligendum, & eruendum. Noſtro verò dialectico nihil ignoſcamus, ſed eum ſeuerè potius vrgeamus. Quid igitur? quomodo poſitam quæſtionem declarabit? quomodo ſe hinc explicabit? Rem primùm de qua agitur ex vniuerſæ orationis comprehenſione diſtinguet, & ſeparabit: conſilium propoſiti authoris ex argumentis omnino, quibus ille vſus erit, conſiderabit, & quid efficere voluerit, penitus ex omnibus eius rationibus aſpiciet: & ſi reliquas artis ſuæ vires adhi-

Analyſis propoſiti exempli.

lere volet, deinde iudicium ex concluſionis ſpecie, & cohærentia rerum ponderabit: prudentiam reliquam ex perpetua totius orationis collocatione: poſtremò ſic artis ſuæ velut odoratu non ingreſſus inuentionis ſolùm, ſed omnes diſpoſitionis progreſſus certis & notis veſtigiis perſequetur: ſic iſta priore dialectici vſus meditatione dialecticus noſter Ariſtotelis diſcipulum, imò verò magiſtrum ipſum Ariſtotelem ſuperabit. Etenim non recuſo, vt Ariſtotelei Ariſtotelem ſuum vel in cælo ponant, ſi docere queant, quemadmodum ſit Ariſtoteles ex prædicamentis ſuis eam dialecticæ laudem ſequuturus. Ac iam in altera certaminis huius ratione periculum hoc idem faciamus: dialecticum noſtrum cum Ariſtoteleo rurſum componamus, & quæſtionem Ariſtotelei gratiâ, earum omnium facillimam ponamus, quæ in Ariſtotelis ſchola audiantur. De homine tam multa clamantur, de genere eius, de differentia, de proprio, de accidente. Thema igitur eſto de homine, de quo vterque, & Ariſtotelis diſcipulus, & hic noſter dialecticus dicat, quicquid ex doctrinæ ſuæ præceptis poßit dicere: ac ne diſcipulo verecundo moleſtiores ſimus, & plorare denuò, & erubeſcere cogamus: magiſtrum ipſum potius Ariſtotelem interrogemus. Quid verò ô magiſter Ariſtoteles, quoniam in analyticis, quoniam in topicis doces prædicamenta locos eſſe argumentorum, dicta diſcipulo tuo (quoniam hoc ignorat) ex iſta tua prædicamentorum doctrina, genera quædam argumentorum, vt de homine dicat ſaltem aliquid: Artes verè traditæ conſilia

Γένεσις noui exẽpli.

ſunt, ut tam ſæpe moneo, conſilia igitur doctrinæ, petenti diſcipulo ne nega. Quid reſpondebis? eadem opinor (ſi tibi conſtare voles) quæ in libro docuiſti. Itaque videat, inquies, hominis & ſubſtantiam primáne ſit, an ſecunda, & quantitatem in numero, oratione, tempore, loco, linea, ſuperficie, corpore, & relationem, & qualitatem, in habitu, diſpoſitione, potentia naturali, & impotentia, paßione, paßibili, qualitate, figura, & circa unumquodque conſtante forma: item agere, & pati, & ubi, & quando, & ſitum eſſe, & habere. Hæc enim admirabilia tua ſunt ô Ariſtoteles, conſilia: hæc prædicamentorum tuorum eſt doctrina, tua etiam in ſcholis verba ſunt: hæc tua ſapientia dialectica eſt, quam ſequatur, licet diſcipulus ille tuus, qui de homine aliquid balbutire volet: poſitæ enim quæſtionis illud aliquid eſt, ne ullam tibi laudem detraham, ſi qua poßit ullo modo hîc tibi concedi: aliquid inquam, eſt: ſed tam tenue, tam aridum, tam denique Ariſtotelicum, ut commodius fuerit diſcipulo tuo de hac re nihil te conſuluiſſe. Amabo tamen te, excita vicißim diſcipulum meum, & acriter interroga, nihil ſanè plorabit, ſed tibi reſpondebit, ſe ex Petri Rami aduerſarij tui doctrina abunde didiciſſe, quod de hac quæſtione, vel diem totum dicat: cauſſarum conſilio cognouiſſe, ut conſideret hominis cauſſas omnes, & finem, & formam, & modis omnibus efficientem, quæ per ſe efficiat, quæ adiuuet, quæ procrearit, quæ conſeruet, quæ ex his conſilio, quæ natura, quæ fortuna, quæ neceßitate efficiat, tum ipſam mate-

riam. In quibus tot cauſsis, hominis natura non Ariſtotelicè comprehenditur, vt in ſubſtantiæ vocabulo, vbi iubes conſiderare primáne ſit, an ſecunda, id eſt propria, an appellatiua qualitatis: ſed etiam per partes declaratur: ſubſtantia enim hominis, & natura, cauſſarum hominis coniunctione cohæret, & continetur: è reliquis argumentorum locis tum facta ſpectabit, quæ ſunt in conſiliis tuis actiones, vel omnino nihil, tum ſubiectum conſiderabit, de quo ne ſuſpicatus es quidem in prædicamentis, & adiuncta tam multorum generum proponet, quæ inſunt, quæ circunſtant, quibus ipſa ſubiectis, & propoſitis rebus exerceantur: quorum notas quaſdam prædicamenta tua ſeptem, nomine quantitatis, qualitatis, pati, vbi, quando, ſitum eſſe, habere, indicant: ſtatuet è regione diſſentanea, & contraria in aduerſis priuantibus, relatis, contradicentibus, & in verbo, & in enuntiatione ſimplici, & generali, & ſpeciali, & propria, tum verò etiam coniuncta: quorum præter relationem in decem prædicamentis nihil habes. Quid verò, nónne te hic noſter obruet multitudine rerum, de quibus diſcipulo tuo nullum in his prædicamentis conſilium tradis? Promet enim è repugnantibus, maioribus, minoribus, paribus, ſimilibus, diſsimilibus, notatione, coniugatis, partibus tam variis, finitione, teſtimoniis, tantam conſilij copiam, & vbertatem, vt per tibi mirum videatur. Quinetiam te de illa laude interrogabit, cũ Theophraſtum, Eudemum, reliquóſque diſcipulos tuos ad oratorum morem, & Iſocratis æmulationem in theſi exer-

cebas, an illam prædicamentorum tam inanem, támque dialecticæ inuentionis expertem confuſionem ſpectare & ſequi iubebas? Doctrina enim iſta oratoriæ illi exercitationi valde repugnat. Ita cernitis ô Ariſtotelei (ad vos enim reuertar) quàm multis laudibus diſcipulus hic noſter non ſolùm condiſcipulum veſtrum, ſed Ariſtotelem etiam magiſtrum ſuperet. Videtis enim decem Ariſtotelis prædicamenta decem noſtris prædicamentis ita ſuperari, vt quemcunque conſilij vſum & fructum decem Ariſtotelis prædicamenta præbeant, tria de noſtris copioſius & vberius omnibus partibus oſtendant. Atque maximi conſilij (quod noſtris ſeptem prædicamentis explicatur, ſubiectis, diſſentaneis, excepta relatione, nomine, comparatis, diuiſione, definitione, teſtimoniis) nullam in decẽ prædicamentis Ariſtotelis, ne ſuſpicionem quidem ſubeſſe. Nihil enim prædicamenta Ariſtotelis de tam multis rebus præcipiunt. Magna eſt in hac prædicamentorum contentione Ariſtoteleæ partis offenſio, grauis afflictio iſto modo vinci. Decem prædicamenta Ariſtotelis tantum abeſt vt decem noſtris paria ſint, vt tribus tãtùm reſpondeant. Quid ſi etiam ne reſpondeant quidem? quid ſi etiam omnino minora atque inferiora ſint? an tandem aliquando videbitur Ramus Ariſtotelis prædicamenta iuſtè reprehendere, & eius tenebris contrariam lucem meritò præponere? At hoc item conuincam atque obtinebo. Quæramus igitur an decem Ariſtotelis prædicamenta, & decem loci noſtris prædicamentis tribus, & locis pares ſint, omninóque reſpondeant:

Decẽ prædicamẽta Ariſtotelis non reſpõdẽt tribus veræ inuẽtionis locis.

idémque ſit admonere, vide ſubſtãtiam, & vide cauſſus, vide facta, & vide actiones, vide adiuncta, & vide quantitatem, qualitatem, locum, tempus, ſitum, habitum: tum facilius percipietur quanta ſit in prædicamentis Ariſtotelis conſilij inopia. Omnium rerum natura conſtat ex cauſsis: innumerabiles ſunt, quæ non conſtant ex ſubſtantia, vt Ariſtotelei ſubſtantiam vocant: reliqua enim genera prædicamentorum ex ſubſtantia non ſunt: ita cauſſarum conſilium & admonitio poteſt ad omnes res accommodari: ſubſtantiæ ratio non poteſt: & primus ille cauſſarum locus longè patet latius, quàm ſubſtantiæ nomen. Omnes res habent aliquid præter ſuam naturam & eſſentiam, adiunctum ſibi: innumerabiles res ſunt, quæ præter ſuam naturam, nullam quantitatem habent adiunctam, vt ipſæ quantitates: nullam qualitatem, vt ipſæ qualitates: atque ita in omnibus aliis. Eorum enim, quæ in eodem prædicamento ſunt, nihil alteri accidit (vt Ariſtoteleis placet) nec extrinſecus adiungitur. Quare quantitas quantitati, qualitas qualitati accidere nulla poteſt: ſic adiunctorum nomen poteſt omnibus rebus inueſtigandis adhiberi, quæ extrinſecus adueniunt: quantitatis, qualitatis, temporis, loci, ſitus, habitus non poteſt. Ariſtotelis igitur decem prædicamenta tribus noſtris prædicamentis minora inferioráque ſunt: & iſto rurſum argumento Ariſtotelem conuincimus. Itaque Ariſtotelis loci valde modis omnibus ſunt inopes, ſi decem noſtris conferantur. Quicquid admonent decem prædicamenta Ariſtotelis, admonent plenius, &

Uberius è noſtris tria, cauſſa, facta, adiuncta: nec tamē quicquid admonent hæc tria prædicamenta de decem noſtris, decem Ariſtotelis prædicamenta demonſtrāt. Quare uidetis Ariſtotelei, in hac quæſtione (quæ facillima, & ad Ariſtotelis doctrinam aptiſsima eligi poterat) Ariſtotelis prædicamenta uicta, afflicta, proſtrata, conculcata. Quid porrò ſi quæſtio aliqua nō è ſchola Ariſtotelis, ſed è ſchola humanitatis, & communi hominis uita & prudentia ponatur, an Ariſtoteles prædicamentorum ſuorum mentionem facere, an hiſcere omnino audebit? Quid ſi igitur de bello, de pace, de republica, aut eiuſmodi ambigua re quæſtio ponatur, an Ariſtotelis prædicamenta ad hanc explicandam quæſtionem adhibebuntur, potius quàm noſtra? At enim conſiderat deliberantis animus, non ſubſtantiam belli, quæ nulla eſt ad Ariſtoteleorum legem, nec belli lineas, & ſuperficies, aut binarios, ſed cauſſas, ſed euenta, ſed ſubiecta, ſed adiuncta, ſed diſſentanea conſiderat: comparat res omnium generum, nominis rationes, & rei partes intuetur: rem definiendo comprehēdit: hominum iudicia & teſtimonia deliberando perpendit. Uerùm Ariſtotelei quidam tam ſimplices ſunt, ut nullum putent argumentum, nullum ſyllogiſmum eſſe, niſi tribus uerſiculis diſtinguatur, & in clauſula, Ergo, dicatur. Attendant igitur iſti tam ſapientes, támque attenti dialectici, quod ſit eius concluſionis genus, qua ſophiſticas Ariſtotelis nugas toties, & tam grauiter urgemus. Dicit Ariſtoteles, ut ſæpe iam repeto, in analyticis maximam & præ-

ſtantiſſimam concluſionis, & ſyllogiſmi ſpeciem eſſe ἀπόδειξιν, quæ ex cauſsis primis, neceſſariis rem propoſitam demonſtrat. Quæ eſt igitur cauſſa prima, & neceſſaria prædicamentorum? hem Ariſtotelei quænam eſt iſta cauſſa? iam enim ſæpius rogo, & meminiſſe vos arbitror: an non eſt vſus humanæ & conſuetudinis, & vitæ, & prudentiæ? hinc enim dialectica tota oritur, huc eſt referenda: obſeruatione naturalium, & humanorum, & conſtantium exemplorum dialectica fieri debet, & deſcribi: deſcripta idcirco tradenda pueris eſt, vt eius auxilio lōgioris & prouectioris ætatis curſum & ſapientiam anteuertant. Adeſte igitur Ariſtotelei, & demonſtrationis noſtræ, noſtri ſyllogiſmi, noſtræ argumentationis ſpeciem tam magnificam, tam ſplendidam ad Ariſtotelis ineptiſſimas tenebras damnandum in animum reuocate.

Vera ac propria præcepta dialectica, naturali rationis vſui, & humanæ prudentiæ conſuetudini conueniunt.

Ariſtotelis prædicamenta naturali rationis vſui, & humanæ prudentiæ conſuetudini non conueniunt.

Ergo Ariſtotelis prædicamenta dialectica vera, & propria præcepta non ſunt.

Quare omni huius doctrinæ non ſolùm deſcriptione & elegantia, ſed vtilitate & prudentia fateatur Ariſtoteles prædicamenta ſua noſtris prædicamentis infinitè vinci atque ſuperari. Videtis adhuc Ariſtotelei quid in ſingulis prædicamentorum capitibus falſum,

vberius è noſtris tria, cauſſæ, facta, adiuncta: nec tamẽ quicquid admonent hæc tria prædicamenta de decem noſtris, decem Ariſtotelis prædicamenta demonſtrãt. Quare videtis Ariſtotelei, in hac quæſtione (quæ facillima, & ad Ariſtotelis doctrinam aptiſsima eligi poterat) Ariſtotelis prædicamenta victa, afflicta, proſtrata, conculcata. Quid porrò ſi quæſtio aliqua nõ è ſchola Ariſtotelis, ſed è ſchola humanitatis, & communi hominis vita & prudentia ponatur, an Ariſtoteles prædicamentorum ſuorum mentionem facere, an hiſcere omnino audebit? Quid ſi igitur de bello, de pace, de republica, aut eiuſmodi ambigua re quæſtio ponatur, an Ariſtotelis prædicamenta ad hanc explicandam quæſtionem adhibebuntur, potius quàm noſtra? At enim conſiderat deliberantis animus, non ſubſtantiam belli, quæ nulla eſt ad Ariſtoteleorum legem, nec belli lineas, & ſuperficies, aut binarios, ſed cauſſas, ſed euenta, ſed ſubiecta, ſed adiuncta, ſed diſſentanea conſiderat: comparat res omnium generum, nominis rationes, & rei partes intuetur: rem definiendo comprehẽdit: hominum iudicia & teſtimonia deliberando perpendit. Verùm Ariſtotelei quidam tam ſimplices ſunt, vt nullum putent argumentum, nullum ſyllogiſmum eſſe, niſi tribus verſiculis diſtinguatur, & in clauſula, Ergo, dicatur. Attendant igitur iſti tam ſapientes, támque attenti dialectici, quod ſit eius concluſionis genus, qua ſophiſticas Ariſtotelis nugas toties, & tam grauiter vrgemus. Dicit Ariſtoteles, vt ſæpe iam repeto, in analyticis maximam & præ-

ſtantiſsimam concluſionis, & ſyllogiſmi ſpeciem eſſe ἀπόδειξιν, qua ex cauſsis primis, neceſſariis rem propoſitam demonſtrat. Quæ eſt igitur cauſſa prima, & neceſſaria prædicamentorum? hem Ariſtotelei quænam eſt iſta cauſſa: iam enim ſæpius rogo, & meminiſſe vos arbitror: an non eſt vſus humanæ & conſuetudinis, & vitæ, & prudentiæ? hinc enim dialectica tota oritur, huc eſt referenda: obſeruatione naturalium, & humanorum, & conſtantium exemplorum dialectica fieri debet, & deſcribi: deſcripta idcirco tradenda pueris eſt, vt eius auxilio lōgioris & prouectioris ætatis curſum & ſapientiam anteuertant. Adeſte igitur Ariſtotelei, & demonſtrationis noſtræ, noſtri ſyllogiſmi, noſtræ argumentationis ſpeciem tam magnificam, tam ſplendidam ad Ariſtotelis ineptiſsimas tenebras damnandum in animum reuocate.

Vera ac propria præcepta dialecticæ, naturali rationis vſui, & humanæ prudentiæ conſuetudini conueniunt.

Ariſtotelis prædicamenta naturali rationis vſui, & humanæ prudentiæ conſuetudini non conueniunt.

Ergo Ariſtotelis prædicamenta dialectica vera, & propria præcepta non ſunt.

Quare omni huius doctrinæ non ſolùm deſcriptione & elegantia, ſed vtilitate & prudentia fateatur Ariſtoteles prædicamenta ſua noſtris prædicamentis infinitè vinci atque ſuperari. Videtis adhuc Ariſtotelei quid in ſingulis prædicamentorum capitibus falſum,

h. i.

inutile, alienum ſit, quàm vniuerſa prædicamentorum doctrina confuſa ſit, quàm nullũ dialecticæ inuẽtionis verum vſum præſtet, q̃ potius præſtare nullum omnino poßit. Vos autem Ariſtotelei, vt de vſu ſcholaſtico & exercitatione iuuentutis vobis commiſſæ hîc quoque requiram, quæ doctrinæ præmia, quæ prudentiæ inſignia ex his prædicamentis capitis? quem Ciceronem, quem Virgilium, quem liberalem, & ingenuum ſcriptorem his præceptis explicatis? quas θέσεις, quas (vt dicitis) poſitiones ad rhetoricum Ariſtotelis veſtri morem in

Ariſtotelis viui cõſuetudo. *ſchola veſtra declamatis? Ariſtoteles enim viuus (vt antè dixi) diſcipulos ſuos in theſi ſic exercuit, vt non ieiunè & aridè, ſed copioſe & ornatè dicerent: an in prædicamentis exercendis eam conſuetudinem veſtri principis imitamini? Dixi antea in Porphyrio de vſu, & vos hîc ſentitis, quid vrgeam. Vtinam me vno fœliciores, ac non etiam miſeriores hîc eſſetis. Nunquam in ſchola Ariſtotelis, & quidem in tot dierum, tot menſium, tot annorum clamoribus vllum de vſu prædicamentorum verbum audiui: credidi, quia diſcipulũ Ariſtoteles credulum eſſe vult, de prædicamentis non acriter admodum inquirendum, quid aut quamobrem diſcerentur, ſed pertinaciter & vehementer diſputandum & clamandum: diſputaui pertinaciter, & vehementer clamaui. Credidi, ſi theſin de prædicamento in ſchola poſitam defenderem, non eſſe aduerſario etiam veriſſima dicenti cedendum, ſed contra diſtinctionis alicuius captione totum clamorem conturbandum eſſe: ſin contrà ipſe oppugnarem, hoc vnicè & ſingulariter*

ugendum & enitendum, vt aduerſarium non docerem, ſed ratione quauis vera, an falſa, nihil intereſſet, vincerem. Sic inſtitutus, ſic informatus eram: hæc prædicamentalis, ſcilicet pila nobis iuuenibus erat propoſita, qua luderemus, quam amiſſam clamando repeteremus, quam acceptam nullo clamore nobis eripi pateremur. Id mihi perſuaſum erat, Ariſtotelicæ logicæ ſummam in eo eſſe poſitam, vt de ea fortiter & animoſe clamando diſputaretur. Quando igitur, aut quomodo (dicetis Ariſtotelei) his meliora videre cœpiſti? Dicam & apertè, & libenter, vt ſi vobis eadem medicina prodeſſe poſſit, quæ mihi tam miſerabiliter affecto profuit, vos liberaliter vtamini. Non diſputabo iſto loco, vt vos conuincam, ſed candidè, & ſimpliciter explicabo, quomodo Ariſtotelis tenebris liberatus ſim. Cùm tres annos, ſéxque menſes in philoſophia Ariſtotelis, ex academiæ noſtræ legibus poſuiſſem, logicis Ariſtotelis libris cognoſcendis, diſputandis, meditandis (ex omnibus enim Ariſtotelis libris logici præcipuè toto trienny tempore clamantur & reclamãtur) cùm inquam tempus illud ita traduxiſſem, & iam ut abſolutus artium, ſcilicet magiſter philoſophica laurea donatus eſſem, ſubducta ætatis meæ ratione in Ariſtoteleis artibus conſumptæ, conſideraui quibus in rebus logicas Ariſtotelis artes (quas antea tot clamoribus & ſudoribus didiceram) impoſterum exercerem: non in hiſtoria & antiquitate rerum prudentiorem, non in dicendo diſertiorem, non in poeſi promptiorem, non denique vlla in re Ariſtotelis artibus me.

Quomodo Ramus Ariſtoteleæ logicę tenebras deprehenderit, & quantum laborẽ hic adhibuerit.

ſapientiorem factum deprehendi. Hei miſero mihi, vt obſtupui, vt altè ingemui, vt me naturámque meam deploraui, vt infœlici quodam miſeróque fato, & ingenio à muſis prorſus abhorrenti me natum eſſe iudicaui, qui nullum fructum eius ſapientiæ, quæ tanta in Ariſtotelis logicis prædicaretur, percipere, aut cernere tantis laboribus potuiſſem. Ne igitur omnino nihil agerem, redij ad intermiſſa quadriennio iam antè ſtudia eloquentiæ: atque in his erudienda iuuentute meipſum exercui, ita tamen vt ad incluſam illam de Ariſtotelis logicis opinionem & perſuaſionem perpetuò reſpicerem. In omni enim poetarum & oratorum lectione vigilaui, laboraui, modis omnibus contendi, an fieri poſſet vt logicos Ariſtotelis libros ad aliquem eruditionis vſum reuocarem. Principem dialecticæ diſtributionem in Cicerone & Quintiliano de inuentione & iudicio legi, ſed legi magis ex more temporum noſtrorum, quæ de his præceptis tantùm diſputarent, vſum in his nullum quærerent, quàm penitus cognoui: nec ex illis authoribus id admodum percipere potui, cùm vterque inuentionis magis varias artes, quàm diſtinctum vſum, neuter autem iudicij doctrinam, quæ potior eſſet, explicaret: ſed diſpoſitionis nomine multa confunderet: vt mihi viderentur eam partitionem potius auditam recitare, quàm perceptam & cognitam declarare. Aliquot pòſt annis, cùm inſitus ille iuuenilis perſuaſionis amor huc me perpetuò reuocaret, Ariſtoteli totum denuò me dedidi: diligenter obſeruaui, publicè, vt maioris diligentiæ ne-

ceſſitatem mihi ipſi imponerem, explicaui: falſis etiam laudibus, quas tum veras arbitrabar, exornaui: & quamuis nihil adhuc ſolidæ vtilitatis in tota compoſitione logicorum Ariſtoteleorum cernerem, aliquid tamen in partibus quibuſdam deprehendi. Quare non deſperaui, imò verò omnes omnium hominum libros, qui de hac arte editi eſſent, curioſe perueſtigaui: multos & Latinè, & Græcè conſcriptos reperi. vnum etiã Hebraicè: in quibus omnibus nihil niſi Ariſtotelicæ huius logicæ contractas quaſdam ſententias reperiebam: pauci quidam nonnihil in partibus quibuſdam reprehendebant, ſummam tamen vniuerſæ confuſionis ſequebantur, nullum vſum (quod caput tamen rei fuerat) aperiebant. Vnus Agricola voluit hic aliquid melius, quàm potuit. Incidi tandem in Galeni librum de decretis Hippocratis & Platonis: qui mihi locus primus ad bene ſperandum fuit. Nam cùm illic multa Hippocratis & Platonis dialectica decreta ſum admiratus, tum illud per mihi mirum fuit, quòd in illa dialecticæ laudis contentione Galenus Hippocrati (quẽ vt Deum quendam coleret) non Ariſtotelem, quem artis huius inuentorem & perfectorem credideram, ſed Platonem tanquam in hac arte philoſophorum omnium principem compararet. Sed tamen hac Hippocratis & Platonis comparatione, non tam ſum ſatiatus, quàm excitatus ad omnes Platonis dialogos (qui de dialectica aliquid præciperent) perlegendum. Hîc, vt verum fatear, optatiſſimus mihi, & gratiſſimus ſalutis portus fuit. Ex Socratis enim ſermonibus, cùm

Platonis in docẽdo methodus & in philoſophando libertas viã reperiendæ dialecticæ veritatis aperuerũt

varia variis locis de argumentorum generibus ſeria & vtilia præcepta cognoui,tum verò clariſsimam illam methodi lucem clariſsimè vidi, vt ars via & ordine traderetur, primo loco definiendam ſummam, tum partes omnes definitionibus & exemplis declarandas eſſe, id etiam valde probaui & amaui, quod Socrates in falſis opinionibus refellendis id vnum maximè ſibi proponeret, vt eos quos contra diſputaret, à ſenſibus opinionum, & teſtimoniis hominum auocaret, traducerétque ad æquitatem animi, & iudicij libertatem,quia philoſophis ſtultum eſſe cenſeret hominum ſententiis(quæ plerunque fallaces eſſent, & mendaces)potius temerè commoueri, quàm rei cognitæ, & ex omnibus cauſsis perceptæ conſtanter aſſentiri: quid plura?Cœpi egomet mecum(cum alio enim id mihi religioſum fuiſſet)ſic cogitare.Hem?quid vetat pauliſper σωκρατίζειν: & omiſſa Ariſtotelis authoritate quærere, veráne & propria dialecticæ ſit Ariſtotelis doctrina?fortaſſe enim philoſophus iſte ſua nos authoritate decepit:vt mirum eſſe mihi diutius non debeat,ſi fructum (qui nullus ineſſet) in his libris non inuenerim: quid ſi commentitia ſit iſta doctrina?nónne fruſtrà me torqueo & crucio, vt è ſterili & arido ſolo fruges capiam? Sic itaque animatus, & ſacris Ariſtoteleæ ſuperſtitionis tantiſper exemptus, ad Ariſtotelis lectionem redij, vt intelligerem qualis eſſet Ariſtotelea logica:quæſiui primum ex methodi doctrina (quam docet Plato) logicæ in logico Ariſtotelis organo definitionem: repetito opere vniuerſo nullam reperi: comme-

mini tum dialecticæ partitionis,quam in Cicerone & Quintiliano legeram,& tantam lucem, támque mentis humanæ in inueniendo & diſponendo propriam, cùm ſtudioſius eſſem contemplatus & admiratus, ad Ariſtotelis logicam conuerſus obſtupui : chaos quoddam mihi videre viſus ſum:ſic inuentionis, diſpoſitioníſque partes inter ſe ſine definitionibus , ſine partitionibus,ſine popularibus & perſpicuis exemplis confuſas animaduerti . Ac cùm me ab Ariſtotele falſa ſcholaſticæ opinionis perſuaſione deceptum cognoui , ignoſcite mihi Ariſtotelei ,ſi verè & ſimpliciter vobiſcum loquor,quo me tum gaudio exultaſſe,qua lætitia affectum eſſe, qua animi voluptate perculſum creditis ? Magnum enim ſapientiæ fundamentum mihi iactum exiſtimaui , quòd tam craſſa ignorationis caligine ſolutus eſſem, & me,quòd Ariſtotelica ſophiſmata didiceram, nihil ſapientiæ conſequutum intelligerem. Siquidem rectè Horatius,

Virtus eſt vitium fugere:& ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe.

Antea mihi videbar onus Ætnæ grauius ſuſtinere, ſic falſa perſuaſione vexabar : quòd Ariſtotelis logicam & perfectiſſimam eſſe , & perfectiſſimè doceri atque exerceri crederem . Et cùm ea tota cognita , & ſcholaſticis clamoribus tam vehementer clamata nullam vim logicæ , nullúmque vſum percepiſſem , ingenio ad miſeriam damnato me natum arbitrabar. Itaque pro tanto tam grata liberationis munere, Deo optimo maximo gratias immortales nomine Platonis ha-

bui: quòd eum mihi nauclerum præbuiſſet, per quem ex tam longinqua iactatione, tot fluctibus, tot tempeſtatibus ereptus, tandem incolumis aut portum attingerem, aut certè propinquam terram aſpicerem. Nam tametſi princeps illa dialecticæ diſtributio viam mihi monſtrare potuit, tamen ſine Platonica methodi luce, ſine Platonica philoſophandi & quærendi libertate progredi recta, ac ſine errore non potui. Ex eo autem tempore quinque iam aſsiduos annos dialecticam diſquiſitionem illam docendo, meditando, ſcribendo perſequor: ac quanuis magnis temporum difficultatibus afflictus, maioribus hominum calumniis etiam vexatus, grauiſsimis interdictis quicquam hac de re aut docere, aut ſcribere prohiberer, animo tamen & ſtudio inſtitutum tam ſanctum, tam reipublicæ ſalutare, ac communibus ſtudiis tam vehementer profuturum, nũquam intermiſi: aliquid quotidie non ſolùm ſtudium, ſed ætas, ſed tempus, ſed ipſa denique rerum natura demonſtrat, quod fuerat nobis occultum: & ſpero Dei optimi maximi gratia aliquando futurum, vt quod tantis ſtudiis ac laboribus affectum perſequimur, perfectum atque abſolutum gaudeamus. Habetis Ariſtotelei quemadmodum ab Ariſtotelis tenebris ad hanc doctrinæ lucem peruenerim: nihil hîc diſputo vobiſcum, imò verò, vt ignoſcatis oro, ſi vobiſcum familiariter ago, ſi vos amicè moneo, ſi Ariſtotelici morbi medicinam, qua curatus ipſe ſum, vobis non ſolùm libenter, ſed etiam liberaliter offero. Cogitate de vobis, de veſtris commodis, aut ſi iam neutrum poteſtis, de com-

muni iuuentutis (quæ vos nihil offendit) vtilitate deliberate: graue eſt omnibus in rebus ſponte peccare, ſed longè grauiſſimum in rempublicam, in honeſtas artes, & ingenuas, in Deum immortalem peccare. Ariſtotelis prædicamenta videtis falſis, alienis, inutilibus nugis referta: voſipſi nullum ad vſum adhibetis. Quãobrem Ariſtotelei eſſe deſinite, dialectici potius eſtote. Nec nomen Ariſtotelis ad Ariſtotelem tuẽdum in animos veſtros reuocate. Sophiſma eſt (inquit Ariſtoteles) Ariſtotelem Ariſtotele defendere.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber quintus.

De Interpretatione.

Libri duo de Interpretatione prædicamentis adnectuntur, quid hîc Ariſtoteles dialecticũ proponit? contradictio ſola eſt: & nos contradictionem in diſſentaneorum loco declaramus: hoc conuenienter vtrique, & congruenter, nos Ariſtoteli hac parte nihil aduerſamur: atque vtinam in cæteris contradictioni ab Ariſtotele adiunctis rebus nullam aduerſandi neceſſariam occaſionem haberemus: neque enim contradictionis aut artem, aut vtilitatem (quam tam accuratè noſtris inſtitutionibus perſequimur) euertere conamur, ſed retinere & amplificare contendimus. Videamus igitur quid

Ariſtoteles de contradictione ſentiat. Id proponere cuiuſmodi ſit vix audeo, ne ſi tenebras eſſe dicam, aut nugas, aut ſophiſmata, confuſionem non exprimam. Propoſitum illud noſtrum perpetuum initio ſtatuam, multa nihil ad contradictionis artem pertinentia his libris ab Ariſtotele confundi, neceſſaria multa & vtilia prætermitti: vſum verò totum praua exercitatione ab Ariſtoteleis corrumpi. Itaque ad priorem quæſtionem explicandam capita ſingula diſcutiamus: poſtea vt in terminis, vt in Porphyrij prædicabilibus, vt in Ariſtotelis prædicamētis fecimus, ad ſecundā quæſtionem, vniuerſam de contradictione Ariſtotelis doctrinam cum vniuerſa noſtra conferemus. Ergo & libros, & capita (vt vulgò diſtinguuntur) recēſeamus.

Quæſtio prima de arte interpretationis, Quàm multa non neceſſaria ab Ariſtotele in ea confundātur.

Primo capite primi libri notionum voces, vocum ſcripturæ indices eſſe dicuntur: tum notiones apud omnes eædem, voces & ſcripturæ non eædem, eáque aut ſimplicia, aut coniuncta eſſe. Quæ omnia aliena ab arte dialectica Ariſtoteles eſſe ait. Quid igitur argumentis noſtris opus eſt ad hoc refellendum? Ariſtoteles confitetur alienum hoc caput eſſe: credamus, & eum tantum Ariſtotelem putemus, qui illa aliena eſſe dicat, & tamen temerè conturbet, extra fines artis ſuæ ſe vagari ſentit, & tamen prudens vagatur. Secundo capite nomen & verbum definitur, atque vtrunque tum finitum, tum infinitum. Nomen autem & verbum definire grammatici debent, non dialectici, & ab eorum arte cognitum vtrunque huc adferri neceſſe eſt. Infinitum autem & nomen, & verbum, quod Ari-

De nomine & verbo.

ſtoteles ſomniat, facit quod pleriſque aliis in rebus fecit, ſomnia nobis ſua demonſtrat, non obſeruata ex naturalis vſus ratione exempla: non amicus, non amat, non amice, negata vocabula ſunt: infinita eſſe, non negata quis grammaticus (ad quem tamen ſolùm iſta cognitio pertinet) vnquam dixerit? Hic Ariſtoteles non aliena tantùm, vt ſuperiore capite, ſed etiam delira ſomnia nobis venditat. At inquiet Ariſtoteleus aliquis, alia ratione nomen & verbum à grammaticis, Obiectio. *alia docentur à dialecticis, & Ariſtoteles primus iſta docuit, vt potius grammatici ſumpſerint hæc à dialecticis, quàm hi ab illis. Verùm mi Ariſtoteleolee, vnica ratione præcepta dialectica dici poſſunt, ſi vel inuentionis ſint, vel diſpoſitionis: nomen & verbum nihil vtriuſlibet partis quicquam ſunt: & quod Ariſtoteles primus de nomine & verbo præceperit, quid quæſo concluditur ad dialecticos iſta pertinere? An ſi Ariſtoteles primus in dialectica de moribus, de numeris, de lineamentis quædam conturbaſſet, hæc eſſent propria dialecticæ doctrinæ, non ethicæ, non arithmeticæ, non geometriæ? Tertio capite agitur de oratione, & eius partibus, quæ enuntiat, quæ deprecatur, quæ affirmat, quæ negat: item quæ vna, quæ multiplex, quæ ſimplex, quæ coniuncta ſit, quæ oppoſita. Enimuero de oratione, & eius modis vt de nomine, & verbo præcipere grammatici ſuo iure & poſſunt, & debent, dialectici nullo modo debent: neque enim verum eſt, vt quicquid ab Ariſtotele in hac arte conturbatum ſit, id dialecticæ artis eſſe proprium: contortum ſophiſma eſt: ſi-*

nes artium ſua natura, & rerum ſibi ſubiectarum cõprehenſione, non hominum inuentione, vel opinione terminandi ſunt. Si Euclides primus pharmacorum genera confudiſſet, non ſequeretur ea eſſe geometriæ propria. At ignoranda hæc non ſunt, fateor, ſed nec nominum declinationes, & verborum coniugationes futuris dialecticis ſunt ignorandæ. An ideo Ariſtoteles iure docebit in dialectica & declinare nomina, & verba coniugare? Nunquámne intelligetis ô Ariſtotelei aliud eſſe aliquid in arte non ignorari oportere, aliud in ea confundi ac perturbari? Ariſtoteles in prædicamentis ſimiles errores de complexis, incomplexis, de ſubſtantia propria, communi: de quantitate, motu, de vocabulis prius, ſimul, habeo, coniecit: in hac interpretatione Ariſtoteles Ariſtotelis ſimilis adhuc eſt: vna eſt infiniti erroris in Ariſtotele occaſio, nullam ſibi dialecticæ naturalis, nullam rationis imitationem diſtinctam propoſuit. Aliud eſt ratio quæ dialecticis præceptis explicari debet, aliud eſt ſermo, qui nominibus fit, & verbis, vt antea docui, quanuis plerunque ratio exprimatur ſermone & nominibus ac verbis: tamen tota in ſeſe eſt conuerſa, & cogitari res poſſunt, atque iudicari ſine vllo ſermonis auxilio. Definitionẽ contradictionis, vel oppoſitionis (vtrumque enim pro eodem valeat) hîc adhibitam ſequor: confuſionem tot nugarum reſpuo. De ambiguitate orationis (quæ multiplici ſenſu prædita ſit) in vitiis (cùm de analyſi agitur) commodè diceretur. Quæ ſequuntur quarto & quinto capite de vniuerſali & ſingulari, contrariis

enuntiationibus, id eſt, contradictione generali, & eius legibus accipio. Commentum autem Ariſtoteleorum ex incerto Ariſtotelis & dubio in hoc capite loco de ſubcontraria contradictione & oppoſitione vehementer reprehendo. Contradictio vel oppoſitio ſicut omnia artis huius decreta, ex obſeruatione naturæ, & quotidianæ conſuetudinis exemplo ſumi debet: & definiri affirmatio, negatióque eiuſdem rei, numero ſcilicet: nam res eadem, & genere, & ſpecie (vt Ariſtoteles Ariſtoteleos in Topicis loqui docuit) negari poteſt, & affirmari, vt contradictio & oppoſitio nulla ſit, qualia ſunt hæc exempla:

De ſubcõtraria oppoſitione.

Omnis equus hinnit.
Nullus homo hinnit.
Plato Athenienſis eſt.
Cicero Athenienſis non eſt.

Vt igitur oppoſitio & contradictio ſit, neceſſe eſt de eadem re numero, idem numero affirmari & negari: & genus ſibi oppoſitum contradictionem ideo facit; quia res numero eædem ſub eo comprehenſæ, & affirmantur & negantur: & idem ſumptum ſpecialiter, ſibi generaliter ſumpto oppoſitum ideo contradictionem facit, quia ex his quæ genere continentur, aliquid idem numero negatur, quod illic affirmatum erat: aut contrà. Redeamus igitur ad illum doctrinæ magiſtrum & effectorem vſum, & dicat aliquis Cæſari,

Aliqui tibi inſidiantur: alius dicat,
Aliqui tibi non inſidiantur.

Ille Caßium & Brutum, hic Antonium & Dolabellam intelligat, vterque verum dicet: neque alterum ſermonem alteri oppoſitum eſſe Cæſar exiſtimabit. Dixeris quoſdam ſophiſtas eſſe, quoſdam ſophiſtas non eſſe, quis te tibi contradicere affirmabit? An tu & vera dicere potes, & tibi contradicere? At oppoſitio & contradictio ad vſum illum popularis, & quotidianæ conſuetudinis referenda eſt. Cur non inſtituitur iuuentus, & docetur id, quod in vita, in negotiis, in diſputatione ſeria ſequi debet? vt non aliter in ſchola cum Ariſtoteleis loqui condiſcat, quàm poſtea cum parentibus & propinquis, cum iudicibus, cum principibus loqui debeat? Nunquámne intelligetur dialecticam ab humana rationis obſeruatione profectam eſſe, & ad eandem referri oportere? At in his enuntiationibus aiunt Ariſtotelei,

Aliquis homo ambulat:
Aliquis homo non ambulat.

Eadem res numero affirmatur & negatur, nempe de nomine (homo) verbum ambulat & affirmatur & negatur. Falſa verò iſta ô Ariſtotelei ratio eſt: vocabula enim contradictionem non faciunt, ſed res vocabulis ſignificatæ: ſi autem vtraque pars contradictionis vera ſit, vt dicitis eſſe, nequaquam res eadem numero in vtraque parte ſignificatur: quare nec erit eiuſdem rei affirmatio & negatio. Quid hîc igitur concludam? vtrum vos (vos inquam Ariſtoteleos, non Ariſtotelem alloquor) mendaces & vanos qui rem inenodabilem fingitis, & contradictionem eſſe, & vtraque

parte veram eſſe: an definitione Ariſtotelem lapſum eſſe? At definitio Ariſtotelis vera eſt: vanitas ergo Ariſtoteleorum damnetur, qui Ariſtotelis tenebris (quæ tam multæ ſunt) contenti non ſunt, niſi & nouas ipſi excogitent. Sexto capite leges enuntiationum oppoſitarum traduntur, in præterito, præſenti, futuro tempore: & longa obſcuráque inſeritur diſputatio, De futuro contingenti: quæ quàm fœcundum pabulum, quámque gratum otioſis & inertibus attulit? Hîc enim Ariſtotelei iactationem habēt in miſello & ſimplici populo, & Ariſtotelicas ſubtilitates oſtentant. Quanquam tota res, vt hîc eſt poſita, ſi dialecticum lumen adhiberetur, facilis erat, & duobus his comprehenſa ſyllogiſmis: quibus Ariſtoteles probat contradictionis veritatem in contingenti futuro non eſſe definitam. Primus autem ſic habet:

De futuro cōtingēti.

Si definita veritas eſſet futuri contingentis, fatalis rerum neceßitas eſſet accipienda.
Hoc autē perabſurdum eſt, cùm videamus quarundam futurarum rerum principium in nobis eſſe.
Illud igitur perabſurdum erit.

Secundus ſyllogiſmus ſic eſt:

Quæ natura rerum eſt, eadem eſt enuntiationum.
Quædam verò res ſunt ancipitis euētus & incerti.
Tales igitur erunt earum enuntiationes.

Atque hæc (vt dixi) breuiter explicari, & perſpicuè poterant, ſed obſcuritas Ariſtoteli placet, & Ariſtotelei de induſtria (quia perſpicuè loqui non poſſunt) vt admirabiles videantur, tenebras Ariſtotelis amplifi-

cant. Primo libro adhuc quæ nihil ad dialecticam pertinerent diſtincta & tractata ſunt: de comprehenſionibus & ſignificationibus vocum, de nomine, de verbo, & cæteris grammaticis rebus, de contradictionis errore atque nugis. Secundi libri nugæ maiores ad contradictionem nouis tenebris conturbandam ſequuntur. Quæſtio grauis eſt primo loco, de enuntiationibus finitis & infinitis, quæ per contradictionem diſpoſitæ quibus ſint cōſequentes vel antecedentes. In qua quàm errantia & vaga, Deus bone, ſunt omnia? Viginti tales enuntiationes pro exemplo ab Ariſtotele exprimũtur: augendi verò complendíque ſophiſmatis facultas interpretibus relinquitur. Itaque ex conduplicatis exẽplis infinitum quoddam ſophiſma plenum ſtultiſſimæ & ineptiſſimæ vanitatis effici poteſt. Verùm, Deum immortalem, quid in hoc ſophiſmate vtilitatis quæſitum eſt? éſtne hîc inuentionis aut diſpoſitionis vlla ſcintilla? nulla omnino: quæſtio eſt ſophiſtica, quales Ariſtoteles in logicis libris permultas (vt argutulo ingenio fuit) commouet: ſed tam inepta, vt neminem arbitrer grammatiſtam vnquam tam ineruditum fuiſſe, qui de nomine, aut verbo tam fatuas quæſtiones in ſchola poſuerit, quàm Ariſtoteles de contradictione in pronuntiatis finitis & infinitis. Nunquam ab Ariſtoteleis impetrabo, vt Ariſtotelis doctrina in Ariſtotele legendo vtantur? ἀπόδειξις & demonſtratio eſt ex cauſſa, propter quam res eſt: quærite igitur Ariſtotelei ab Ariſtotele quamobrem iſtam quæſtionem poſuerit, quis fructus futurus ſit, ex quo vſu pru-

De pronũtiatis finitis & infinitis.

dentiæ humanæ deprompta ſit, è quibus naturalibus exemplis ſit obſeruata, ad quam vtilitatem referatur. Præcepta enim artis non ſatis eſt vera eſſe, ſed multò magis vtilia: hic eſt finis, hæc cauſſa propter quam artes docentur, ediſcuntur, exercentur. Secundo capite libri ſecundi interpoſita eſt quæſtio quomodo à coniunctis & diuiſis ratio concludatur & efficiatur: inutilis quidem, ſicut aliæ Ariſtotelis regulæ, quæ nihil inuentionis, nihil diſpoſitionis oſtendunt: hæ verò regulæ iudicij aliquid videntur eſſe, ſed ab omnis ignoratione iudicij profectæ ſunt. Syllogiſmus enim (quæ ſola iudicij regula eſt) ſatis ſupérque omnibus æſtimandis quæſtionibus eſt: nec vnquam, ſi leges eius ſequare, fallit: hæ verò regulæ ſæpe fallere poſſunt, & eas ſequutus vitioſam concluſionem, ſicut ex omnibus argumentis potes efficere. Tertio capite quæſtio eſt de modalibus: ſic Ariſtotelei modificatas enũtiationes vocant: de quibus propter excellentiam ab Ariſtoteleis illud prædicari ſolet: de modalibus nõ guſtabit aſinus. Quod quidem agnoſco ex inſolentia illa natum, qua perſuaſerunt ſibi quidam Ariſtotelei ſe ſolos ingenioſos, ſapientes, beatos eſſe. Itaque appellant aſinos cæteros mortales, qui hæc Ariſtotelica myſteria aut neſciant, aut aſpernentur. Sed Ariſtotelei ſi reſipiſcant aliquando, intelligent quàm Ariſtotelei fuerint. Primùm in hac modalium ſapientia quid eſt tam admirabile? Video primam concertationem fuiſſe de genere affirmationis & negationis in modalibus: quæ more cæterorum enuntiatorum primo ex verbo ipſo negari dicuntur:

De modalibus, quòd in his nulla noua præceptio requiratur.

deinde id refellitur, tandémque concluditur ex modo negationem definiri oportere: quia contradictionis partes ſecus ſimul eſſent vera. Vtrum igitur ô Ariſtotelei, flagitium maius eſt affirmare contradictionis propria partes ſimul eſſe veras, an ſimul eſſe falſas? Par, credo, eadémque culpa ſit. At ſi negatio ſolum modum complectatur, atque is modus extra reliquas orationis partes conſtituatur, vt grammatica ſyntaxis requirit, vtraque pars propriæ contradictionis falſa ſimul erit: vt ſi quis dixerit,

Bucephalus eſt leo neceſſario:

Bucephalus eſt leo non neceſſario.

Fuit autem Bucephalus equus Alexandri. Dicite obſecro Ariſtotelei, vtram harum partium vultis eſſe veram? neutram credo. At ſi modum cum verbo complecti placet oportere, vt ego diſputo, nulla erit negationis hîc cum cæteris enuntiatis differentia, & tota Ariſtotelis hæc diſputatio Ariſtotelica & ſophiſtica erit. Cùm verò per nomina loquimur, & dicimus neceſſarium, non neceſſarium, poßibile, non poßibile, error ille accidere non poteſt, vt partes, quæ videntur contradictionẽ enũtiationis habere, ſint ſimul falſæ: neque tamen enuntiationis (in qua cõtradictio inſtitui videtur) cauſſa id accidit, ſed natura rerum dißidentium, quæ ſubiecto eidẽ attribuuntur. Quod facilè percipies in eo exemplo, in quo quod ſubiicitur, duabus rebus cõtrariis, re vera ſubſiſtit, atque in rerum natura eſt: vt ſi de homine, qui re vera eſt, aliquid dixeris:

Omnis homo ſanus eſt,

Aliquis homo æger eſt.
Omnis homo ſanus eſt,
Aliquis homo eſt non ſanus.

In his enim exemplis quanuis enuntiationis contradictio nulla ſit, accidere tamen non poteſt, vt pars vtraque ſimul vera ſit, ſi modò (vt dixi) id quod ſubiicitur cõtrariis attributis, re vera ſit. Nam ſi chymæra, aut res aliqua fictitia ſubiiceretur, tum pars vtraque poßit eſſe falſa. Atque hæc falſitas omnino contingere non poßit, ſi vera (vt dixi) non fictitia ſubiecta ſint in contrariorum medio carentium affirmationibus, quarum vel vtraque propria ſit, vel altera generalis, altera ſpecialis: idque non propter enuntiationis oppoſitionem, ſed rerum adiunctarum repugnantiam euenit. Ita cùm dico,

Omnem hominem animal eſſe, eſt neceſſarium,
Aliquem hominem animal eſſe, eſt non neceſſarium.
Omnem hominem currere, eſt poßibile,
Aliquem hominem currere, eſt non poßibile.

Quanuis non accidit partem vtranque ſimul eſſe falſam, non ſequitur tamen contradictionis in enuntiatione iſtam vim eſſe, ſed rerum attributarum: quæ contradictionem verbi, non enuntiationis duobus vocabulis neceſſarium, non neceſſarium faciunt. Siue autem neceſſarium præcedat, ſiue ſequatur, nihil intereſt: ſyntaxis enim orationis pro nominatiuo antecedente habet infinitum illud verbum cum caſu nominis, hominem currere: nomina autem illa, poßibile, impoßibile,

neceſſarium, nõ neceſſarium, prædicata, id eſt, attributa ſunt. In primo autem illo genere enuntiationis

(Bucephalus leo eſt neceſſario:

Bucephalus leo eſt non neceſſario)

aduerbia illa neceſſariò, non neceſſariò, non ſunt tota attributa, ſeu prædicata, ſed attributionis affectionem declarant. In ſecundo uerò neceſſarium, non neceſſariũ, tota & ſola attributa ſunt. Quamobrem negatio modificatarum enuntiationum non alia eſt, quàm reliquarum: nec præcipuum præceptum hîc vllum eſſe neceſſe eſt. Nec certè modi hîc ab Ariſtotele conſtituti, omnes modi ſunt enuntiationum: nec ſolis his vtimur. quotquot enim aduerbia ſunt, tot modi verbis adiecti: quotquot nomina cum verbo ita iungũtur, vt ſanctum eſt veritatem omnibus rebus anteponere, pium eſt miſeros conſolari. Sed quatuor illi ex omnibus, tum fortè Ariſtoteli in mentem venere, cùm mirabilis illa modalium quæſtio ab eo tractabatur. Contradictione itaque modalium, ex modo ab Ariſtotele ita falſò conſtituta, noua ſcholæ ſequuntur qua ratione diſpoſita ſecundum contradictionem modales antecedant, conſequantúrve: quale antea ſophiſma in ænigmate de finitis & infinitis enuntiationibus fuit. Primus ordo vanus componitur: qui idcirco quia non quadrat ad numerum, reiicitur. Secundus qui ex correctione primi factus eſt, non improbatur quidem, ſed ei tertius anteponitur: atque idipſum tam Ariſtotelicum de modalibus ſophiſma non aliunde oritur, quàm ex verbi poßibilis ambiguitate: modò enim Ariſtoteles vt de-

Nõn tantum modi quatuor.

Modalium conſequutio ridicula.

ceptis vana argutandi ſubtilitate animis, ſimplices diſcipulos ſuos fallat, vſurpat poßibilis verbum, pro eo quod fieri poßit neceſſario aut non neceſſario, modò pro eo quod æquè poßit & fieri & non fieri. Ita verſandæ toties & commutandæ loco atque ordine modales fuerunt, antequam ad Ariſtotelis ingenium conuenirent. Veruntamen finge hæc eſſe vera: finge ſine fraude, ſine ſophiſmate, ſine impoſtura eſſe, quid tandem vtilitatis adferent? ἀπόδειξιν ab Ariſtotele ſua doctrina requiro, vtilitatis propter quam hæc doceantur, demonſtrationem reddi mihi volo: credo enim illud Ariſtoteli nihil teneri, nihil ſciri, nihil percipi, ſi cauſſa propter quam res eſt, ignoretur. An non eadem modalium, terminorum, ſuppoſitionum, ampliationum, aſcenſionum, deſcenſionum, & eiuſmodi nobilium artium ratio eſt? Hæc autem exploſa ſunt, quia ſine fructu, ſine vſu, ſine emolumento vllo diſcerentur: cur paribus in caußis nõ eſt eadem ratio? Haulcotum credo, Bricotum, Dulardum, & cæteros plebeios ſophiſtas Ariſtoteleos, humilitas ſua tueri non poterit: archiſophiſtam Ariſtotelem in modalium tantis ineptiis authoritas tam vana, támque falſa tueri poterit? At ſophiſma illud Ariſtotelicum prætereamus: Ariſtotelem Ariſtotele defendere Ariſtoteles ſophiſma, non argumentum eſſe ait: ματαιοτεχνία verò atque artis ſuperuacua imitatio ſimilis illius eſt, qui grana ciceris ex ſpatio diſtante miſſa in acum ſine fruſtratione inſerebat: quem cùm ſpectaſſet Alexander, donaſſe eum dicitur eiuſdem leguminis modio: quod quidem

præmium fuit illo opere digniſſimum. Quæſtio deinde eſt de pugna enuntiationum, an è rebus contrariis, an è modo enuntiandi contrario contradictio & oppoſitio maior oriretur. Quod ex definitione oppoſitionis diſſolui potuit: tales ſunt quæſtiones in his Ariſtotelis libris de futuro contingenti, de contradictione in pronuntiatis infinitis & modificatis, vanæ & inutiles, vt dixi. Artes enim ſimplicibus & perſpicuis præceptis exponi debent: quibus cognitis eiuſmodi quæſtiones innumerabiles & moueri & explicari poſſunt.

Quæſtio ſecũda de interpretationis arte, Quàm multa neceſſaria ab Ariſtotele hîc omittantur.

Atque hæc Ariſtotelica contradictionis eſt doctrina: quam dum vniuerſam cum noſtra vniuerſa comparo, Ariſtoteleos moneo, vt Ariſtotelei tantiſper eſſe deſinant, & ſeipſos Ariſtotelis authoritate ſepoſita, in conſilium adhibeant: audeántque de Ariſtotelis ſapientia, non ex vana ſuperſtitioſæ authoritatis vmbra, ſed ex rebus ipſis æſtimare. Docuimus in ſingulis capitibus, quàm aliena multa confudiſſet Ariſtoteles: quæſtio in deſcriptione doctrinæ prima eſt. Comparemus iam totam Ariſtotelis doctrinam cum tota noſtra, vt videamus quàm multa neceſſaria præcepta contradictionis omiſerit: quæ ſecunda quæſtio nobis poſita eſt.

Collatio veræ contradictionis cũ Ariſtotelis enũtiatione.

Definimus contradictionem in diſſentaneis proprio dialecticæ inuentionis loco: Ariſtoteles definiuit in hoc libro non ad illum vſum inuentionis, ſed quaſi ſit enuntiationis quædam proprietas & affectio. Titulus operis eſt περὶ ἑρμηνείας, *id eſt de enuntiatione aut interpretatione: non autem* περὶ ἀντιφάσεως, *id eſt de oppoſitione aut contradictione. Quare Ariſtoteles*

quod erat non rationis, id eſt dialecticæ proprium, ſed quod ſermonis, id eſt grammaticæ, principe loco ſibi explicandum propoſuit: Nos partimur in duo genera, ut contradictio ſit in verbo & enuntiatione: Ariſtoteles iſtam partitionem non habet: quin loco prioris generis deliramenta quædam nominis & verbi infiniti ſomniauit, & infinitorum enuntiatorum ſophiſma ſtupidum conturbauit. Nos ſecundum contradictionis genus in enuntiatione poſitum diuidimus ex ſubiecti ratione in ſimplicem & coniunctam: Ariſtoteles partitionem hanc non habet, & de coniunctæ enuntiationis cõtradictione nullam mentionem facit. Nos ſimplicis enuntiationis contradictionem triplicem facimus generalem, ſpecialem, propriam: Ariſtoteles totidem ſed verbis aliis: in ſchola enim Boetius contrariã, cõtradictoriã, ſingularem vocat. Nos partes nobilibus exemplis exornamus: Ariſtoteles hoc in Topicis quidem laudat (ut dixi antea) & faciendum admonet ei, qui perſpicuè docere volet: at tanquam legibus bene & perſpicuè docendi ſolutus ſit, nihil horum ſolet efficere, quæ præcipit aliis. Quamobrem tota iſta finitionum, partitionum, exemplorum diligentia, & gratia, Ariſtotelis tenebras vincimus: prætermiſit contradictionem in verbo: de coniunctæ enuntiationis contradictione tacuit: ut iam merito quæſtionem utranque doctrinæ concludamus, & multa ab Ariſtotele non neceſſaria contradictionis præcepta eſſe confuſa, & multa neceſſaria eſſe prætermiſſa. Hîc quoque Ariſtotelei conſectarium illud inuentionis Ariſtotelicæ co-

Conſectarium de locis problematis cõmunibus.

Quæſtio tertia de vſu.

gitate, & recordamini contradictionem quæ hoc libro confunditur, nihil præcipuè ad Ariſtotelis problema pertinere, ſed omnium quæſtionum communem eſſe. Hîc verò quid vultis Ariſtotelei, vt requiram tantæ confuſionis vſum, & denuò dialecticum aliquem diſcipulum noſtrum, cum Ariſtoteleo aliquo componam? vosipſi, vos inquam ipſi hanc contentionem æquis animis diſceptate. Nos vſum contradictionis ſicuti reliquorum diſſentaneorum, ad intelligendum vim & genus controuerſiæ, quod inter contendentes aliqua de re ſit, adhibemus: plerunque enim inconſideratæ diſputationes excitantur magis de nominis controuerſia, quàm rei, quæ de agitur: adhibemus ad mendacium & inconſtantiam coarguendum: qui enim contradicentia loquatur, ſibi conſtare non poſſe iudicamus: adhibemus denique ad omnem veritatem conſiliorum, cauſſarum, diſquiſitionum, actionum. Conſiderate quonam pacto ad popularem & humanum vitæ vſum doctrina Ariſtotelis duobus libris interpretationis confuſa poßit accommodari: quem prudentiæ locum obtinebunt tota illa capita quomodo notiones, voces, ſcripturæ conueniant & differant, quid nomen, quid verbum & finitum & infinitum, quæ ſpecies orationis, tum reliqua illa quæ ſequitur, nubes futuri contingentis, tum ſophiſtica ænigmata de finitorum & infinitorum quæſtione, de modalium altercatione, item de coniunctorum & diuiſorum cõcluſione? Nam ſi de verſibus ſenariis pluſquam mille, qui hîc ab Ariſtotele conſumuntur, decem in definitiones contradi-

ctionis (quam Ariſtoteles definiuit) ſubduxeris, reliqui non inertes modò, & ignaui planè, ſed etiam malitioſe à peruerſo ingenio ad confuſionem contradictionis confictí videantur. Quæ cùm ſubduxeritis, poſtremum illud quoque reuocate, quod in terminis, quod in prædicabilibus Porphyrij, quod in Ariſtotelis prædicamentis poſuimus: vos tot, tantarúmque tenebrarum confuſione quomodo vtimini? quam prudētiæ humanæ rationem hinc exquiritis? Vidi equidem qui glorioſum ſe putaret, & excellentem Ariſtoteleum, ſi in definitione nominis argumentorum myriadas clamaret. Demoſthenem ferunt in litore maris, ad fluctum declamare ſolitum, vt fremitum aſſueſceret voce vincere: ſic videlicet Ariſtotelei & vocem, & latera exercent ſua: de nominibus & verbis infinitis, de enuntiatorum infinitorum, & modalium anteceßione, & conſecutione ad ſcholaſticos fremitus declamitant. Deus optime maxime Ariſtoteleos reſpice, & miſerrimis atque infælicißimis tenebris libera: vſus dialecticæ bene traditæ verſatur in exponendis probatis exemplis præſtātium oratorum, poetarum, philoſophorum, in imitandis & exprimendis ſcribendo, dicendo eorum virtutibus. Ariſtotelei pro ſolidis, & veris præceptis nugas habent, quas nō minus pueriliter altercando exercent, quàm ipſæ aniliter ſunt inuentæ.

Confecta rium de locis problematis cōmunibus. Quæſtio tertia de vſu.

gitate, & recordamini contradictionem qua hoc libro confunditur, nihil præcipuè ad Ariſtotelis problema pertinere, ſed omnium quæſtionum communem eſſe. Hîc verò quid vultis Ariſtotelei, vt requiram tanta confuſionis vſum, & denuò dialecticum aliquem diſcipulum noſtrum, cum Ariſtoteleo aliquo componam? vosipſi, vos inquam ipſi hanc contentionem æquis animis diſceptate. Nos vſum contradictionis ſicuti reliquorum diſſentaneorum, ad intelligendum vim & genus controuerſiæ, quod inter contendentes aliqua de re ſit, adhibemus: plerunque enim inconſideratæ diſputationes excitantur magis de nominis controuerſia, quàm rei, qua de agitur: adhibemus ad mendacium & inconſtantiam coarguendum: qui enim contradicentia loquatur, ſibi conſtare non poſſe iudicamus: adhibemus denique ad omnem veritatem conſiliorum, cauſſarum, diſquiſitionum, actionum. Conſiderate quonam pacto ad popularem & humanum vitæ vſum doctrina Ariſtotelis duobus libris interpretationis confuſa poßit accommodari: quem prudentiæ locum obtinebunt tota illa capita quomodo notiones, voces, ſcripturæ conueniant & differant, quid nomen, quid verbum & finitum & infinitum, quæ ſpecies orationis, tum reliqua illa quæ ſequitur, nubes futuri contingentis, tum ſophiſtica ænigmata de finitorum & infinitorum quæſtione, de modalium altercatione, itẽ de coniunctorum & diuiſorum cõcluſione? Nam ſi de verſibus ſenariis pluſquam mille, qui hîc ab Ariſtotele conſumuntur, decem in definitiones contradi-

ctionis (quam Ariſtoteles definiuit) ſubduxeris, reliqui non inertes modò, & ignaui planè, ſed etiam malitioſe à peruerſo ingenio ad confuſionem contradictionis conficti videantur. Quæ cùm ſubduxeritis, poſtremum illud quoque reuocate, quod in terminis, quod in prædicabilibus Porphyrij, quod in Ariſtotelis prædicamentis poſuimus: vos tot, tantarúmque tenebrarum confuſione quomodo vtimini? quam prudētiæ humanæ rationem hinc exquiritis? Vidi equidem qui glorioſum ſe putaret, & excellentem Ariſtoteleum, ſi in definitione nominis argumentorum myriadas clamaret. Demoſthenem ferunt in litore maris, ad fluctum declamare ſolitum, vt fremitum aſſueſceret voce vincere: ſic videlicet Ariſtotelei & vocem, & latera exercent ſua: de nominibus & verbis infinitis, de enuntiatorum infinitorum, & modalium anteceſſione, & conſecutione ad ſcholaſticos fremitus declamitant. Deus optime maxime Ariſtoteleos reſpice, & miſerrimis atque infœliciſſimis tenebris libera: vſus dialecticæ bene traditæ verſatur in exponendis probatis exemplis præſtātium oratorum, poetarum, philoſophorum, in imitandis & exprimendis ſcribendo, dicendo eorum virtutibus. Ariſtotelei pro ſolidis, & veris præceptis nugas habent, quas nō minus pueriliter altercando exercent, quàm ipſæ aniliter ſunt inuentæ.

Conſectarium de locis problematis cōmunibus.

gitate, & recordamini contradictionem quæ hoc libro confunditur, nihil præcipuè ad Ariſtotelis problema pertinere, ſed omnium quæſtionum communem eſſe. Hîc verò quid vultis Ariſtotelei, vt requiram tantæ confuſionis vſum, & denuò dialecticum aliquem diſcipulum noſtrum, cum Ariſtoteleo aliquo componam? voſipſi, vos inquam ipſi hanc contentionem æquis animis diſceptate.

Quæſtio tertia de vſu.

Nos vſum contradictionis ſicuti reliquorum diſſentaneorum, ad intelligendum vim & genus controuerſiæ, quod inter contendentes aliqua de re ſit, adhibemus: plerunque enim inconſideratæ diſputationes excitantur magis de nominis controuerſia, quàm rei, quæ de agitur: adhibemus ad mendacium & inconſtantiam coarguendum: qui enim contradicentia loquatur, ſibi conſtare non poſſe iudicamus: adhibemus denique ad omnem veritatem conſiliorum, cauſſarum, diſquiſitionum, actionum. Conſiderate quonam pacto ad popularem & humanum vitæ vſum doctrina Ariſtotelis duobus libris interpretationis confuſa poßit accommodari: quem prudentiæ locum obtinebunt tota illa capita quomodo notiones, voces, ſcripturæ conueniant & differant, quid nomen, quid verbum & finitum & infinitum, quæ ſpecies orationis, tum reliqua illa quæ ſequitur, nubes futuri contingentis, tum ſophiſtica ænigmata de finitorum & infinitorum quæſtione, de modalium altercatione, item de coniunctorum & diuiſorum cōcluſione? Nam ſi de verſibus ſenariis pluſquam mille, qui hîc ab Ariſtotele conſumuntur, decem in definitiones contradi-

ctionis (quam Ariſtoteles definiuit) ſubduxeris, reliqui non inertes modò, & ignaui planè, ſed etiam malitioſe à peruerſo ingenio ad confuſionem contradictionis confiicti videantur. Quæ cùm ſubduxeritis, poſtremum illud quoque reuocate, quod in terminis, quod in prædicabilibus Porphyrij, quod in Ariſtotelis prædicamentis poſuimus: vos tot, tantarúmque tenebrarum confuſione quomodo vtimini? quam prudẽtiæ humanæ rationem hinc exquiritis? Vidi equidem qui glorioſum ſe putaret, & excellentem Ariſtoteleum, ſi in definitione nominis argumentorum myriadas clamaret. Demoſthenem ferunt in litore maris, ad fluctum declamare ſolitum, vt fremitum aſſueſceret voce vincere: ſic videlicet Ariſtotelei & vocem, & latera exercent ſua: de nominibus & verbis infinitis, de enuntiatorum infinitorum, & modalium anteceßione, & conſecutione ad ſcholaſticos fremitus declamitant. Deus optime maxime Ariſtoteleos reſpice, & miſerrimis atque infœliciſsimis tenebris libera: Vſus dialecticæ bene traditæ verſatur in exponendis probatis exemplis præſtãtium oratorum, poetarum, philoſophorum, in imitandis & exprimendis ſcribendo, dicendo eorum virtutibus. Ariſtotelei pro ſolidis, & veris præceptis nugas habent, quas nõ minus pueriliter altercando exercent, quàm ipſæ aniliter ſunt inuentæ.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber ſextus.

De abundantia propoſitionum & inuentione medij.

SEd ad dialectica inuentionis quintas tenebras tranſeamus, vt duo libri proximi ad vnum locum dialecticæ contradictionis confundendum: ita duo ſuperiores prædicabilium & prædicamentorum ad conturbandũ intelligentiam generis, ſpeciei, formæ, adiunctorum, factorum, coniugatorum, contrariorum conſcripti ſunt. Duo capita è primo de analyticis prioribus libro ſequuntur de abundantia propoſitionum & inuentione medij: prius loco priore excutiamus, & ſingulos locos expendamus. Quid igitur, an hîc Ariſtoteles inuentionem totam declarare voluit? videtur quidem, & capitum tituli de abundantia propoſitionum, de inuentione medij atque argumẽti hoc profitentur. Quãobrem prædicabilia, prædicamenta, interpretationes non expoſuerint dialecticam inuentionem, ſed in altiſſimas & obſcuriſſimas tenebras demerſerint, hîc fortaſſe vera, & legitima eius doctrinæ inſtitutio ab Ariſtotele tradetur. Ariſtoteles igitur inuentionem dialecticam tradit: & nos eam docemus: hîc voluntates noſtræ conueniunt. vtinam hîc Apollo aliquis

Ariſtotelem Ariſtotelis diſsimilem fecerit: heu quanto labore liberi eſſemus. Sed tamen conſideremus, qualis Ariſtotelis doctrina ſit: vt eam tandem ſequamur, ſi certa, ſi vtilia doceat: atque propoſitum illud noſtrũ etiam hîc retineamus, multa non neceſſaria dialecticæ inuentionis præcepta Ariſtoteles hic cõfundit: multa neceſſaria prætermittit: Ariſtoteleorum exercitatio conſentanea præceptis accedit: & de artis deſcriptione primam quæſtionem quàm multa confundantur, ex ſingulorum conſideratione expediamus. Dico verò præter definitionis & diſſentanei non explicationes claras & perſpicuas, ſed obſcuras notas, in his duobus capitibus dialecticum nihil eſſe. Singulos igitur horum capitum locos ſpectemus, & ita diuiſos vt vulgò diuiduntur. In capite de abundantia propoſitionum, vt mediorum, id eſt argumentorum rationes Ariſtoteles explicaret, hanc partitionem & his verbis primo loco „ orditur. Omnium igitur quæ ſunt, hæc quidem ſunt ta„ lia, vt de nullo alio prædicentur verè vniuerſaliter, „ vt Cleon & Callias, & quod ſingulare, & ſenſibile: „ de his autem alia: nam & homo, & animal vterque „ horum eſt: illa verò & ipſa quidem de aliis prædican„ tur, de illis autem alia prius non prædicantur: alia au„ tem & ipſa de aliis, & de his alia: vt homo de Cal„ lia, & de homine animal. Paulo pòſt concludit Ariſtoteles omnes ferè argumẽtorum diſputationes ex hoc „ tertio & medio genere ſumi: ſic autem loquitur, Quæ „ autem in medio ſunt, manifeſtum quoniam vtrun„ que contingit: nam & hæc de aliis, & alia de his di-

Quæſtio prima, Quàm multa non neceſſaria in his capitibus ab Ariſtotele confundãtur.

» *cuntur, & penè rationes & conſiderationes ſunt ma-*
» *ximè de his. Prædicamentorum error, hic Ariſtoteleus eſt: fingit Ariſtoteles prædicamentum quoddam ſubſtantiæ: in quo Cleon infimo videlicet loco ſit, ſubſtantia ſummo, intermedio homo, animal, corpus, vt hoc ordine deſcribuntur Cleon, homo, animal, viuens, corpus, ſubſtantia. Sic enim Porphyrius prædicamentum in prædicabilibus. Quo in ordine Ariſtoteles exiſtimat de ſummo & infimo loco argumentum nunquam ferè ſumi: frequentiſsimè verò ex his quæ ſunt in medio: vnde fortaſſe argumentum medium ab Ariſtotele in logicis libris perpetuò nominatur. Verùm Ariſtoteles fœdè ac turpiter hîc labitur, tum quòd illum nobis prædicamenti ordinem proponit, vnde argumenta ſumamus: tum quòd media ſola ad diſputandum relinquit, extrema tollit. Animus enim differentis nō peragrat inanes prædicamētorum (vt antea docui) ſalebras: quæ dialecticæ inuentionis ferè nihil habent: ſed cauſſas, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, partes, finitiones, teſtimonia conſiderat: quæ genera argumentorum omnibus prædicamentis & generaliora ſunt, & modis omnibus ad diſſerendum clariora & promptiora, vt illic demonſtraui. Quòd autem ex infimo & ſupremo prædicamenti loco putat Ariſtoteles argumenta, aut nunquam, aut rarò ſumi, tam falſum eſt, quàm qui putaret è partibus, & toto argumenta nulla ſumi. De principio aliquo ſi dubitatio ſit, monet Ariſtoteles illuſtrandum & affirmandum eſſe ſingularum partium inductio-*

Quare argumentū ab Ariſtotele medium dicitur.

Argumentum ſumitur ex ſingularibus.

ne. Ergo iudicio tuo ô Ariſtoteles ſingularia illa quæ tu reiicis, ſæpe argumenta erunt: quoniam iudicio tuo frequens eſt inductio. Appellat Ariſtoteles ſyllogiſmos expoſitorios, qui exemplo rei ſingularis efficiuntur: vt

Socrates eſt ſubſtantia:
Socrates eſt homo.
Ergo quidam homo eſt ſubſtantia.

Ariſtotelis igitur iudicio ſingularia argumẽta vſum habebũt. Quid verò Ariſtoteles, ſubſtãtia, & in tuis prædicamẽtis nouẽ ſumma reliqua genera rarò argumẽta erunt? An nõ vt ad tractandũ genus, ſpecies ſingulares adhibẽtur: ſic vniuerſum genus ad explicandum ſpeciẽ ſolet adhiberi? Qualis enim eſt hic ſyllogiſmus:

Nulla ſubſtantia eſt accidens:
Omnia animalia ſubſtantiæ ſunt.
Nulla igitur animalia accidentia ſunt.

An non eſt hîc ad tuam legem ſyllogiſmus? an non licet mille ſimiles rationes ex ſummis illis tuis generibus concludere? Quare primi capitis huius nobilis hæc ingreſsio ſophiſtica dupliciter & fallax eſt, & quod inuẽtiones argumẽti ad prædicamẽta reuocat, quæ dialectica inuentionis nihil ferè ſunt niſi tenebræ: & quod docet argumenta media eiuſmodi eſſe. Reliquos inuentionis in hoc capite locos videamus. Monet ſecundo loco Ariſtoteles, vt definitiones rerum & proprietates, & conſequentia, & antecedentia, & diſſentanea videantur: horum nihil definit: Ariſtotelicum eſt. Definitio autem & diſſentanea vera nomina ſunt argumentorum: proprietas ex adiunctis rebus eſt, vt an-

tea in Porphyrio monui: antecedentia & conſequentia omnia argumentorum genera exceptis diſſentaneis, continent: ſed ſine diſtinctione: & quicquid tamen cõtinetur in ea confuſione, id definitè & partitè cauſsis, factis, ſubiectis, adiunctis, collatis, nominibus, tributionibus, finitionibus, teſtimoniis diſtinguitur. Quare confuſio illa ab artis præceptis remoueatur. Diſſentanea autem Ariſtoteles ab argumentis reiicit ratione prorſus
„ Ariſtotelea. Quibus autem (ait) ipſa res non contingit,
„ non ſumendum, eo quòd conuertitur priuatiua. de hoc conuerſionis ludibrio dicam poſtea in analyticis prioribus: hic Ariſtotelis locus lectione dignus eſt, verba ſubſcribam, vt ſingularis & admirabilis philoſophi
„ doctrina cognoſcatur: Oportebit (ait) propoſitiones cir-
„ ca vnum quodque horum ſic ſumere ſupponentes ip-
„ ſum primum & definitiones, & quæcunque propria
„ ſunt rei: deinde poſt hoc quæcunque ſequuntur rem: &
„ rurſum, quæ res ſequitur, & quæcunque non contin-
„ gunt ipſi ineſſe, quibus autem ipſa non contingit, non
„ ſumendum, eo quòd conuertitur priuatiua. Hæc Ariſtotelis oratio eſt: Ariſtoteli obſcuritates ſuas nihil obiicio, intelligo quid dicat, ſed ineptias, & nugas confuſionis coarguo. Tertius locus ſequitur: verba ſunt A-
„ riſtotelis: Diuidendum autẽ eſt, & eorum quæ ſequun-
„ tur quæcunque in eo quod quid eſt, & quæcunque vt
„ propria, & quæcunque vt accidentia prædicantur:
„ & horum quæ ſecundum opinionem, & quæ ſecun-
„ dum veritatem: quanto enim plurium talium abun-
„ dauerit quis, citius inueniet concluſionem: quanto au-

tem veriorum,magis demonſtrabit.obſcurus & tenebricoſus eſt Ariſtoteles:hoc non reprehendo ſolùm : intelligo quid obruat : conſilium & mentem perpendo: conſequentia diuidit duobus modis, primo trifariam: quædam prædicantur in eo quod quid eſt : quædam vt propria , quædam vt accidentia . Verùm quænam eſt iſta cōfuſio? Antea iubemur ab Ariſtotele videre definitiones,propria,conſequētia,vt diſtincta opinor,& diuerſa argumētorū genera:nūc verò definitiones quæ prædicantur in eo quod quid eſt, & vt propria,partes fiūt cōſequentiū:nunc propria quæ ſecundo loco à conſequētibus diſtinguebātur,partes itē fiunt conſequentiū. Secunda diuiſio eſt conſequentiū,quædam ſecundū opinionē prædicantur,quædā ſecundū veritatē.Quid iſta diuiſio?Nónne omnibus argumētis non conſequentibus modò , ſed antecedentibus,ſed diſsidentibus poteſt attribui?Et hic ex grammatica ſermonis accidentia Ariſtotelicas tricas rurſus offendimus de prædicatione & attributione vocabulorum, vnde prædicabilia & prædicamenta,& poſtea prædicata facta ſunt. Quartus & quintus , & ſextus locus eſt,vt eligantur, quæ generaliter conſequuntur & antecedunt . Nihil dialectica hîc dignum eſt : redit Ariſtoteles omiſsis antecedentibus & conſequentibus ad propria, & ea ſeptimo loco iubet ut ſumantur , tum quæ ſunt ſpeciei , tum quæ ſunt generis : hîc ad inueniendum conſilij nihil eſt,quoniam proprium(vt dixi antea)nihil eſt inuentionis dialecticæ . Octauus locus de conſequentibus denuò eſt, verba propter ſingularis ſenſus elegantiam a-

Conſequētium inepta diuiſio.

„ ſcribam. Neque autem vniuerſale eligendum iis quæ „ ſequitur, quod continetur: vt animal his quæ ſequitur „ homo: neceſſe eſt enim ſi hominem ſequitur animal, & „ hæc omnia ſequi: conuenientiora autem hæc hominis. „ electioni. Hæc Ariſtoteles, quæ diligenter perpende, refutationem noſtram non requirent, ſed irriſionem tuam. Nonus locus eſt etiam de conſequentibus, vt ſumantur, quæ plerunque ſequuntur. Decimus eſt item de conſequentibus, ne ſumantur quæ ſequuntur omnia, quia nullus inde ſyllogiſmus fieret: in quo mendacium primi loci nouo mendacio cumulatur. Subſtantia & cætera Ariſtotelis ſumma genera ſequuntur omnia ſibi ſubiecta: hinc non putat Ariſtoteles ſyllogiſmum fieri. Sit verò quòd maximè generale, & commune eſſe poßit, quod Ariſtotelei tranſcendens nominant: res itaque eſto. Videamus an nullus inde ſyllogiſmus fieri poßit, & falſo licet exemplo, tamen aliquid Ariſtoteleis gratificemur.

Omnis res ab Ariſtotele cognita eſt:
Omnis dialectica res quædam eſt.
Omnis igitur dialectica ab Ariſtotele cognita eſt.

An nullus hic ſyllogiſmus eſt? an non licet tales infinitos ex maximè communibus, & (vt tui loquuntur) tranſcendentibus, ſyllogiſmos inſtituere? Decem locos in hoc capite dialecticæ inuentionis nobis propoſuiſti: in quibus duo vocabula dialecticorum argumentorum attigiſti: definitionem & diſſentanea, eáque tuis ſingularibus tenebris exornaſti: reliqua omnia in his

cœnoſis & turbidis non fontibus, ſed lacunis ingenij tui propria ſunt, vana, nugatoria, falſa. Hanc egregiam propoſitionum copiam ſequitur caput alterum inuentionis Ariſtoteleæ (cui titulus eſt de inuentione medij) omnium quæ adhuc attigimus, in tot Ariſtotelis nugis, maximè irridendum. Quàm miſera ſuperſtitio Ariſtoteleos hoc loco torquet! quàm ipſe Ariſtoteles ſuos diſcipulos hoc loco miſerè cruciat! Inueniendi argumēti (quod medium vocat) doctrinam pollicetur: ſed callidus & vafer artifex ſic omnia demonſtrationibus ſuis (ſic enim vocat Ariſtoteles tenebras) obſcurauit, vt cùm ridiculæ ſtultitiæ plena ſint omnia, admirabile tamen quiddam & beatum in his ſacris tenebris ſubeſſe creduli Ariſtotelei exiſtimēt. Animaduertamus igitur quænam ſint hæc tam occulta myſteria. Admirabiles ſapiētiæ Ariſtoteleæ theſauros iam percipiamus. Omnis complexio vel vniuerſalis eſt, vel particularis, vel affirmatiua, vel negatiua, ait Ariſtoteles. Omnia igitur hæc complexionum genera ex definitionibus ſyllogiſmorum paulò antè in eodem analytico traditis, & nūc Ariſtotelicè repetitis inſtituit. Primus locus eſt definitio primi modi, primi generis ſimplicium ſyllogiſmorum: Ariſtotelei Barbara nominant. Vt vniuerſam affirmationem concludas, conſiderandum eſt argumentum, quod antecedat maius extremum quæſtionis, ſequatur minus. Verba ſunt Ariſtotelis: » *Conſtruere ergo volentibus aliquid de aliquo* » *toto, eius quidem quod conſtruitur, inſpiciendum ad* » *ſubiecta, de quibus ipſum dicitur: de quo autem opor-*

De inuentione medij Ariſtotelis nugæ vbi ſyllogiſmorum definitiones ꝓ locis inuentionis turbantur.

lz.i.

» tet prædicari, quæcunque hoc ſequuntur: ſi enim ali-
» quod horum ſit idem, neceſſe eſt alterum alteri ineſſe.
Hæc concluſio ab Ariſtoteleis Barbara vocatur: & hu
ius ſyllogiſmi definitio eſt ab Ariſtotele eiuſdem libri
capite quarto tradita. Secundus locus ſequitur. Vt ſpe-
cialem affirmationem concludas, argumentum conſi-
dera, quod antecedat vtrunque extremum. Verba ſunt
» *Ariſtotelis: Si autem non quoniam omni, ſed quoniam*
» *alicui, quæ ſequitur vtrunque: ſi enim aliquod horum*
» *idem fuerit, neceſſe eſt alicui ineſſe. Hæc concluſio eſt in*
tribus modis tertij generis ſimplicium ſyllogiſmorum:
quos Ariſtotelei vocant Darapti, Diſamis, Datiſi. In
quo tamen valde Ariſtoteleus, & ſtupidus eſt Ari-
ſtoteles: ſic enim hic loquitur, quaſi ſpecialis affirmatio
non concludatur etiam primo ſimplicium ſyllogiſmo-
rum genere. Tertius eſt locus. Vt vniuerſam negatio-
nem concludas, conſiderandum argumentum, quod ſe-
quatur minus extremum, repugnet maiori, aut contrà
repugnet minori, ſequatur maius. Verba ſunt Ariſto-
» *telis: Quando autem nulli oporteat ineſſe, cui quidem*
» *oportet non ineſſe, ad ſequentia ſubiecti: quod autem*
» *oportet non ineſſe, inſpiciendum ad ea quæ non contin-*
» *gunt illi adeſſe, aut conuerſim, cui quidem oportet non*
» *ineſſe, ad ea quæ non contingunt eidem adeſſe: quod ve*
» *rò non ineſſe, inſpiciendum ad ſequentia. Nam ſi hæc*
» *ſint eadem vtrorumque, nulli contingit alteri alte-*
» *rum ineſſe: fit enim quandoque quidem in prima figu*
» *ra ſyllogiſmus, quandoque autem in media. Hi duo*
modi ſyllogiſmorum nominantur ab Ariſtoteleis Ce-

ſare & Cameſtres, & eorum definitiones ab Ariſtotele pro locis inuentionis hîc offunduntur, diſpoſitio videlicet inuentionis partes Ariſtotelis iudicio capiet. Poſtremus eſt locus. Vt ſingularem negationem concludas, videndum eſt argumentum, quod conſequatur minus extremum, repugnet maiori. Verba ſunt Ariſtotelis: Si autem alicui non ineſſe, cui quidem oportet non ineſſe, quæ conſequitur: quod verò non ineſſe, quæ non poßibile eſt illi ineſſe: ſi enim aliquid horum ſit idem, neceſſe eſt alicui non ineſſe. Ariſtoteles etiam magis hîc eſt Ariſtoteles, quàm antea, qui hanc concluſionẽ ſic inſtruit, quaſi vnico iſto genere cõcludi poßit, quem in tertia figura Ariſtotelei ſtatuunt, nõ autem etiam in Ferio & Feſtino: vtar enim, vt promiſi, verbis eorum, vt me facilius intelligant. Hi ſunt capitis huius ſubtilißimi, & τοπικώτατοι loci, qui quid aliud, quàm periſſologian ridiculam continent? Nónne hæc Ariſtotelea oracula diſpoſitionem (quæ in figuris tradita eodem analytico paulò antè fuerat) hîc perturbatam rurſus inculcant? Cùm enim modum primæ ſpeciei ſimplicium ſyllogiſmorum definis ô Ariſtoteles, nónne dicis eſſe, cùm argumentum & maius extremum quæſtionis antecedit, & conſequitur minus? idémque in cæteris locis? Aliis verbis vteris, ſed idem tamen ſignificantibus: nunc verò cùm me doces, quo modo argumentum ſit inueniendum, hanc iterum regulam quaſi lesbiam ad omnes parietes flexibilem apponis, vt requiram quod antecedat maius, conſequatur minus. Quínam ſunt hi loci inueniendo-

rum argumentorum? diſpoſitionem quandam praſcribi video, de genere & modo anteceſsionis & conſecutionis cum partibus quaſtionis, qua Ariſtoteli figura & compoſitio ſyllogiſmi dicitur: admonitionem trahendi è quaſtione argumenti (qua doctrina inuentionis eſt) non video. Qua cùm argutus hic doctor fortaſsis agnoſceret, per demonſtrationes ſibi apud imperitos cauit, & fallaciam, fraudémque tectoriis aſſumptis obduxit. Tales enim Ariſtotelis ſunt demonſtrationes, non vt rem explicent obſcuram, ſed vt vel facilem obſcurent. Nec praclaras iſtas Ariſtotelis artes Ariſtotelei tandiu diſsimulare potuerunt. Interroga enim ſcholaſticum ex his quempiam, quid hic Ariſtoteles faciat: reſpondebit ab eo conſtrui pontem aſinorum. Quare? vt aſinos hoc interiecto ponte & profanos ab hac ſcientia reiiciat. O fabrum pontis aſinarij! ſiccine ſtudioſa iuuentuti illudere? publicis commodis imponere? liberalibus ſtudiis inſidiari? Veruntamen, Deus bone, ad vos aliquando Ariſtotelei redite, bona iuuentuti (qua vos nihil offendit) nobis etiam tam vehementer iraſci deſinite, qui tantis tenebris Dialecticam liberare cupimus. Non enim id agunt vigilia noſtra, vt vllam dialectica artis partem imminuant, ſed vt modis omnibus augeant & amplificent: nec vt propoſitionum copiam, aut inueniēdi argumenti doctrinam ſubuertant, ſed ab Ariſtotele perditam reſtituant.

Pons aſinorum in Ariſtotelici medij inuẽtione

Quæſtio ſecunda, Quàm multa ne-

Enimuero mementote Ariſtotelei, quod in pradicamentis Ariſtotelis accuratius fecimus, vt ex generali doctrina & deſcriptione, & vſu doceremus totam

illam prædicamentorum commentationem alienam à vera & naturali dialectica eſſe: per vos ipſos illum comparationis laborem ſuſcipite, ne ſæpius eodem vos argumento premere ac vrgere cogar, cùm tamen vno exemplo docti cætera per vos poſsitis intelligere. Ariſtoteles inuentionis dialecticæ doctrinam profitetur: nos item: vter ad vſum melius, conſiderate. Hæc enim de duabus doctrinæ mihi propoſitis quæſtionibus reliqua eſt. Nos totam inuentionis doctrinam à ſummo capite definitionibus, partitionibus, exemplis ad extremas partes explicamus. Ariſtoteles hic nec ſumma, nec media, nec infima explicat, nihil definit, nil partitur, nullis nobilibus & Homericis exemplis (vt tamen ipſe aliis præcipit) vtitur: imò verò videte Ariſtotelei quàm multas inuentionis partes in tam admirabili (vt putatis) inuentionis doctrina prætermittat, de tot argumentorum generibus, quæ ſunt in cauſis: finis, forma, efficiens tam varij generis, quæ per ſe efficiat, quæ adiuuet, quæ procreet, quæ conſeruet, quæ conſilio agat, quæ ſine conſilio: vi naturæ, fortunæ, neceſsitatis efficiat, item materia: tum effecta, ſubiecta & adiuncta trium generum, diſſentanea, collationes maiorum, minorum, parium, ſimilium, diſsimilium: tum notatio, coniugata, diſtributio ex cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, definitio & propria & deſcriptio, teſtimonia tum diuina, tum humana: ex tot inquam argumentorum generibus, & modis duo duntaxat nominat his duobus capitibus Ariſtoteles, nominat inquam: non enim definit, non partitur, non interpreta-

ceſſaria in his locis ab Ariſtotele omittantur.

tur exemplis perſpicuis & inſignibus: niſi fortè carbones abecedarios Homerica exempla eſſe arbitramur. Quare non ſolum hîc elegantia doctrinæ & forma vincimus Ariſtotelem, ſed tota doctrinæ quaſi materia ſuperamus. Ad hanc enim velut exædificandam inuentionis doctrinam, non ſolum manu atque opere & architectura denique ipſa, id eſt methodo, & artificioſa collocatione generum & præceptionum, ſed lapidibus, ſed lignis, & cæmentis, ſed totius ædificationis materia vincimus. Atque hîc ne appendicem obliuiſcamur, quòd Ariſtotelicorum problematum proprium nihil hîc inſtruatur, ſed omnia horum duorum capitum; & non neceſſaria & neceſſaria præcepta communia ſint omnium quæſtionum. Vſum verò (qui poßit ex hac Ariſtotelis tam Ariſtotelica cacotechnia exiſtere) nolite requirere, vt cùm noſtræ doctrina clariſsimo & ampliſsimo vſu conferam: pudet iterum è diſcipulis noſtris aliquem cum Ariſtoteleo veſtro comparare. Credite Ariſtoteli,

Conſectarium de locis problematis cõmunibus. Tertia queſtio de vſu.

ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.

Nunquam hîc vllam viam reperietis, poetas, oratores, philoſophos ſic explicandi, vt nos inſtitutionibus noſtris explicandos admonemus: nunquam vllam ſcribẽdi ac dicendi parem rationem inuenietis. Cum verò ab Ariſtotele diſceſſeritis, ſpectate qua diligentia tam mirabilem inuẽtionis doctrinam exerceatis. Hoc enim ſecundum crimen eſt, quo vos omnibus locis & verè, & conſtanter accuſo, non ſolum conturbatam, inutilem, & nugatoriam artem habetis: ſed etiam confuſe,

inutiliter, nugatoriè exercetis. An quiſquam veſtrum ſuſpicatus vnquam eſt, quorſum iſta Ariſtotelis, tam Ariſtotelea cacotechnia traderetur? quomodo mẽtem, quomodo his, inquam, præceptis acuitis? ad quam humanitatis aut prudentiæ ſpeciem refertis? Poſitiones in ſchola credo tenentur bene diſputabiles & clamabiles: ſic enim loquentem intelligetis opinor. Atque hic vſus, hæc vtilitas, hic fructus, hæc exercitatio Ariſtoteleæ inuentionis eſt, vt

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tãdem Ariſtotelei aliquãdo validi, & robuſti clamatores exiſtant. At Ariſtoteles non hîc in libris quidem mortuus, ſed ille viuus Theophraſtum non ſic exercuit: non ſunt illæ theſes oratoriæ: non eſt illa Iſocratis oratoria æmulatio. Non dubito tamen Ariſtoteleos, cùm ſe vehementius vrgeri viderint, ſæpias imitaturos eſſe: vt enim piſces illi cùm ſe peti à piſcatoribus ſenſerint, effuſo atramento, quod illis eſt pro ſanguine, infuſcata aqua abſcondunt ſe, & piſcatoribus iter veluti ſæpiunt atque intercludunt: ſic Ariſtotelei cùm veritate, cùm luce, cùm firma conſtantiq́ue ratione vrgeantur & conſtringantur: contorta aliqua & obſcurata diſtinctione ſeſe tutantur: etſi nubem diſtinctionis aliquam contradicentibus oppoſuerint, præclarè ſe philoſophatos exiſtimant. Verùm turbida iſta aqua reſidebit aliquando, nec perpetuò conqueremur, quod Perſius de inertibus diſcipulis, Ariſtotelis viui conſuetudo.

Nigra quòd infuſa vaneſcat ſæpia lympha.

Opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia

tur exemplis perſpicuis & inſignibus: niſi fortè carbones abecedarios Homerica exempla eſſe arbitramur. Quare non ſolum hîc elegantia doctrinæ & forma vincimus Ariſtotelem, ſed tota doctrinæ quaſi materia ſuperamus. Ad hanc enim velut exædificandam inuentionis doctrinam, non ſolum manu atque opere & architectura denique ipſa, id eſt methodo, & artificioſa collocatione generum & præceptionum, ſed lapidibus, ſed lignis, & cæmentis, ſed totius ædificationis materia vincimus. Atque hîc ne appendicem obliuiſcamur, quòd Ariſtotelicorum problematum proprium nihil hîc inſtruatur, ſed omnia horum duorum capitum, & non neceſſaria & neceſſaria præcepta communia ſint omnium quæſtionum. Vſum verò (qui poſſit ex hac Ariſtotelis tam Ariſtotelica cacotechnia exiſtere) nolite requirere, vt cùm noſtræ doctrinæ clariſſimo & ampliſſimo vſu conferam: pudet iterum è diſcipulis noſtris aliquem cum Ariſtoteleo veſtro comparare. Credite Ariſtoteli,

Conſectarium de locis problematis cõmunibus.

Tertia queſtio de vſu.

ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.

Nunquam hîc vllam viam reperietis, poetas, oratores, philoſophos ſic explicandi, vt nos inſtitutionibus noſtris explicandos admonemus: nunquam vllam ſcribẽdi ac dicendi parem rationem inuenietis. Cum verò ab Ariſtotele diſceſſeritis, ſpectate qua diligentia tam mirabilem inuẽtionis doctrinam exerceatis. Hoc enim ſecundum crimen eſt, quo vos omnibus locis & verè, & conſtanter accuſo, non ſolùm conturbatam, inutilem, & nugatoriam artem habetis: ſed etiam confuſe,

inutiliter, nugatoriè exercetis. An quiſquam veſtrum ſuſpicatus vnquam eſt, quorſum iſta Ariſtotelis, tam Ariſtotelea cacotechnia traderetur? quomodo mẽtem, quomodo his, inquam, præceptis acuitis? ad quam humanitatis aut prudentiæ ſpeciem refertis? Poſitiones in ſchola credo tenentur bene diſputabiles & clamabiles: ſic enim loquentem intelligetis opinor. Atque hic vſus, hæc vtilitas, hic fructus, hæc exercitatio Ariſtoteleæ inuentionis eſt, vt

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tãdem Ariſtotelei aliquãdo validi, & robuſti clamatores exiſtant. At Ariſtoteles non hîc in libris quidem mortuus, ſed ille viuus Theophraſtum non ſic exercuit: non ſunt illæ theſes oratoriæ: non eſt illa Iſocratis oratoria æmulatio. Non dubito tamen Ariſtoteleos, cùm ſe vehementius vrgeri viderint, ſæpias imitaturos eſſe: vt enim piſces illi cùm ſe peti à piſcatoribus ſenſerint, effuſo atramento, quod illis eſt pro ſanguine, infuſcata aqua abſcondunt ſe, & piſcatoribus iter veluti ſæpiunt atque intercludunt: ſic Ariſtotelei cùm veritate, cùm luce, cùm firma conſtantíque ratione vrgeantur & conſtringantur: contorta aliqua & obſcurata diſtinctione ſeſe tutantur: etſi nubem diſtinctionis aliquam contradicentibus oppoſuerint, præclarè ſe philoſophatos exiſtimant. Verùm turbida iſta aqua reſidebit aliquando, nec perpetuò conqueremur, quod Perſius de inertibus diſcipulis,

Ariſtotelis viui conſuetudo.

Nigra quòd infuſa vaneſcat ſæpia lympha.

Opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia

confirmat : malitioſi & improbi animi eſt errore delectari, lucem odiſſe, tenebras conſectari, publicis malis gaudere, honeſta ſtudia remorari. Quod cùm Ariſtotelei tam pertinaciter faciant, conſiderent ſecum quàm ſibi modeſtius, quàm publicis ſtudiis vtilius fuerit, confiteri neſcire ſe quid dicant, quàm iſta tam temerè effutientes ſibi primum, deinde bonis adoleſcentibus tam miſeram, támque pernicioſam calamitatē parare.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber ſeptimus.

De Poſteriorum analyticωn primo.

VEnio nunc ad analytica poſteriora: hîc enim ſextas inuētionis dialecticæ tenebras collocauimus. Quid ergo? An his in libris diligētior Ariſtoteles eſſe voluit? an locos inuentionis perſpicuè tradit? hîc nihil aliud affirmo, quàm illud perpetuum noſtrum propoſitum. Hîc inuentionis dialecticæ multa ab Ariſtotele non neceſſaria præcepta confunduntur, multa etiam neceſſaria omittuntur: ex omnibus enim locis inuētionis quatuor duntaxat his duobus analyticis non explicantur, ſed confunduntur: cauſſæ, facta, tributio, definitio: vſus doctrinæ ſimillimus ab Ariſtoteleis adhibetur. Dialecticæ igitur illius rationis & naturalis vſus (qui no-

Quatuor tantùm loci inuentionis in his analyticis confundūtur.

ſtris inſtitutionibus expoſitus eſt) lumen præferamus, vt quid non dialecticum ſit in tam multis tenebris confuſum, quid neceſſarium ſit omiſſum, quod exercitationis genus ſit adhibitum cernamus. In analyticis poſterioribus vnus præcipuè cauſſarum locus conturbatur, & quidem tanto plurimis tenebris, quanto locus eſt argumentorum omnium nobiliſſimus. Docuimus in inſtitutionibus noſtris quænam, & quanta cauſſarũ eſſet vtilitas, & vt potuimus exemplis omnium generum declarauimus. Ariſtoteles de poſterioribus analyticis totum primum, ſeptem etiam capita ſecundi libri in hac vtilitate cauſſarum obſcuranda & perdenda conſumpſit. Hîc autem Ariſtotelei adyta Ariſtoteleæ ſapientiæ, hîc tanti, tótque ſecula tam religioſe culti philoſophi honorem, numen, diuinitatem ſitam eſſe profitentur. Agite Deus æterne, quænam ſunt in his analyticis ſophiſmatum, & quàm horribiles vmbræ? nullæ adhuc fuerunt in omnibus Ariſtoteleæ logicæ tenebris denſiores & horridiores. Res ſingulas, vt adhuc fecimus, pérque ſingula capita perſequemur, & quæ refutationem maiorem requirent, diligentius & accuratius exequemur. Primo itaque capite præcipit Ariſtoteles, vt intelligenter & perſpicuè loquamur: in quo nugatoriam obſcuritatem ſuam valde arguit, & ſe iudicio ſuo damnat, quòd de induſtria (vt Ariſtotelei teſtantur) & verbis, & ſententiis perobſcuris vtatur. Aliud præcipit, aliud ipſe facit. Deinde docet fieri poſſe vt aliquid in ſingulis rebus ignoretur, quod in vniuerſum didiceris. In quo quæſtio ſcholaſtica eſt

Quæſtio prima, Quàm multa nõ neceſſaria in poſterioribꝰ analyticis ab Ariſtotele cõfundantur.

à dialecticæ præceptis(ſicut aliæ quæſtiones tam multa in Ariſtotelis libris logicis) aliena : quia neque inuentionis, neque diſpoſitionis quicquam oſtendit : ad quas tamen partes omnia huius artis præcepta referenda ſunt : perceptis autem artium decretis innumerabiles huiuſmodi quæſtiones moueri poſſunt, & explicari: nec tamen ſunt in præceptis artium collocandæ. Definit Ariſtoteles ſcire, rem per cauſſam propriam, neceſſariam cognoſcere: quod verum & laudabile eſt, & ſolum ferè in duobus poſterioribus analyticis inſigne, & notabile. Definit rurſum ſcire, per demonſtratiuum ſyllogiſmum intelligere: quod falſum, & reprehendendum eſt: poteſt enim omnis ſcientia, omníſque diſciplina ſolis definitionibus, diuiſionibus, exemplis, ſine vllo perfecto ſyllogiſmo haberi: & valde ridicula ea diſciplina eſſet, quæ perfectis ſyllogiſmis tota contexeretur, qualis videlicet nulla eſt. Syllogiſmum verò demonſtratiuum, falſo nouam ſyllogiſmi ſpeciem Ariſtoteles inſtituit. Nam ſi ſyllogiſmus eſt argumenti certa firmáque diſpoſitio cum partibus quæſtionis, vt nos docemus in inſtitutionibus noſtris, & Ariſtoteles analytico primo confirmat, noua certè ſyllogiſmi ſpecies nouam argumenti diſpoſitionem oſtendet, & ſimiles diſpoſitiones, ſyllogiſmi ſimiles erunt. At hæc diſpoſitio, quæ vobis ô Ariſtotelei demonſtratio eſt, & in ſchola decantatiſſima eſt:

Quid Scire.

Demõſtratiuus ſyllogiſmus nõ eſt nouũ ſyllogiſmi genus.

Omne rationale eſt riſibile:
Omnis homo eſt rationalis:
Omnis igitur homo eſt riſibilis.

Huic concluſioni diſpoſitionem ſimillimam habet:

Omnis aſinus rudibilis eſt (Ariſtotelicè enim loquamur)
Omnis ſophiſta eſt aſinus:
Omnis igitur ſophiſta rudibilis eſt.

Nec tamen, vt prior illa ſyllogiſmi diſpoſitio, ſic hæc poſterior, demonſtratio veſtro iudicio erit. Video quid mihi à vobis reſpondeatur, non ab argumenti diſpoſitione, ſed ab argumento demõſtrationem nouum ſyllogiſmum dici. Ergo inquam à cauſſis, ab effectis, à ſubiectis, ab adiunctis, à diſſentaneis & cæteris argumentorum generibus ſyllogiſmus appelletur: ſintque ſyllogiſmorum ſpecies, & argumentorum prorſus eadem, quãdoquidem argumentorum naturæ generáque diſtincta ſunt: vt ſi ſyllogiſmi ſpecies ab argumentorum varietate nominentur, ſunto tot ſpecies ſyllogiſmi, quot argumenti. At inuentio & diſpoſitio res longè diuerſæ ſunt: inuentio præſtat argumentum, id eſt animã quæſtioni caduco tanquam corpori: ſyllogiſmus argumentum cum quæſtione, id eſt animam cum corpore coniungit & connectit: atque initio docui ſyllogiſmo contingere, vt demonſtratiuus dicatur ex propoſitionis & aſſumptionis ratione, quibus tamen & hoc ipſum extrinſecus adueniret. Perpendendæ ſunt igitur ſyllogiſmi ſpecies ex coniunctionis & collocationis varietate. Obiectio.

At dicet Ariſtoteleus aliquis, etſi demonſtratio ſpecies ſyllogiſmi non eſſet, tamen eius ipſius non eſſet non laudanda doctrina, quæ tam magnas atque expetendas vtilitates habet. Has igitur ſpectemus. Demonſtratio, Obiectio.

ait Ariſtoteles, eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, vt per demonſtratiuum ſyllogiſmum intelligere prorſus idem ſit, quod ſcire. O ſapientiam incredibilem! demonſtratio ergo eſt ſcientiarum omnium mater: cuiúſnam ſcientiæ? grammaticane? hîc ab Ariſtoteleis irrideri me video. rhetoricane? hîc item ſophiſtis hominibus ridicula interrogatio mea eſt: dialecticane? hîc credo quoque contemnimur? cuius igitur? geometriane? hîc, credo, circulos Ariſtotelei & ſemicirculos mihi deſcribent, & geometriæ matrem demonſtrationem eſſe dicent. Illa enim diſciplina demonſtrationibus (vt Ariſtotelei putant) tota conſtat. Itáne Ariſtoteles ad ſyllogiſmi demonſtratiui legem geometria ſcientia eſt? Quid ſi in tota geometria nullus demonſtratiuus ſyllogiſmus eſt ad tuam legem, ideóque ne diſciplina quidem geometria ſit, an iraſci & indignari vſquequaque lubebit? Recita igitur primum Euclidis pronuntiatum,

Super data recta linea triãgulũ æquilaterũ cõſtituere.

Quænam hîc ſunt demonſtrationes? nullæ. Problema enim quod Euclidis ſolum eſt, prima & ſecunda petitione ab interpretibus ædificatur: definitione circuli, & prima dignitate ab iiſdem confirmatur: vbi ſyllogiſmus demonſtratiuus nullus eſt, ſicut neque in cæteris eius authoris problematis, & theorematis. Hîc commoueri Ariſtoteleos fortaſſe decuit: verùm diſtinctionibus nos, vt ſperant, facilè refutabunt. Itaque magnã Obiectio. *aliquam diſtinctionem nobis obiicient, non eſſe actu demõſtratiuos ſyllogiſmos in geometria, ſed potentia. Appellatur igitur tot annos geometria ſcientia, non*

quia nunc ſit, aut aliquando fuerit (nunquam enim demonſtrationes ad Ariſtotelis normam compoſitas habuit) ſed quia poßit, ſi tamen velint Ariſtotelei, habere. Bono animo eſtote homines: Ariſtoteles ſpem nobis per demonſtrationum ſuarum artes attulit, geometriam aliquando poſſe fieri ſcientiam. At hac potentia iandiu nimis intemperanter abutuntur Ariſtotelei: prædicamenta (quæ reuera nulla ſunt) Ariſtoteleorum potentia perfectißima ſunt: geometria nunquã fuit, nec eſt ad Ariſtoteleorum legem ſcientia: quia non conſtat ex demonſtrationibus: at iſta Ariſtoteleorum potentia abſolutißima ſcientia eſt. Itaque cùm in dialecticis Ariſtotelei nihil vnquam norint, nihil viderint, nihil tenuerint, exiſtimant fortaßis iſta ſe potentia dialecticos ſingulares eſſe. Vtinam quoniam nihil eſt, quod iſta potentia non poßint, feciſſent Ariſtotelei, vt nihil in eorum doctrina non rectum, non vtile, non populare eſſet & illuſtre: fiſtuláque ſumpta (vt muſicos egregios decet) egregium carmen aliquod ad rhythmum numerúmque doctrinæ ſuæ cantarẽt, exemplo viuo diſcipulos ſuos incitarent, non eiuſmodi mortuis vmbris debilitarent. Verùm ſatis eſt quod nunc poßint, aliàs agent aliquid. At, inquit Ariſtoteleus, oratoris nullius oratio in eam formam incluſa eſt, quã Cicero in Oratore informat, ea tamen deſcriptio valde laudatur: ſic quanuis Ariſtoteleæ demonſtrationis ſpecies nulla adhuc expreſſa eſſet, doctrina tamen ipſa laudaretur. De Ciceronis Oratore nihil hîc reſpondeo, in Brutinis quæſtionibus abunde reſpondi. Eſt verò Cice-

Obiectio. Perfecti oratoris apud Ciceronem, & demonſtrationis apud Ariſtotelem ſtultitia ſimilis.

roniana illa oratoris informatio, quanuis nullo modo cum his Ariſtotelis nugis comparanda: tamen in vanitatis errore non valde diſsimili ponenda. Et Ariſtoteleos initio rogaui, vt mutas & dubias authoritates hominum hinc remouerent: firmis potius, & dialecticis argumentis Ariſtotelem defenderent. Ad caput autem ſecundum accedamus, quo Ariſtoteles ait aliud alio notius dupliciter eſſe nobis & natura: nobis quod ſit propinquius noſtris ſenſibus, vt ſingula & ſpecialia ſunt: natura quod remotius eſt, vt generalia & vniuerſa: vana prorſus in docendo & inutili diſtinctione, & multarum apud Ariſtoteleos vanarum pariter diſtinctionum matre. Omnia putat Ariſtoteles, quæ mens complexa ſit, à ſenſibus profecta eſſe: res primum ſingulas ſenſibus cognoſci: ex his ſpeciales (vt ipſe loquitur, cum hominem vocat Platonis ſpeciẽ) notitias deinde in animis noſtris formari: ex quarum communione tandem generales notiones concipiantur. Quod ſi verum eſſet, nondum tamen eſſet conſequens genera minus eſſe nobis, quàm ſpecies nota. Non enim efficitur, ſi ex tenui cãdela magnam aliquam facem accenderim, quia ex illo primum lumen acceperit, facem non eſſe nobis candela clariorem: ita minimè efficeretur, genera quàm ſpecies, quanuis ab illis orirentur, non eſſe notiora clarioráque: imò verò totum contra eſt: quanto enim communior cognitio fuerit, tanto notior, vt lumina, tanto ſunt illuſtriora clarioráque, quanto maiora atque ampliora. Quinetiam ſingulis rebus percipiendis generales illæ notitiæ imprimis vel in ſenſus occurrunt:

Notius duplex, nobis & natura.

prius animal quod eminus mouetur, quàm hominem eſſe dicimus, & hominem, quàm Socratem: quod Ariſtoteles ipſe in phyſicis docet, ſed ſuo more ſciens & prudens conturbat, & tenebras amat. Fallax eſt (iterum dicam) Ariſtotelis concluſio: antè à nobis cognoſcuntur ſpecies, pòſt genera: ſpecies igitur ſunt notiores nobis, quàm genera. Addamus ſyllogiſmo propoſitionem: fallaciā ex illa veritatis norma cognoſcemus apertius: Quicquid antè cognoſcitur, notius eſt nobis eo, quod poſtea cognoſcitur: hæc propoſitio mendax eſt, vt de candela & face propoſui: & inde abſurda complexio eſt: fiat comparatio quemadmodum neceſſe eſt, vt duorum luminum, ſic duarum notitiarum: & quemadmodum viſa lumina, ſic perceptæ notitiæ comparentur. Comparemus cognitam ſpeciem cum genere cognito, & quæramus vtrum notius & clarius: ne dubitabit quidem Ariſtoteles genus ipſum clarius & notius affirmare. Neque verò aliud ſenſus, aliud mens eſt hominis, quibus Ariſtoteles iſta notionum genera diſtinguit. Animus vnus eſt in nobis qui ſentit, qui intelligit, tāetſi feneſtræ quædam ſunt ſenſuū ad oculos, ad aures, ad nares, à ſede animi tanquam perforatæ, ſine quibus ſentire nihil queat mens. Itaque ſi ſit animus rudis planè, & ignarus rerum omnium, qualis fortaſſe ſit in infante, res primò ſingulares ſenſibus apprehendet: cúmque ex his ſingularibus notionibus vniuerſas notiones effecerit, ex iis res alias ſingulares eiuſdem generis, licet antea non viſas, non cognitas, tamen agnoſcet: & quidem tanto celerius ac facilius, quanto ma-

gis vniuerſa, magíſque generalis notio fuerit animo comprehenſa: vt (ſicut dixi) quod procul cernitur, corpus prius eſſe dicas, quàm animal: & animal, quàm hominem: & hominem, quàm Platonem. At generales porrò notiones, vt ſunt definitionum primarum, diſtributionũ principum (ſiquid obſcuritatis habeãt, cum puero proponuntur) aliquot exemplorum inductione explanentur. Quamobrẽ amputemus, aut auellamus potius ſtirpitus radicẽ infinitorũ ſophiſmatum: dicamus ſimpliciter, & ſine vlla diſtinctione, quoniã ambigui nihil eſt, omnẽ doctrinã, omnẽ demõſtrationẽ, omnẽ explicationẽ, omnẽ declarationẽ, omnẽ probationẽ ex clarioribus & euidẽtioribus eſſe: ſecus nihil doceret, nihil demõſtraret, nihil explicaret, nihil declararet, nihil probaret.

Dialectica & demonſtratiua enuntiatio.

Definitur autem capite hoc quid enũtiatio dialectica, quid demõſtratiua. quæ ſcholaſtica Ariſtotelis cõmẽta ſunt ex illa vanitate circũſtantiarum, & diſtinctionum collecta, de qua diximus in principio in vocabulis dialecticæ, & logicæ, & poſtea in diuiſione Ariſtotelis logicæ in ſyllogiſmum demonſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum confuſe. Definit item hic Ariſtoteles quid enuntiatio, quid affirmatio, quid negatio ſit, & quid contradictio. De contradictione tam multa iam dicta ſunt in libris de interpretatione, ſicut de reliquis grammaticorum hiſce præceptis: poſitionis autem, ſuppoſitionis, dignitatis, diſtinctiones, quæ ab Ariſtotele hîc traduntur, nihil ad vſum dialecticæ, nec diſciplinæ cuiuſquam pertinent.

Principia

Quod verò Ariſtoteles principia quædam artiũ

eſſe putat: ea cuiuſmodi ſint, æſtimemus. Sõniauit Ariſtoteles in demonſtrationibus principia, quibus ſciẽtia non aliter, quàm pontes Pariſienſium mollitorum, & aurificum ex tignis & trabibus exædificarentur. Vbi ſunt igitur iſta principia ſcientiarum? erro, vbi ſunt principia ſcientiæ? quia vna ſola geometria eſt, de cuius ſcientia non ſit deſperandum: definitiones, credo, petitiones, dignitates, principia illa ſunt: & principia certè ſunt, & ſolida principia. At ſi melius eſſẽt ea diſpoſita, an geometria ſcientia eſſe deſineret? ſi geometria definiretur, partes ordine numerarẽtur, partiũ coniungerentur affectiones & proprietates, non facilior geometria videretur? Quod quanquam magnũ, & graue eſt, nõ deſpero tamen, ſicut iam multa alia peperit, quin hoc quoque ætas noſtra tot ingeniũ, támque excellentibus beata pariat. Ac ſi nemo ex tanto doctiſsimorum hominum numero, propter laboris fortaſſe magnitudinem id antè aggrediatur, certè neque nos iſti parti quãtum poterimus, quantúmque valebimus, defuturi ſumus. Principia itaque, qualia ſomniat Ariſtoteles, extra artes ipſas poſita, nulla eſſe debent, ſed omnes bene conſtitutæ diſciplinæ perpetuis coniunctíſque (quemadmodum in methodo inſtitutiones noſtræ docẽt) definitionibus, diuiſionibus, exemplis tanquam membris cohærentibus corpora componuntur. Principia igitur artium definitiones, diuiſiones ſunt, aut certæ quædã ex his deductæ inſtitutiones, præterea nulla ſunt: neque ea cumulari in principio operis, ſed ſuo quæque loco vt in corpore membra collo-

Geometria facilis tradi poteſt.

canda ſunt. Sed in principiis nimium moramur: reliqua videamus. Pracipit Ariſtoteles eodem capite ſecundo antecedētia in demonſtratione cōſequētibus clariora eſſe debere: quod verum eſt, ſed hîc vanum & nugatoriū præceptum: ſæpius enim iam præcepit Ariſtoteles demonſtrationem, non niſi ex notioribus eſſe, & in tota dialectica inutile eſt id præcipere: cùm dialecticæ nihil aliud propoſitū ſit, quàm rem obſcuram perſpicuè explicare, & in hoc loco ſicut paulò antè valde ſuas tenebras Ariſtoteles traducit, qui cùm vnicè ſuis legibus perſpicuitatem nobis imperet, tamen (vt Ariſtotelei teſtantur) de induſtria ſit obſcurus. Itaque à ſeipſo Ariſtoteles & à ſuis turpiter damnatur. Tertio capite quæſtiones proponuntur duæ, an nullius, an omnis rei demonſtratio ſit: quæ ab Ariſtotele ſophiſtico altercationis ſtudio cōfictæ ſunt. Niſi enim de ſe mentiatur ipſe in concluſione operis ſophiſtici, nemo ante Ariſtotelem quicquam de ſyllogiſmo tradiderat: quare de ſyllogiſmo demonſtratiuo (quem ſpeciem facit ſyllogiſmi) multò minus. O magiſter Ariſtoteles, præcipis antè multis verbis in ſolis rebus vniuerſis & æternis eſſe demonſtrationē, id eſt affirmas Solem diurno tempore tantummodo lucere: deinde argutaris, an omni tempore, an nullo tempore Sol luceat: quid eſt repueraſcere, niſi hoc eſt? Sed mos eſt Ariſtotelis ad rem facilem conturbandam intricatas altercationes confingere: In artibus autem explicandis, & vera, & vtilia tradi debent: deliras autem, & inutiles quæſtiones (quales ab Ariſtotele tam multæ iam

Quæſtiones Ariſtotelis.

conturbata ſunt) ſi quis altercandi gratia in contentionem vocauerit, non doctrinam deſcribet; ſed ſophiſticam informabit: & veris doctrinæ perceptis inſtitutis (vt antea in ſimilibus nugis ſæpe dixi) quæſtiones infinitæ & proponi, & ſolui poſſunt: quæ tamen non ſunt in præceptis artis ponendæ. Excogitauit Ariſtoteles quarto & quinto capite cauſſas debere dici de omni, & per ſe, & vniuerſaliter: ideóque iſta prolixè, & multis verbis interpretatur, quid ſit dici de omni, quid per ſe, & quot modis: item quid vniuerſaliter, & quot modis hallucinatio circa vniuerſale contingat: & demonſtrationes ex illo genere dicibiliū (vt Ariſtotelicè loquar) & vniuerſalium conſtare. Scieris autem veram ſcientiam conſtātium eſſe rerum, ex primis, neceſſariíſque cauſſis: hanc Ariſtoteleam ſubtilitatem dici de omni, & per ſe, & vniuerſaliter neſcieris, ad vſum finémque rerum commodius peruenies: pedicæ ſunt aranearum ad ſimplices muſcas irretiendum. Deinde magnis ſudoribus duorum maximorum capitum ſexti & ſeptimi ab Ariſtotele diſputatur demonſtrationem ex neceſſariis, & iis, quæ per ſe inſunt; & ex perpetuis conſtare. Quod antea, & in definienda demonſtratione dictum erat: & nunc quid dicam, niſi Ariſtotelem confuſionis & tenebrarum amantiſſimum eſſe? Hæc fructum nullum nouum adferunt, ſed contrà omnem cauſſarum fructum perdunt atque obruunt. De principiis communibus & propriis, de interrogationibus ad quamque diſciplinam pertinentibus diſputat Ariſtoteles octauo & nono

Dici de omni & per ſe & vniuerſaliter.

capite: in quo nihil eſt inuentionis, nihil diſpoſitionis, id eſt nihil dialecticæ artis: & antea monui nulla eſſe artis cuiuſquam principia, qualia Ariſtoteles eſſe arbitratur extra artes poſita: definitiones & diuiſiones exemplis additis bene traditarum artium principia & omnia, & ſola ſunt, vt dixi, & communia hæc eſſe non poſſunt: vt quæ in arithmetica propriè doceantur, eadē in geometria propriè doceri non poſsint. Vſus artium communiter adhibetur multis & variis in rebus: præcepta autē in ſingulis diſciplinis propria omnia, communia nulla eſſe debent. Decimo capite demonſtratio diuiditur in duas partes propter quid, & quia eſt: vt illa ex primis neceſſariiſque cauſsis, hæc ex reliquis argumentis fit: & quidem falſo fit hæc diuiſio: diuidi enim demōſtratio eadem debuit, quæ definita eſt: ſecus impoſtoris ſophiſtæ fallaciam, fraudémque, non veri doctoris diſciplinam appellabo: definita eſt demonſtratio ex primis neceſſariiſque cauſsis: quæ definitio demonſtrationi quia eſt, non conuenit: non enim ex primis cauſsis conſtat: itaque falſa ſpecies demonſtrationi attribuitur. Diſtinguo, dicet Ariſtotelem, propria, magis propria, maximè propria. Verū Ariſtotelæe quid ais? noli conſiderare quàm pertinaciter Ariſtotelem defendas, ſed quàm conſtanter reſpōdeas: tria genera ſyllogiſmorum facis, demōſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum: & de primo illo proponis te dicturū, rem nempe per cauſſas primas & neceſſarias demonſtrante: in topicis de ſecundo: in elenchis de tertio. Primo itaque generi cùm falſas ſpecies attribuis,

Demōſtrationis vitioſa partitio.

Obiectio.

admonitus non te emendabis? ſed diſtinctionum tuarum ludibriis nos irridebis. Quid eſt tam manifeſtè falſum, tam alienum ab omni ſenſu & veritate, quod à ſtolidis ingeniis iſta diſtinctionum vanitate defendi non poßit? Hìc Ariſtoteleorum regnum eſt; quicquid libido tulerit, id protinus per aliquam diſtinctionem nobis imperant: cuius ratio alia nulla eſt, niſi quòd aliter ſi diceretur, erraret Ariſtoteles: quòd impium ſit, vel ſomniatibus Ariſtoteleis in mentem veniſſe. Quæſtio eſt capite vndecimo de præſtantia demonſtrationis primæ, ſecundæ, tertiæ figuræ, inutilis planè atque inepta, ſicut antea tam multæ Ariſtotelis quæſtiones propoſitæ: eſt enim planè ridiculum de excellentia quærere, vbi delectus ad eam ſequendam nullus eſſe poteſt. Rerum verò, de quibus quæritur, natura demonſtrat, quomodo velit aut poßit explicari. Vt ſi quæratur an omnes philoſophi ſolo veritatis amore moueantur: & affirmes, generalis affirmatio tibi demonſtranda eſt: ſi verò neges, & dicas aliquem philoſophum veritatis ſtudio non moueri, ſpecialis demonſtratio conficienda eſt: ita vniuerſa demonſtratio vno tantùm modo ſimplicis ſyllogiſmi concludi poteſt: negatio ſpecialis tribus indifferenter ſyllogiſmorũ ſimplicium generibus poteſt. Quòd ſi de variis quæſtionibus comparatio hæc accipienda ſit, vt quæratur non de eadem re, an præſtet omnino, an in parte demonſtrare, ſed vtra duarum in diuerſis rebus demonſtrationum alterius generalis, alterius ſpecialis, alterius aientis, alterius inficiantis ſit præſtantior: vt vtrum

Diſtinctiones Ariſtoteleorum.

capite: in quo nihil eſt inuentionis, nihil diſpoſitionis, id eſt nihil dialecticæ artis: & antea monui nulla eſſe artis cuiuſquam principia, qualia Ariſtoteles eſſe arbitratur extra artes poſita: definitiones & diuiſiones exemplis additis bene traditarum artium principia & omnia, & ſola ſunt, vt dixi, & communia hæc eſſe non poſſunt: vt quæ in arithmetica propriè doceantur, vndē in geometria propriè doceri non poßint. Vſus artium communiter adhibetur multis & variis in rebus: præcepta autē in ſingulis diſciplinis propria omnia, communia nulla eſſe debent. Decimo capite demonſtratio diuiditur in duas partes propter quid, & quia eſt: vt illa ex primis neceſſariíſque caußis, hæc ex reliquis argumentis fit: & quidem falſo fit hæc diuiſio: diuidi enim demōſtratio eadem debuit, qua definita eſt: ſecus impoſtoris ſophiſtæ fallaciam, fraudémque, non veri doctoris diſciplinam appellabo: definita eſt demonſtratio ex primis neceſſariíſque caußis: quæ definitio demonſtrationi quia eſt, non conuenit: non enim ex primis caußis conſtat: itaque falſa ſpecies demonſtrationi attribuitur. Diſtinguo, dicet Ariſtoteles, propria, magis propria, maximè propria. Verū Ariſtoteles quid ais? noli conſiderare quàm pertinaciter Ariſtotelem defendas, ſed quàm conſtanter reſpōdeas: tria genera ſyllogiſmorum facis, demōſtratiuum, dialecticum, ſophiſticum: & de primo illa proponis te dicturū, rem nempe per cauſſas primas & neceſſarias demonſtrante: in topicis de ſecundo: in elenchis de tertio. Primo itaque generi cùm falſas ſpecies attribuis,

Demōſtrationis vitioſa partitio.

Obiectio.

admonitus non te emendabis? ſed diſtinctionum tuarum ludibriis nos irridebis. Quid eſt tam manifeſtè falſum, tam alienum ab omni ſenſu & veritate, quod à ſtolidis ingeniis iſta diſtinctionum vanitate defendi non poſſit? Hîc Ariſtoteleorum regnum eſt: quicquid libido tulerit, id protinus per aliquam diſtinctionem nobis imperant: cuius ratio alia nulla eſt, niſi quòd aliter ſi diceretur, erraret Ariſtoteles: quòd impium ſit, vel ſomniãtibus Ariſtoteleis in mentem veniſſe. Quæſtio eſt capite vndecimo de præſtantia demonſtrationis primæ, ſecundæ, tertiæ figuræ, inutilis planè atque inepta, ſicut antea tam multæ Ariſtotelis quæſtiones propoſitæ: eſt enim planè ridiculum de excellentia quærere, vbi delectus ad eam ſequendam nullus eſſe poteſt. Rerum verò, de quibus quæritur, natura demonſtrat, quomodo velit aut poſſit explicari. Vt ſi quæratur an omnes philoſophi ſolo veritatis amore moueantur: & affirmes, generalis affirmatio tibi demonſtranda eſt: ſi verò neges, & dicas aliquem philoſophum veritatis ſtudio non moueri, ſpecialis demonſtratio conficienda eſt: ita vniuerſa demonſtratio vno tantùm modo ſimplicis ſyllogiſmi concludi poteſt: negatio ſpecialis tribus indifferenter ſyllogiſmorũ ſimplicium generibus poteſt. Quòd ſi de variis quæſtionibus comparatio hæc accipienda ſit, vt quæratur non de eadem re, an præſtet omnino, an in parte demonſtrare, ſed vtra duarum in diuerſis rebus demonſtrationum alterius generalis, alterius ſpecialis, alterius aientis, alterius inficiantis ſit præſtantior: vt vtrum

Diſtinctiones Ariſtoteleorum.

geometria quæ vniuerſa eſt, ſit præſtantior aſtrologia, quæ ſpecialis eſt illi comparata: voti comparatio hæc erit, non præcepti inſtitutio. Optare enim poſſum ad hanc demonſtrationis aſſequendam gloriam, vt mihi quæſtiones afferãtur de vniuerſo genere affirmandæ, præcipere non debeo, quod in ſcientiæ demonſtratione ſequi non poſſum. Demonſtratio verò Ariſtotelis in ſecunda figura nulla eſſe poteſt, cùm illic omnia negentur in cõplexione: nec idcirco ſit argumentũ ex cauſsis, ſed ex diſſentaneis. Simillima his figmenta ſequuntur duodecimo & decimotertio capite: vt enim primas rerũ cauſſas, & de omni, & per ſe, & vniuerſaliter dicibiles, Ariſtotelicè enim loquar, ſic immediatas appellãdas confinxit Ariſtoteles: idque videtur ex prædicamentorum errore deduxiſſe: illic enim ſomniauit ordines rerum, vbi aliquid ſummum, aliquid medium, aliquid infimum eſſet: qui ordo in argumentis cogitandis nullus eſt. Cauſſæ enim, facta, ſubiecta, adiuncta, & cætera dialecticæ inuentionis argumẽta fractis illis inanium ſcalarum gradibus non nituntur, ſed ſuis paßibus incedũt. Interponitur decimumquartum caput de notitiarũ inanimis per ſenſus impreßione: quod Platonici falſum exiſtimant: quoniã multæ ſunt notitiæ rerum noſtris animis non per ſenſus acceptæ. Atque id præceptum in dialectica proprium locũ nullum habet: nihil eſt inuentionis, vel diſpoſitionis. In facultatibus autem animæ rationalis explicandis, magis propriè id diceretur. Tum verò quinque proximis capitibus ſequitur nobilißima illa, & Ariſtotele di-

Cauſſæ immediatæ.

Quæſtio de infinitate mediorũ.

gniſsima quæſtio de mediorum atque argumentorum infinitate, ex eodem prædicamentorũ errore deducta, Vnde abundantia propoſitionum, & inuentio medij: quinque enim capita ſunt in magna iſta, ac difficili quæſtione, an ſurſum deorſumq́ conſtitutis extremis fiat in immenſum, & infinitum progreſsio, id eſt, an via duob⁹ terminis terminata ſit termin⁹ aliquis: vt in hocdenario numero vnitatibus decẽ diſtincto IIIIIIIIII, cũ duos fines ſtatueris, an finẽ aliquẽ eſſe putes? O lubricos & fallaces Ariſtoteleorum ſenſus! ô volubiles & præcipites cogitationes! Nunquámne in animũ inducemus, artes omnes vtilitatis alicuius gratia eſſe inuentas? quæ nihil habent commoditatis, artes non eſſe, ſed artium peſtes? & dialecticam non Ariſtotelis authoritate, ſed naturæ veritate contineri? à qua cùm ſit tam alienus Ariſtoteles, cur dubitatis Ariſtotelei naturam homini præferre, vos ipſos pluſquam Ariſtotelem amare? lumen tenebris, virtutem vitiis anteponere? Exercete in Ariſtotele explicando Ariſtotelis doctrinam: monet iſto analytico ſcientiam eſſe ex cauſsis primis neceſſariis propter quas res ipſa ſit: quærite dialecticæ totius cauſsã, propter quam doceri, propter quam cognoſci, propter quam exerceri debeat: prudentiam humanam reperietis: tum quæſtiones iſtas comparate, an his prudentior fieri quiſquam poſsit, vel ad res inueniendũ, vel æſtimãdum, vel quouis genere collocandum. Hanc ἀπόδειξιν arripite: quæſtiones Ariſtotelis protinus vobis diſplicebũt. De quæſtionibus trium proximorum capitum, quòd de-

monſtratio vniuerſalis præſtantior ſit particulari & affirmatiua negante, & oſtenſiua ducēte ad incommodum: ineptiæ ſimiles his ſunt, quæ vndecimo capite traduntur de præſtantia demonſtrationis in figuris: demonſtratio verò ad incommodum falſo in hanc comparationem vocatur: ſicut negans, quia non ſit ex primis & neceſſariis cauſsis, ſed ex diſſentaneis. Quæ ſcientia certior, quæ vna, quæ altera, & quòd eiuſdem plures eſſe poſſunt demonſtrationes, diſputat Ariſtoteles viceſimo tertio capite: quales antea quæſtiones perridiculas tam multas vidimus, quæ nihil inuentionis, nil diſpoſitionis obtinent. Scientiam non eſſe fortuitorum multis verbis probare contendit Ariſtoteles capite viceſimo quarto, in quo ſe valde nugis ſophiſticis oblectari demonſtrat: docuerat enim antea tribus prolixis locis ſcientiam eſſe ex his, quæ aliter habere non poſſent, & ex neceſſariis, & ex perpetuis, & ex his quæ per ſe, & ex his quæ vniuerſaliter, & de omni dicerentur: conſidera quàm ſit iſta nugatoria repetitio. Appellat Ariſtoteles in elenchis ſophiſma, cùm aliquid inutiliter, ac ſæpius iteratur. Sophiſtam igitur Ariſtoteles ſe ſuo iudicio iudicat, qui toties, & tam ſæpe, & tam nugatoriè rem eandem iterat. Non omnium concluſionum eadem eſſe principia diſputat Ariſtoteles capite viceſimo quinto: valde tamē pueriliter: cauſſa rerum principia ab Ariſtotele appellātur, & tam varias cauſſas eſſe conſtat, quàm variæ res ipſæ ſunt: hîc tamen velut in re difficili deſudat Ariſtoteles, & longiſsima oratione diſputat, non omnium

rerum eadem eſſe principia: diſputabit opinor Ariſtoteles, diem eſſe, & multis argumentis demonſtrabit, cùm lucentem Solem omnes videant. Scibile & ſcientiam ab opinione & opinabili diſtinguit Ariſtoteles, tum quid ſolertia ſit exquirit capite viceſimo ſexto & viceſimo ſeptimo. Definita res ſuis locis & artibus intellecta differentias ſuas oſtendunt: ſi ſcientia & opinio quid ſit definitũ ſit, differẽtia earum cognitæ protinus erunt. Error hîc in Ariſtotele & Ariſtoteleis valde ſophiſticus eſt: ſolertia autem quid ſit, non eſt dialecticæ definire: quia id neque inuentionis, neque diſpoſitionis eſt.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber octauus.

De ſecundo poſteriorum analyticῶn.

Atque de duobus analyticis poſterioribus, prioris Ariſtotelica ſapiẽtia eiuſmodi eſt: cuius tamen ſummam nondum facio: eam faciam cùm ad finem ſecundi analytici peruenero: cuius (vt inſtitui) capita ſingula perſequar, & adhibito illo veræ & naturalis rationis lumine, ſi quid dialecticæ artis proprium comperiam, adnotabo: tenebras diſtinguam & remouebo. Primũ

& ſecundum caput ſecundi libri eſt, de quæſtione & ſyllogiſmi medio, id eſt argumento: quæ initio attigimus, cùm de quæſtionis tenebris eſt diſputatum. Veruntamen ut Ariſtotelei planius intelligant ab Ariſtotele non ſolùm inutilia, ſed etiam falſa tradi, copioſi idem diſputemus: Ariſtoteleam partitionem videamus. Quæſtiones ſunt æquales numero his quæcunque verè ſcimus, ait Ariſtoteles: at idem affirmat id tantum verè ſciri, cuius cauſſæ primæ neceſſariæ, propriæ teneantur: quare ſententia Ariſtotelis quæri duntaxat de his licebit, quorum ſcientia illa ex cauſsis percepta fuerit. At innumerabiles ſunt, fuerunt, erunt quæſtiones de his, quorum ſcientia ad legem Ariſtotelis haberi nulla poteſt: ut ſunt caduca, inconſtantia, fortuita hodie nata atque extincta. Non ſunt igitur quæſtiones numero æquales his, quæ verè ſciũtur: ſed multò plura quæri, q̃ ſciri poſſũt: & hoc falſo ab Ariſtotele præcipitur. Quæſtionis partitio vitioſa

Obiectio. *Non ſum neſcius, quàm turpiter & vos Ariſtotelei, & miſeros adoleſcentes in has ſpinas delapſos diſtinctionibus fallere poſſitis: quod non de omnibus quæſtionibus hîc Ariſtoteles loquatur, ſed de his duntaxat, quæ certa ſcientia teneantur: ita tandem hoc dicetis, quæſtiones de ſcientia tot ſunt, quot ſunt res ſcientia perceptæ. At Ariſtoteles in eodem loco hunc errorem ſophiſticæ diſtinctionis refutat: quæſtio (dicit Ariſtoteles) ſecundo capite huius libri, eſt argumenti inquiſitio: tot igitur erunt quæſtionum genera, quot argumẽtorũ. Argumentorũ autẽ genera longè plura ſunt, quàm quatuor: quare partitio iſta*

non aliena ſolùm, ſed falſa etiam eſt. Septem proxima capita, tertium, quartum, quintũ, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, ſpeciem quandam ſophiſmatis incredibilis habent: quòd demonſtratio & definitio non ſunt eiuſdem, quòd duplante ſyllogiſmo non demõſtretur quid eſt de eo cuius eſt, quod neque idem effici poſſit per diuiſionem: ſyllogiſmo, quòd non monſtretur definitio ſumendo definitionem definitionis, neque definitione contrarij: quòd non poßit quid eſt monſtrari: quòd quid eſt monſtretur per aliud quid eſt, item quid eſt & quod eſt: extra quam tam inſanæ loquacitatis contentionem, ſi res nudæ ſimplicéſque remotis verborum tendiculis ſpectentur, hæc erunt: definitio eſt oratio breuiter explicans quid res ſit: demõſtratio, probatio, & explicatio rei conſtans ex primis & neceſſariis caußis: quæ definitio plerunque eſt. Neque ſanè (vt antea iam docui) ſyllogiſmus demonſtratiuus potius, quàm definitiuus dicitur. Partitio verò totius in partes ſectio: vt autem horum trium vocabulorum definitionis, demonſtrationis, diuiſionis ſimplicem & facilem notionem Ariſtoteles conturbaret, nullum fructum diſcipulis adferret, hanc tam inanem, tam lubricam, tam abhorrentem à ſani hominis cogitatione confuſionem reperit. Caput decimum eſt, de definitione quid eſt, & propter quid eſt, ſimilis ſtultitiæ, nulla definiendæ rei doctrina, nulla via explicatur: fabuloſa & anilis altercatio proponitur. Vndecimo capite præcipit Ariſtoteles per quodlibet genus cauſſæ demonſtrari poſſe, ſe ſuo nempe & teſtimonio, & indicio

Altercatio per abſurda de definitione & demõſtratione.

condemnans: docuit enim antea demonſtrationem eſſe ex cauſſa propter quam res eſſet, cuiuſmodi cauſſa materia non eſt: non igitur per hanc cauſſam licet demonſtrare. Caput duodecimum eſt de fieri & facto eſſe: quod ad effecta, locum inuentionis dialectica referri poßit. At Ariſtoteles in his tenebris fructus illius rationem nullam habuit: ſed quicquid illi ſomnianti in mentem venit, id effudit. Caput eſt decimumtertium de his, quæ circulo gignuntur, demonſtrationem circularem eſſe: quod vt verum ſit, inutile tamen eſt, ſicut quæſtiones Ariſtotelea antea tam multæ. Diſputatur decimoquarto capite, quomodo definitio inueſtiganda ſit, ſumendis his primum, quæ cum aliis rebus communia ſunt, dum efficiatur aliquid, quod in nullam rem aliam transferri poßit: quam viam perſpicuè Plato docuerat in Theateto: ſed Ariſtoteles vt ſuum faceret, quòd præceptori palàm detrahere non poterat, Ariſtotelica, id eſt obſcurißima nube obſcurat, quod à Platone fuerat euidenter expoſitum. Decimumquintum caput eſt, quòd facilius definiantur ſpecies, quàm genera: quæſtio eſt ex numero quæſtionum Ariſtotelicarum. Nónne vera inquies? hoc non coarguo, ſed inutilem eſſe dico, quia nullam inuentionis, nullam diſpoſitionis doctrinam contineat. Decimoſexto capite vtilitas diuiſionis ſumma eſſe diſputatur in terminãdis problematis: quaſi diuiſionis locus non maiorem vtilitatẽ, quàm ad ſophiſtica Ariſtotelis problemata habeat. Caput eſt decimumſeptimum de cauſis & effectis, & an vnius plures ſint cauſæ: quod ſi propria

loco in inuentionis doctrina doceretur, equidem laudarem: at in his aſperrimis & aridiſsimis ſpinetis, populos & ſalices Ariſtoteles ſerit. Caput poſtremũ eſt decimumoctauum, quomodo principia cognoſcantur, & quid principiorum ſit habitus. Quæſtio Ariſtotelica eſt, quæ nil inuẽtionis, nil diſpoſitionis explicat: & ei ſimilis fuit libri ſuperioris capite decimoquarto, quomodo formentur in animis noſtris generales rerum notiones. Verùm hactenus de ſingulis capitibus, vbi de propoſitis ad artis deſcriptionem quæſtionibus altera ſatis intelligi potuit, quàm multa Ariſtoteles inutilia conturbarit: nunc vniuerſa doctrina ſubducatur, & totam noſtram cum hac tota comparemus, vt non ſolùm reliqua quæſtio percipiatur, quàm multa dialecticæ inuentionis neceſſaria præcepta Ariſtoteles hîc omiſerit, ſed omnino quàm nihil ad verũ & naturalem vſum accommodatum docuerit. Atque vt ex his præclaris Ariſtotelicæ ſapientiæ analyticis ſumma conficiatur, loci ſunt inuentionis quatuor, cauſſa, facta, diuiſio, definitio, hîc confuſi. Cætera genera argumentorum nulla hîc attinguntur: & hæc quidẽ quatuor in his duobus poſterioribus analyticis miſerrimis tenebris obruũtur. Nos vt vſus artis, & finis (quæ demonſtratio noſtra, & vna, & perpetua ad conuincendos Ariſtoteleorum errores eſt) vt finis inquam artis exigit argumenta hæc clarè definiuimus: Ariſtoteles nullum horum argumentorum definiuit. Nos ſpecies & modos docuimus: Ariſtoteles cauſſas velut aliud agens enumerat, definiendi viam quandã à Pla

Quæſtio ſecunda, Quàm multa neceſſaria in his capitibus ab Ariſtotele prętermittantur.

Collatio veræ inuẽtioniscum his analyticis.

tone clariſsimè traditam obſcurat, partiēdi modos nō demonſtrat. Nos exemplis nobilibus, & Homericis (ut Ariſtoteles ipſe præcipit) cōmoda explicauimus: Ariſtoteles prô ſancte Deus atque æterne, quem ſplendorem, quam magnificentiam dialectici luminis hîc oſtentat? Vt cauſſa non definiretur, non rectè diſtribueretur, non exemplis exornaretur, ſed infinita caligine, cauſſæ definitio ſepeliretur, recognoſcite Ariſtotelei, quas Ariſtoteles præſtigias nobis offuderit. De duobus poſterioribus analyticis libris; alter totus in his tenebris occupatur, alterius etiam quinque capita, vndecimum, duodecimum, decimumtertium, decimūſeptimum, decimumoctauum, tota in eadem tam tetra nube verſantur: ita triginta numero capita maxima ſunt, quibus cauſſarum cum effectis locus obruitur. Vt diſtributio non definiretur, non eius ſpecies ex cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis diſtinguerentur, non pulcherrimus, & latiſsimus vſus & totius, & partium declararetur, ſed Ariſtotelis tenebræ legentium, & ſequentium mens hebetaretur, duo capita ponuntur, quintum & decimumſeptimum ſecundi libri: Vt definitio quid eſſet, non explicaretur, non eius modi traderentur, non aperirentur principes argumentorū fontes, vnde abſoluta hauriretur, nō indicarētur cæteri, vnde adumbrata deſcriptio promeretur, ſed efficeretur omnino ne definire quicquam vnquam poſſemus, in ſecundo poſteriore analytico nouē capita poſita ſunt, tertium, quartum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, decimum, decimumtertium, decimumquintum.

Atque his quatuor locis, vt dixi, exceptis, nihil eſt in duobus analyticis, niſi ſophiſticum & nugatorium. Qui quatuor in analyticis poſterioribus (vt corollariũ illud noſtrum ad extremum adiungam) confuſi dialectica inuentionis loci nihil habent problematis Ariſtotelici proprium: cauſſa, facta, tributio, definitio: ad omnes quaſtiones accommodari poſſunt. Quare Ariſtoteles in partiendis quaſtionibus falſam confuſionis cauſam ſibi pratexuit. Sed de Ariſtotelis analytica doctrina ſatis. Adeſte, ô Ariſtotelei per Deũ optimum: per hunc enim, non per Ariſtotelẽ iamdiu vos oro, colligite vos ipſos: ſophiſmatis illius (quo Ariſtoteles Ariſtotele per vos defenditur) onere mentes veſtras liberate, & pertinaciam tantiſper deponite: ad breue temporis punctum cogitationem attenti, & conſiderati dialectici ſuſcipite: artes noſtras cum veſtris artibus plenius etiam & vberius conferte, vſum cum vſu, fructum cum fructu comparate. Artes bene deſcripta ſunt velut figulorum principes illa ſolidioréſque forma, vnde innumerabiles imagines effinguntur. Vidiſtis, opinor, figulum aliquem qui ex are, ſtanno, ac quouis alio metallo fingeret hominem, leonem, equitem, peditem, & quarumuis rerum figuras: ſic videlicet adhibentur artes ad opus efficiendum & conformandum: & quemadmodum in illis typis & formis, nihil inane, nihil diſsimile, nihil abſurdum, nihil falſum, nihil nõ actuoſum, nihil non cõueniens, nihil non decorum, nihil non verum ſculpitur, ne vitioſa imago ex ſpecie non perfecta imprimatur: ſic in doctri-

Cẽſectarium de locis ꝓblematis communibus.

Quæſtio tertia de vſu.

na diligenter & accuratè deſcripta, nihil eſſe debet præceptis incluſum, quod in vſu exemplo formãdo, nõ quodãmodo viuat, ſpirétque. Propone igitur Ariſtotelee quæſtionem aliquam ſcientiæ capacem: in hac imprime de cauſsis inſtitutiones noſtras: cernes protinus & finem, & formam, & modis omnibus efficientem cauſſam, & materiam: falſum verò omnino nihil: fac verò ſimile periculum in triginta capitibus Ariſtotelicæ demonſtrationis & ſcientiæ. O homo iam humanius hominem te non Ariſtoteleum, id eſt perditè pertinacem, atque obſtinatum nominabo. O homo inquã, accipe ingentem illam Ariſtotelis, & vaſtã duorum analyticorũ figuram: eáque quæſtioni alicui impreſſa & accõmodata, effinge nobis aliquam ſcientiã: quid in hac impreſsione facient nobiles illæ quæſtiones, an nullius, an omnis rei demonſtratio ſit, primáne, an ſecunda, an tertia figura præſtet in demonſtrando, an finita duobus terminis via ſit infinita, an demonſtratio vniuerſalis præſtet particulari, affirmatiua negatiue, oſtenſiua ad incommodum ducenti, quæ ſcientia certior, quæ vna, an eiuſdem ſint plures demonſtrationes, an per omne genus cauſſæ demonſtrari poßit, an vnius plures ſint cauſſæ, quàm chimericã ſcientiæ formam tam deformes, támque tortuoſæ formæ nobis efficient? Quid figmenta illa dici de omni, dici per ſe, dici vniuerſaliter, mediata, & immediata, & eorũ omnium tam multiplices modi, tam imperita imperitiæ, quàm portentoſam faciem gignent? Quid falſa tam multa, quod demonſtratio ſyllogiſmi ſpecies ſit,

quod demonſtratiui ſyllogiſmi ſpecies ſit demonſtratio, & quia eſt & ſecunda figuræ, & tertia, & negans, & ducens ad incommodum, & item diuiſio quæſtionum, quid inquam, hæc quam formam ſcientiæ referent? Quid nugæ toties iteratæ, demonſtratio ignotæ rei ſit ex præcognitis, demonſtratio ſit ex antecedentibus conſequente clarioribus, item demonſtratio ſit ex his quæ aliter habere non poſſunt, demonſtratio ſit ex propoſitionibus neceſſariis, demõſtratio ſit ex rebus perpetuis, demonſtratio non ſit ex fortuitis: quid hæ nugæ? quos oculos ſcientiæ formabũt? quid reliqua his ſtultiora de enuntiatione demonſtratiua, dialectica: de propoſitione, ſuppoſitione, dignitate, tam multa de principiis communibus, propriis, de interrogationibus propriis artium, quòd non omnium concluſionum ſint eadem principia, de vniuerſaliũ rerum & principiorũ habitu, & in animis per ſenſus impreßione, de differentia ſcientiæ, & opinionis, ſcibilis & opinabilis, de ſolertia quàm cadaueroſam, quámque ab omni ſciẽtia abhorrentẽ deformitatẽ creabũt? Adeſte, adeſte inquã homines, & vos homines ea lege natos eſſe memẽtote, vt lucẽ veſtræ naturæ ſpectantes, & ſequentes Deũ optimũ maximum, eius authorem ametis, non vt in perdita & damnata caliginis amentia delirantes, tantæ fatuitatis inuentorem colatis. Non dico tantùm confuſas eſſe cauſſas in his libris, ſed etiam confirmo omnes iſtas tenebras, quibus cauſſæ obruuntur, nullum emolumenti cuiuſquam fructum habere. Quare in grammatica, in arithmetica, in geometrica quid ſit

de quo, & omni, & per ſe, & vniuerſaliter, & primo, & ſecundo, & tertio, & quarto modo dicatur, & quæ ſit hallucinatio in his artibus circa vniuerſale mediatum & immediatum, & vtrum Arithmetica duobus extremis poſitis ipſa tamen ſit infinita, & ſine extremis, & cætera ſimplicium, & imperitorũ ludibria, ridebere. Adhibe hæc eadem in qua voles diſciplina, nónne inſanire videbere? Reperi quæſtionẽ aliquam quæ ſciẽtiam poßit capere, in ea ſigilla Ariſtoteleæ demonſtrationis imprime, perfice, ſi potes, eius tam multis inſtrumentis egregium aliquod ſcientiæ opus, vnde eorum vtilitatem cognoſcamus: fac idem in diuiſione & definitione periculum: ſit res tribuenda, ſit definienda: compara noſtras artes cum Ariſtotelis artibus, adhibe noſtrarum inſtitutionum præcepta, exiſtent è veſtigiò partes ex cauſsis, effectis, ſubiectis, adiunctis expreſſæ: exiſtent è firmißimis argumentis conſtantes, è cæteris illuſtres & inſignes rerum notæ: ex Ariſtotelis præceptis & inſtitutis quid? qualia & quàm ridicula figlina? diſrũpantur verò licet Ariſtotelei, nunquã in hoc amplißimo clarißimóque exemplorũ, vſus conſuetudinis, humanæ prudentiæ ſole, diligentiam noſtram aſſequentur: doceant enim ex qua vſus obſeruatione præcepta iſta ſumpſerint, demõſtrent ad quam vtilitatẽ referant, promant aliquando & exerceant, id quod ſolum in his duobus libris inſigne eſt & vtile, veram & ſolidam explicationẽ, & demonſtrationem ex cauſsis primis & neceſſariis conſtare: perficiant certa & conſtanti demonſtratione,

vt intelligamus doctrinam fictitiis, alienis, nugatoriis, falſis ſomniis à ſe non eſſe perturbatam & confuſam: Homericis, vt eorum princeps Ariſtoteles iubet, aut Platonicis exemplis oculos noſtros perſtringant: tũ illos præceptores amabo, qui doctrinæ ſuæ fructum demonſtrabũt. Sed Ariſtoteleorũ exercitationẽ & vſum (quem in analyticis poſterioribus adhibent) requiramus: nullum eſſe his analyticis doctrinæ (vt tradita hîc eſt) vſum, nullum eſſe poſſe docuimus. At Ariſtotelei nos refellunt: magnum & neceſſariũ eſſe vſum demonſtrant. vbínam igitur? an in artibus ingenuis ac laudandis? at id falſum eſſe docui. An in poetis? oratoribus? hiſtoricis? at ille ſplendor humanitatis has tenebras reſpuit. Quid ergo? vbi ab Ariſtoteleis exercentur analytica tam prolixa? Quaſi verò nos obliti ſimus terminos inuentos eſſe, expoſita prædicabilia, compoſita prædicamenta, interpretationem fictam, propoſitionum abundantiam, & inuentionem medij tam artificioſe deſcriptam, vt Ariſtotelei his de rebus in ſchola ad rauim vſque vociferantes altercarentur. Rhetoricam rhetores exercent declamando: dialecticã, quia contractior ab Ariſtotele ficta eſt, vnius ſyllabæ compendio commodius Ariſtotelei videlicet exercent, clamando. Meminiſtis Ariſtotelei, ac quotidie cernitis quæ theſes in ſchola de demonſtratione clamentur, quàm pro rei dignitate ſudores mirabiles exprimantur: minore porrò ſtudio licuerit mathematicas artes omnes, humanæ vitæ vtiliſſimas perdiſcere, quàm infœlici miſerandóque labore analytica ab Ariſtote-

leis clametur. Deus optime maxime, cæcas Ariſtoteleorum & obſtinatas mentes ad lucem veritatis cõuerte: perfice vt artem, quàm errorem, vt commodũ, quàm detrimentum, vt dialecticam doctrinam, quàm Ariſtotelicam ſophiſticam malint. Abiiciant ex animis ſuis ſophiſma illud toties iactatum, Ariſtotelem Ariſtotele ne defendant.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber nonus.

De primo Topico.

VErùm aliæ inuentionis tenebræ reſtant: in tot ſalebris Ariſtotelicis ſeptem adhuc inuentionis locos non expoſitos, ſed confuſos vidimus, vel potius obſcuratas quaſdam ſeptem locorum notas aſpeximus, cauſſarum, effectorum, adiunctorum, diſſentaneorum, nominis, diuiſionis, definitionis: Topica ſuperſunt. Hîc Ariſtoteleos vehementer oro vt attenti, vt conſiderati, vt liberi in cognoſcendo & æſtimando velint eſſe: ac dialecticæ malint de Ariſtotele, quàm Ariſtoteli de dialectica credere: dialectica verè percepta monet, vt ſine amore, ſine odio, ſine pertinacia, ſine inuidia, ſemotis denique omnibus affectibus res ſimplex & nuda ponatur: ex ſuis ipſa rationibus & argumentis æſti-

Dialectica ratio ſine affectu.

metur: Areopagitas denique imitemur, qui noctu cauſſas audiebant: quinetiam præconis voce interdicebant, nequis affectus moueret orator: ne vlla omnino vel præſentium gratia, vel oratorum blanditia à veri cognitione mens auerteretur. Ariſtotelis igitur autho ritatem ſemoueamus, ne ſophiſmate illo petiti principij nos impediat: ſcripta eius qualia ſint, inquiramus. Videtur autem hic libermaiora nobis ac præſtantiora promittere, quàm ſuperiores adhuc præſtiterunt, & titulus ipſe inuentionis doctrinam pollicetur. Ariſtoteles dialecticæ inuentionis præceptiones τόπους nominauit: vt enim ſi cui aurum quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare velles, ſigna oſtenderes locorum, quibus cognitis ille ſibi ipſe foderet, & id quod vellet, ſine errore erueret: ſic has Ariſtoteles argumentorum quaſi notas, locos appellauit: quia argumenta quærenti demonſtrarent, vbi eſſent, & ἀπὸ τοῦ τόπου τοπικὸν opus appellauit: huius nominis ea ratio à Cicerone redditur, quàm commodè, Ariſtotelei viderint: multum enim inter fodinas, & inuentionis dialecticæ etiam veriſſimè & clariſſimè deſcriptæ præceptiones intereſt: locum auri notatum habueris, aurum iam inuentum eſt, ſed eruendum labore: omnes argumentorum inſtitutiones & artes noueris, ſi fueris in conſuetudine, in exemplis, in inſtitutis, in artiũ diſciplinarúmque ſtudiis, in hominum moribus, ac volũtatibus hoſpes & planè rudis: nihil hi loci admodmm tibi proderunt, & ea de cauſſa inuentionem diximus initio priorem dialecticæ partem, quæ de argumentis

Areopagitæ.

Topica vnde dicta.

eſſet; non ſine magna ratione appellatam. Quare iſta fodinarum collatio & locorum, diſsimilitudine potius fallet, quàm ſimilitudine adiuuabit. nec in explicanda inuentione dialectica neceſſe magis eſt argumẽtorum partes, quàm in diſpoſitione declaranda ſyllogiſmorum ſpecies, locos appellare. Sed tamen perge: Topica his libris explicat Ariſtoteles: An ſolos τόπους *ac locos argumentorum declarare voluit? minimè: ſed videtur totam dialecticã his topicis libris comprehendere. Definit initio doctrinam, quam tradere inſtituit: de quæſtione multa diſputat, deinde de inuentione multò plura: nonnulla etiam ad extremum de diſpoſitione octauo libro pollicetur quibus in partibus tota dialectica eſt. Conſideremus itaque qua diligentia de quæſtione Ariſtoteles præceperit: qua ſubtilitate partes inuentionis diſtribuerit: qua prudentia diſpoſitionis genera concluſerit. Potuit enim ſuperioribus libris obſcurus & confuſus eſſe, hîc tandẽ reſipiſcere, & ſui diſsimilis eſſe. Imò verò idẽ ſemper eſt Ariſtoteles, qui fuerat: nihil rectè definit, nihil ex ordine diſtribuit, nihil luculenter expolit, ſed eoſdem generales locos (quos antea perdidit) cum cæteris ferè omnibus hic nouis tenebris obruit. Propoſitum itaque noſtrum hîc optimo iure tenebimus: multa in hac arte non neceſſaria præcepta Ariſtoteles confundit: multa neceſſaria omittit: quinetiã quod initio propoſui, falſis & ſophiſticis præceptis exercitationẽ dialecticæ & vſum contra quam ipſe videbatur viuus feciſſe, corrumpit, & ad ſophiſticos clamores ſcholæ traducit. Neque*

Topicorũ ſumma,

hîc Ariſtotelem, vt antea, duntaxat accuſo, quòd do ctrinam dialecticam conturbarit, ſed quòd eius quoque vſum vitioſis præceptis perdidit, & duas res ab Ariſtotele vno, & eodem iudicio repeto, artem & artis vſum: nec tamen Ariſtoteleorum exercitationẽ meliorem, quàm antea hîc inuenio, ſed Ariſtotelis etiam præceptis inutiliorem. Ad primam artis quæſtionem, quòd multa non neceſſaria confundãtur, res cuiuſque libri ſingulares perſequemur: ad quæſtionem ſecundam diſceptandam, totas noſtras inſtitutiones cum totis Ariſtotelis artibus conferemus, ſicut adhuc in cæteris antecedentibus libris fecimus. Primi verò Topici princeps confuſio eſt in quæſtionis dialecticæ conſtitutione, & parte prima inuentionis quam Ariſtoteles in inſtrumentis, ad quæſtionis confuſionem adiungit: quædam autem, quæ nec quæſtionis ſunt, nec inuentionis præterea etiam conturbãtur de ſyllogiſmo, de argumentationis formis. Hæc itaque primi Topici tripertita ſit confuſio. Quo tamen res facilius intelligatur, capita, vt vulgò in ſcholis diſtinguuntur, perſequar. Quid igitur Ariſtoteles primo capite primi Topici? videtur Ariſtoteles initio nobis inuentionis doctrinam aliquam definire, ſic autem loquitur:

Quæſtio prima, de arte topica, quàm multa nõ neceſſaria hic Ariſtoteles confuderit.

Primi topici ſumma.

» *Propoſitum quidem negotij eſt methodum inuenire,*
» *per quã poterimus ſyllogiſare de omni propoſito proble*
» *mate ex probabilibus, & ipſi diſputationem ſuſtinen-*
» *tes nihil dicemus repugnans. Primùm ſpectemus cuiuſmodi ſit iſta definitio: inuentio dialectica alligatur ad problema, vt poſtea rurſum. Hoc initio, cùm de*

quæſtione dictum eſt, abſurdum eſſe docuimus: quia dialectica de omni quæſtione diſputat, non ſolùm de problemate: hoc primũ vitium eſt in hac definitione: tum additur ex probabilibus: quod ſecundum vitium eſt: dialectica inuentio eſt communis omnium argumentorum, & probabilium, & neceſſariorum: & Ariſtoteles ipſe non minus neceſſaria argumenta, quàm probabilia hîc proponit, genus, ſpeciem, definitionem, proprium, formam, quæ neceſſaria eſſe exiſtimat: ſeipſum igitur Ariſtoteles ſuis præceptis coar-
„ guit. Sequitur in hac definitione, & ipſi diſputatio-
„ nem ſuſtinentes, nihil dicemus repugnans: in quo duplex eſt error, & quòd Ariſtoteles dialecticam ad ſophiſticas altercationes referat: dialectico enim nihil exiſtimat ſuſceptæ diſputationi repugnans eſſe dicendum. Enimuero ſi ſententiam falſam, vt contra nos in his libris, Ariſtoteleus defendendam ſuſceperit, an veriſsimis argumẽtis, clariſsima veriſsima diſputationis luce conuictus, tamen in errore pertinaciter hærebit? Imò verò ſi Ariſtoteleus non erit, ſentẽtiam deteriorem cum meliore commutabit: nec pudebit ab errore ad veritatem, ab inſcitia ad certam cognitionẽ conuerti: ſed Ariſtotelicum eſt à ſententia falſa, iniqua, nihil intereſt, nunquam tamen deiici, nunquam vinci. Sequitur definitio ſyllogiſmi falſa (vt analityco primo, ſuo & loco & ordine declarabo) & alieno poſita loco: ſyllogiſmus enim eſt diſpoſitionis, quæ diſponendi argumenti regulas tradit: illic igitur definiatur: non eſt autem inuẽtionis, quæ argumẽta deſcri-

bit: ne hic igitur confundātur. Diſtribuitur ab Ariſtotele ſyllogiſmus in demonſtratiuum dialecticum, litigioſum, paralogiſmum: de hac ſyllogiſmorum nugatoria, ex remotiſſimis circunſtantiis partitione dictum eſt initio, cùm de partitione inuentionis & diſpoſitionis dictum eſt. Caput ſecundum eſt de triplici dialectica vtilitate ad exercitationes, ad colloquia, ad philoſophicas artes & diſciplinas. Quas vtilitates ſi præceptis conuenientibus perſequeretur Ariſtoteles, & apertè demonſtraret, quanuis parum diſertè, planéque tam nobilis diſciplinæ fructus enarraret, tamen non laudari quidem maximè non poſſet, quia nihil ferè eſt excellens & magnum, quod his tribus rebus quodammodo non contineatur: verùm tam ſapiens Ariſtoteles eſſe non vult, retexit paulò pòſt orationē: dialecticam reuocat à colloquiis familiaribus & domeſticis: retrahit à meditationibus omnibus humanis: compingit in problematis ſcholaſticum de accidente, genere, proprio, definitione clamorem: laudes igitur obtineat Ariſtoteles à Græcis ſibi tributas, leuis, loquax, incōſtans habeatur. Tertium caput totam ferè de quæſtione confuſionem continet, ex ipſius quæſtionis & genere & nomine & partitione: tria enim hæc in Ariſtotelis quæſtione reprehendenda mihi propono. De quæſtione ſatis ſupérque fuerat initio totius animaduerſionis diſputatum, vt tamen Ariſtoteleis ſuos errores apertius oſtendamus, graue nobis non erit rem totā minutatim perſequi. Animaduertite Ariſtotelei quæ perſpicuè contra Ariſtotelis iſtas tenebas

Vtilitas dialecticæ.

Tria in quæſtione Ariſtotelis vitia, primū in genere.

diſputabo. Ariſtoteles ait dialecticum duntaxat de quæſtione diſputaturum, quæ interrogat in vtranque partem hoc modo: Eſtne hominis definitio animal greßibile, bipes an non? in quo vehementer errat: concludam etiam idem peccatum Ariſtotelis, & refutabo generaliter, ſed paulò ſecus quàm antea. omnis enim quæſtio cuiuſcunque modi ſit, quóque modo interroget, nihil intereſt, dialectico propoſita eſt, & ea argumentorũ generibus tractanda, diſpoſitionum modis æſtimanda & collocanda eſt: quod noſtræ inſtitutiones, quod vſus, quod veritas dialecticæ bene deſcriptæ declarat: vna inuentio communis eſt omnium quæſtionum, vna diſpoſitio cõmunis eſt omnium quæſtionum: totam autem & inuentionis, totam etiam diſpoſitionis doctrinam dialectica ſibi vendicat, totam propriam, & ſuam ducit, nec cum vlla alia diſciplina communem habet. Quare errat hic Ariſtoteles, & errando ſuos in errorem trahit: videte quomodo contra Ariſtotelem concludam.

Quæ diſciplina continet abſolutam facultatem omnis quæſtionis explicandæ, ea propoſitam habet omnem quæſtionem.

Dialectica verò cõtinet abſolutam facultatem omnis quæſtionis explicandæ, inuentionẽ quippe, & diſpoſitionem cõmunem & generalem, quibus ſolis omnis quæſtio diſputari tractaríque poteſt.

Dialectica igitur propoſitam habet omnem quæſtionem.

Non ago captioſe, nec Ariſtotelicè: apertè & clarè cõcludo: neque iam ἀϱιστοτελίζειν Ariſtotelei incipiãt: quòd aliud ſit logica, aliud dialectica, & nũc Ariſto telem agere de ſyllogiſmo dialectico. Dixi enim antea de hac vana nominum diſtractione, & totis animaduerſionibus docemus ab Ariſtotele non aliam logicã, aliam dialecticã inſtitui, ſed logicæ, ſed dialecticæ & inuentionẽ, & diſpoſitionem (quæ duæ partes & ſolæ, & omnes ſunt huius diſciplinæ) confundi, & mille tenebris cõturbari. Et demonſtrabo ab Ariſtotele artes topicas inſtrui, quibus non illa ſolùm duplicis interrogationis, ſed quæuis quæſtio poßit explicari, vera ſit néc ne. Quare Ariſtoteles errat in genere quæſtionis dialecticæ. Placet autem Ariſtoteli dialecticũ duntaxat hac de quæſtione diſputaturũ, quæ ſic interroget in vtramque partem, Eſtne hominis genus animal, an non? vt poßit dialecticus, videlicet vtram velit, quæſtionis huius partem aſſumere, quaſi verò non eadem ſit reſpondendi poteſtas & affirmando & negando: cum ſimpliciter ita quæritur, Eſtne hominis genus animal? Hoc Ariſtotelis peccatum eſt in quæſtionis genere: in nomine verò par, aut etiam maius. Ariſtoteles hanc quæſtionem hac falſa, & abſurda ratione dialectico propoſitã problema temerè nominat. Non enim rationẽ vllam ſaltem falſam, aut ineptã Ariſto telei queant reddere: quare autem ita nominare non debuerit, ipſe dicã. Ariſtoteles ſecundo topico præcipit (quantum enim mihi licet, Ariſtotelis vtor doctrina ad Ariſtotelis errores explanandum) vſum verborũ

Secũdum vitium in quęſtione Ariſtotelis ex nomine.

à populo ſumendum, ſcientiam rerum à doctis & artium petitis hominibus petendam. Quis verò extra ſcholam Ariſtotelis quæſtionem illam ridiculam & irridendã problematis nomine appellat? Habent medici problematum nomine quæſtiones, nec tamen duplici modo pronuntiatas: habent geometræ quæſtiones de conſtruendis formis problematum nomine, nec tamen iſto modo interrogatas: habet denique Ariſtoteles ipſe quæſtiones problematum nomine inſcriptas, non tamen iſto modo prolatas: poſtremò in his etiam topicis, vbi iſta fabulatur Ariſtoteles, has orationes problemata nominat.

Omnis voluptas bonum eſt,
Nulla voluptas bonum eſt.

Vbi duplex interrogatio non eſt: ac ſæpe in his topicis ita loquitur Ariſtoteles, vt iam Ariſtoteli ipſi problema & quæſtio idem ſit. Nomen igitur huic quæſtioni Ariſtotelicè, id eſt temerè, ſine vſu, ſine ratione eſt impoſitũ. Atque hæc ſunt Ariſtotelis laudes in genere Ariſtotelicæ quæſtionis, & in nomine conſtituendo: partitio verò magis etiam abſurda eſt eodem capite, quòd omnis diſputatio dialectica ſit ex genere, proprio, accidente, definitione. Quod ſophiſma diligentius eſt conſiderandum: problematis igitur diuiſionem hanc & eius rationem conſideremus. Omne problema eſt de genere, accidente, proprio, definitione (ait Ariſtoteles). Quamobrem? Hoc enim falſum eſſe contendo, & neceſſariis rebus addico. Omne ploblema indicat genus, proprium, definitionem, accidens. Ergo

Tertiũ vitiũ in quæſtione Ariſtotelis ex falſis generibus.

eſt omne problema de genere, proprio, definitione, accidẽte. Huius enthymematis ſophiſma melius, in integro ſyllogiſmo percipiemus.

Omnis quæſtio indicans genus, accidens, propriũ, definitionem, eſt de genere, proprio, definitione, accidente.

Omne problema eſt quæſtio indicans genus, accidens, proprium, definitionem.

Omne itaque problema eſt de genere, accidẽte, proprio, definitione.

Huius ſyllogiſmi propoſitionem & aſſumptionem falſas eſſe confirmo: prius autem de propoſitione dicam. Quæſtionis porrò ſpecies ſtultè definiũtur rerum indicatarum numero: neque enim verum, aut conſequens eſt, quæſtionem ea de re eſſe, quam quolibet modo indicat: cùm quæro an homo ſit animal, an non? in hac quæſtione multa indico, & animalis nomine, vt ſubſtantiam, & corpus, & vitam, & ſenſum, & motum, & colorem, & quantitatem, infinitáque alia, magis quàm generis in eo ſignificationem indico. Item hæc eadem hominis nomine comprehendo, præterea ratiocinandi, ridendi, numerandi, & innumerabilium rerum ſignificationes, & indicia præbeo. Quod Ariſtoteles ipſe ſecundo topico confirmat, vbi ait, Qui dixit vnum quoduis, quodãmodo multa dixit: eo quòd plura ex neceſſitate vnicuique conſequẽtia ſunt. Alienũ tamen, & abſurdum fuerit exiſtimare hãc quæſtionem, an homo eſt animal, an non? eſſe de colore, aut de numero. Atque hæc de propoſitione ſophiſma-

tis Ariſtotelici ad aſſumptionem venio.

Omne problema eſt quæſtio indicans genus, proprium, definitionem, accidens.

Interrogent Ariſtotelei aliquem nõ Ariſtoteleum, id eſt, liberi iudicij virum, non mancipati ingenij ſeruum: dicet hoc ſibi falſum videri, & exempla manifeſti erroris (ſi opus erit) proferet: vt ſi quæratur, an ædificata ſit Babylon ad tyrannidem principum, an non? finis quæritur: nec indicatur aut genus, aut proprium, aut definitio, aut accidens: an natura conſtet ex materia & forma, an non? quæritur de partibus, non de genere, proprio, accidente, definitione: deinde cùm de tot argumentorum modis genus & definitio duo ſint: proprium & accidens in adiunctis & factis comprehendãtur, vt in Porphyrio dictum eſt (niſi fortè quòd proprium etiam in his topicis eſt deſcriptio quædam) quid cauſſæ eſt cur cætera argumẽtorum genera, finis, forma, efficiens, materia, ſubiecta, diſſentanea in cõtrariis, & aduerſis, & priuantibus, & relatis, & cõtradicentibus tot generum, in repugnantibus, comparatis quinque modorum, tributiones, teſtimonia (quæ poſſunt quæri & indicari propoſita quæſtione) in his quatuor indicentur? Valde autem eſt ridiculum, quod Ariſtoteles ait differentiam, id eſt formam ſub genere comprehendi: præſertim cum ſit generis & differẽtiæ, ſeu formæ diſſimillima ratio: atque in iſto libro differentia velut etiam genere latior ſit in communibus inſtrumẽtis poſita, genus autem poſitum non ſit: nec minus ridiculum eſt quod ſpeciem dicunt Ariſto-

Differẽtia generi ineptè ſubiecta.

telei, quia de ea nihil hic Ariſtoteles præcepit, à diſciplinis reiici: quæ nugæ quoniam Ariſtotelicæ ſunt, ô Ariſtotelei conſiderate quomodo à nobis refellãtur: ſingularia præcepta nulla debent in diſciplinis eſſe. Eſto, quia vt Ariſtoteles præcepit, omnis ſcientia & diſciplina ex vniuerſis, & generalibus eſſe decretis atque immutabilibus debeat: hoc item valeat, quanuis de ſingularibus aſtris aſtrologiæ tota ferè decreta ſint. An igitur præceptum vniuerſale de rebus ſingularibus nullum eſſe poteſt? Annon ponitis Ariſtotelei præceptum in analyticis de ſyllogiſmis ſingularibus, quos expoſitorios dicitis, & tamen vniuerſum? Annon in his topicis de ſpecie locum ſæpiſſimè tradit Ariſtoteles, & tamen vniuerſum? de partibus, ſingularibus, & tamen vniuerſum? Nónne Porphyrius de ſpecie præceptũ tradit, & tamen vniuerſum? Nónne de indiuiduis præceptum tradit, & tamen vniuerſum? Nónne igitur Ariſtoteles potuit de ſpecie genus quæſtionis inſtituere, & tamen vniuerſum? Falſum eſt igitur omni problemate genus, accidens, proprium, definitionem neceſſariò indicari, cùm poſſit indicari cauſſa, ſubiectum, diſſentaneum, comparatũ, nomen, totum, membra, ſpecies, teſtimonium. Quare cũ ſophiſmatis huius & propoſitio, & aſſumptio falſæ ſint, quonam pacto poterit eſſe vera complexio? Eſt igitur non ſolùm falſa Ariſtotelici problematis partitio, ſed etiam Ariſtotelis de hac partitione ratio captioſa, planéque ſophiſtica. Sequitur in eodem capite tertio primi topici differentia problematis & propo-

Species temerè reiicitur.

ſitionis: quòd problema ſit in utranque partem elata interrogatio, propoſitio in unam tantùm. Verum problema omnis quæſtio: protaſis vel propoſitum, omnis quæſtio, ut verè, & naturaliter poteſt, ita dicatur. Ariſtotelis ſomnia, ſine uſu, ſine ratione, ſine exemplo cùm ſint, abiiciantur. Quarto capite definitur definitio ab Ariſtotele, oratio quid erat eſſe rei ſignificans, acuta ſanè & Ariſtotelica definitione: animal mortale ad Ariſtotelis legem hominis definitio erit, quia eſt oratio quid erat eſſe rei ſignificans, cur hîc omittitur ut propriè, perſpicuè, ſuccinctè? Definitio autem argumenti genus eſt, de qua Ariſtoteles in inuentione valde Ariſtotelicè atque ſophiſticè præcipit: nam cùm definitio genus quæſtionis ab Ariſtotele cõſtituatur, valde mirũ eſt, eã poſtea ad omnes quæſtiones accommodari. Proprium nullum eſt argumenti genus, ut in Porphyrio, & analytico primo de abundantia propoſitionum dictum eſt, niſi pro deſcriptione ſumatur, ut in his topicis. De genere in argumentis propriè præcipitur: & quæri ab Ariſtotele ſimiliter poteſt, quare fiat quæſtionis modus, potius quàm cauſſa, quæ tamen antiquior eſt genere: quia omne genus ſignificat aliquã cauſſam, non cõtrà. De generis definitione quemadmodum & falſa ſit, & ad uſum non ſatis accõmodata, in Porphyrio dictũ eſt. qui errores huius definitionis ab hoc Ariſtotelis loco traxerat. De accidente item ſatis multa in Porphyrio. Quinto capite Ariſtoteles diſputat generis proprij, accidentis, rationes definitioni poſſe accommodari: quod ſolidi præ-

cepti nihil eſt: & , ne videlicet artifex tam multarum tenebrarum hîc accuſari poſſet, obiicit ſibi, non idcirco tamen vnam & communem methodum omnium problematum quærendam eſſe: quia nec facilè inueniri poßit, & ſi inueniatur, omnino obſcura ſit & inſuauis. Hæc cauſſa eſt Ariſtotelei, quâ veſter Ariſtoteles in tantas inuentionis dialecticæ tenebras delapſus eſt: hæc falſa & fallax ratio Ariſtotelem inquam decepit, fefellit, induxit. Quare nobis animaduertenda diligenter eſt: huic errori reſtitimus initio, cùm de quæſtione actum eſt, & ad eius tanti mendacij refutationem confirmandam, quia negaret Ariſtoteles communem quatuor problematum doctrinam inueniri poſſe, monui antea in prædicabilibus, prædicamentis, abundantia propoſitionum, inuentione medij, analyticis poſterioribus, locos inuentionis confuſos à Porphyrio & Ariſtotele non problematum, accidentis, generis, proprij, definitionis proprios, ſed communes eſſe omnium quæſtionum. Atque huius loci errorem ſatis, vel Ariſtotele ipſo iudice refutaueram: quia ipſe eas artes communes traderet, quas negaret inueniri poſſe: attamen quia bella iſta & Ariſtotele philoſopho tam digna ratio atque cauſſa in topicis ponitur, in ſingulis topicis huius fallaciæ maiorē mihi refutationem depoſco. Docebo enim his topicis, id eſt Ariſtotelis teſtimoniis hanc eandem non modò quatuor problematum, ſed omnium omnino quæſtionum communē inuentionem ab Ariſtotele non ſolùm confundi, ſed etiam laudari atque celebrari: Et quidem ab

Cauſa quę Ariſtotelē in tantas inuentionis tenebras impulerit, eſt, quòd omnium quæſtionū nullā eſſe cōmunem inuentionis artem crediderit.

n. i.

octauo capite primi huius topici vſque ad finem octaui totus eſt Ariſtoteles in locis illis communibus obſcurandis, ineptiſsimè iterandis & repetendis: caligine denique omnium tenebrarum obruendis: præter enim generales locos decem noſtris inſtitutionibus informatos, dialecticum præceptum dialecticæ inuentionis Ariſtoteles in his topicis nullum tradit. Quare ſextum & ſeptimum caput cùm expendero, ad iſtam diſputationem oratio noſtra conuertetur. Sexto capite idem tripliciter dicitur, numero, ſpecie, genere: Ariſtotelicum hoc inuentum eſt, idem & diuerſum eſſe poteſt cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, collatis, nomine, tributione, definitione, teſtimonio: & hoc præceptum nihil inuentionis, nihil diſpoſitionis eſt: quare nihil etiam dialecticæ. Septimo capite diſputatio reuocatur de diuiſione problematis, quòd omnis diſputatio dialecticaſit ex definitione, proprio, genere, accidente: ídque Ariſtoteles omnibus concluſionum modis ſe pollicetur addicturum, inductione & ſyllogiſmo: quas ſolas argumentationis ſpecies paulò pòſt facit: verùm in vtroque fallit: inductionem nobis conſiderandam relinquit tanquam manifeſtam: ſed antea multis exemplis falſam docuimus, cùm oſtẽdimus non omni quæſtione indicari genus, accidens, proprium, definitionem: & Ariſtotelicum hoc eſt, quod ignoretur, quod etiam falſum ſit, tanquam verum, & perſpicuum prætermittere: ſic Ariſtoteles ſex poſtrema prædicamenta prætermiſit, quòd diceret eſſe facilia, cùm tamen ab homine perfici nullo modo poſſent. Ad ſyllo-

Idem numero, ſpecie, genere

giſmum Ariſtoteles deinde accedit, & circunſtantia vaniſsima abſoluit. Reuocauit Ariſtoteles dialecticam ad grammaticam quandā ſermonis accidentiam: quomodo nempe vnumquodque vocabulum ſignificaret, & quomodo de alio affirmaretur: hinc prædicabilia, prædicamenta, & in his topicis prædicata, hinc facta definitiones, generis, ſpeciei, differentiæ: quomodo de rebus ſibi ſubiectis affirmarentur, cùm tamen dialectica ratio pura & ſimplex eſſet: ſermonis nullā curam ſi rectè tradatur, habeat. Hinc igitur Ariſtoteles probationem ſophiſmatis, & rationem orditur, & ſyllogiſmum ſe facturum pollicetur: ſic enim ait, Alia fides per ſyllogiſmū. In quo Ariſtoteles Ariſtoteleos decepit: ſyllogiſmi enim eius (quem pollicetur) nullā partem ponit, ſed propoſitionis rationem ex prædicationis Ariſtotelicæ diuiſione comminiſcitur. Syllogiſmi enim, quem Ariſtoteles non præſtat, ſed pollicetur, hæc concluſio eſſe debuerat.

Omne prædicatum eſt genus, definitio, proprium, aut accidens.
Omnis diſputatio dialectica eſt de prædicato.
Omnis igitur diſputatio dialectica eſt de genere, proprio, definitione, accidente.

Hunc ſyllogiſmum non fecit Ariſtoteles, ſed neſcio quàm lubrica, quámque præcipiti obliuione præteriit: cuius propoſitio prædicationis partitione, valde Ariſtotelicè confirmatur. Aſſumptio item falſa eſt, quòd omnis diſputatio dialectica ſit de Ariſtotelicis prædicatis: omnis enim quæſtio dialectica eſt, & nulla

quæſtio niſi dialecticè tractari poteſt. Innumerabiles verò ſunt quæſtiones non de iis ſcholaſticis Ariſtotelicorum problematum prædicatis: Ariſtoteles igitur nullum quæſtionis proprium ſyllogiſmum, quem pollicebatur, fecit: ſyllogiſmo autem quodam connexo, quem tamen ſyllogiſmum eſſe neſciebat, cùm in eas figuras non cadat, quibus omnes ſyllogiſmorum modos concludi analytico primo docet, concludit, & falſò concludit omne prædicatum eſſe de accidente, genere, proprio, definitione: quod ei propoſitum non erat: attamen concludit hoc modo:

Si omne prædicatum conuerſim prædicatur, aut non conuerſim: eſt de genere, proprio, accidēte, finitione: quia ſi conuerſim, eſt proprium, aut finitio: ſi non conuerſim, genus aut accidens.

Sed omne prædicatum conuerſim prædicatur, aut non conuerſim.

Omne igitur prædicatum eſt de accidente, genere, proprio, definitione.

Hîc ſyllogiſmus Ariſtotelis eſt, cuius propoſitio eſt falſa, quia nullum eſt argumenti genus, quod conuerſim, aut non conuerſim non prædicetur: aut per ſe, aut denominatiuè, vt antea dixi. At è decem generibus argumentorum, genus eſt particula diſtributionis: accidens effectorũ & adiunctorum: proprium de quo loquitur hic Ariſtoteles, vel adiunctorum, vel definitionis ſpecies: definitio locus eſt integer: tot argumēta reliqua, cauſſæ, ſubiecta, diſſentanea, nomina, collationes, totum, mēbra, ſpecies, teſtimonia in his prædicatis quæ-

tuor Ariſtotelis non numerantur, quæ tamē de re propoſita prædicantur. Quare Ariſtotelis ſyllogiſmus parte illa principe fallax eſt: & totus à quæſtione propoſita alienus eſt. Suſceperat enim Ariſtoteles probādum omnem quæſtionem eſſe de illis quatuor prædicatis, quod nullo modo demōſtrat. O nebulas Ariſtotelis! ô nebuloſos Ariſtoteleos! Ariſtoteles vobis probationem huius ſophiſmatis per inductionem & ſyllogiſmum pollicetur: creditis: non quæritis an mentiatur, an vobis imponat, an nebulas obiiciat. At neque inductionem, neque ſyllogiſmum fecit. Atque hæc fundamenta ſunt, & tertio, & ſeptimo capite de vana illa & falſa problematis partitione in quatuor partes. Eodem ſeptimo capite præcipit Ariſtoteles, vt è prædicamentis ſumantur probationes harum quæſtionum: hic Ariſtoteles indicat prædicamenta locos eſſe quoſdam dialecticæ inuentionis communes (contrà quàm eius interpretes illic arbitrantur) vnde omnes probationes hauriantur. Sed antea de prædicamentorum inanitate diximus. Atque his duobus capitibus expoſitis ad intermiſſam quæſtionem reuertor, quam totis topicis, id eſt, vt dixi, perpetuis Ariſtotelis teſtimoniis contra Ariſtotelem me demonſtraturum recepi. Ariſtoteles ait communem omnium problematum artem reperiri non poſſe: hoc Ariſtotelis commentum ſuperioribus omnibus eius libris falſum eſſe docui: falſum rurſus in his Topicis demonſtrabo: nec tamen principes vniuerſæ animaduerſionis quæſtiones intermittam, quin doceam quàm multa confundantur, quàm multa e-

Prædicamenta loci ſunt inuentionis

mittantur. Octauo igitur & nono capite quæritur quid ſit propoſitio dialectica, & problema dialecticū: item quid poſitio. Qua de vanitate & audacia fingendarum in communibus vocabulis ſignificationum paulò antè diximus. Mirificum autem illud Ariſtotelis teſtimonium (quod quærimus) capite octauo in generibus propoſitionis enumerandis incipit: hîc enim Ariſtoteles propoſitionum, id eſt principū ſyllogiſmi partium, genera ex teſtimoniis ſpectatorum & probatorum hominum, ſimilibus & contrariis deducit, id eſt, Ariſtoteles eam methodum generalem inſtruit, quam quinto capite negabat inueniri poſſe: nec tamen ſic inſtruit, quin multò maximam partem relinquat. Quid enim Ariſtoteles ex cauſſis, factis, ſubiectis, adiunctis, repugnantibus, comparatis, collatis, nomine, tributione, finitione, an propoſitio nulla erit? Cuiuſmodi credas eam partitionem eſſe, vbi de partibus decem (quæ ſunt argumentorum vniuerſalium genera dialecticæ inuentionis) vna integra, teſtimonium: ex generibus collatorum vnum, ſimile: è duobus diſſentaneorum generibus vnum, contrarium, non explicatur, ſed attingitur: de cæteris nullum verbum fiat? Hoc igitur primum Ariſtotelis contra Ariſtotelem teſtimonium produco: teſtimonia, ſimilia, contraria, loci ſunt communes omnium problematum: quales tamen negabat Ariſtoteles inueniri poſſe. Pari ferè ſapientia problema diuiditur ex fine rerum quæſitarum, ex opinionum diſſidentium differentia & varietate. Ridiculè ita me Deus amet, & Ariſtotelicè, & quòd om-

Propoſitionū inuentio vitioſa.

Problematis partitio vitioſa

nium quæſtionum partitio, vt tam multis argumentis initio docui, in dialectica inutilis eſt, & quòd iſta vanitate liceat mille ſimiles partitionum ineptias affingere. Sed hæc miſſa faciamus: ad probationem reuertamur: alia Ariſtotelis teſtimonia contra Ariſtotelem producamus. Decimo capite argumentationis dialecticæ ſpecies duæ ab Ariſtotele ponuntur, ſyllogiſmus & inductio in quo multiplex ſophiſma eſt, omnis & tota & ſola argumentatio, id eſt argumenti diſpoſitio ſyllogiſmus eſt, inductio non eſt argumentatio, vt in noſtris inſtitutionibus docuimus: ſed argumentum ex partibus. Differentia autem ſyllogiſmi & inductionis valde ridicula eſt, quòd ſyllogiſmus ſit valentior, clarior inductio. Quaſi inductionis argumentum, quod ex partibus eſt, non poſſit etiam ſyllogiſmo concludi: ſit enim inductio,

Argumẽtationis vitioſa partitio in ſyllogiſmũ & inuentionem.

Omnis & homo & beſtia ſentit.
Omne igitur animal ſentit.

Addatur aſſumptio, vt ſyllogiſmus plenus fiat hoc modo:

Omnis & homo & beſtia ſentit.
Omne animal eſt beſtia aut homo.
Omne igitur animal ſentit.

Vtra in parte Ariſtoteles argumentum clarius & fortius eſt? illic inductio eſt, hic ſyllogiſmus: & argumentum idem eſt. Atque hæc de Ariſtotelei dialectici quæſtione, id eſt, prima topicorum Ariſtoteleorum parte, ſi tamen Ariſtoteles in his tenebris vllam partitionem cogitauit. Ad quæſtionem igitur, quæſtio-

Ariſtoteles inutiliter topica ad quatuor problemata retulit.

niſque ſpecies ita deſcriptas Ariſtoteles deinceps inuentionis artes accommodat: ad quas tamen priuſquã accedam, illud ab Ariſtotele quærendum eſſe arbitror, ſi partitio problematis de accidente, proprio, genere, definitione vera eſſet: quam falſam eſſe (vt eſt) neceſſe eſt: tamen ſi vera eſſet, quorſum ad has quatuor particulas tã longa, támque prolixa, quæ eſt in octo topicis, inuentionis adhiberetur cõfuſio? Proponit Ariſtoteles in analyticis poſterioribus quatuor genera quæſtionũ, an eſt, quid eſt, quia eſt, quamobrem eſt: nec tamen ad eas vllam inuentionis doctrinam adhibendã priuatim putauit. Quæ cauſſa eſt igitur quamobrem hic octo topicis tam obſcuram, tam confuſam, tam nugatoriam locorũ periſſologiam (vt oſtendam) ad has quæſtiones quatuor aggregauit? quis finis? quis vſus? quod conſilium? Ariſtoteleos hîc iam ſæpius vrgeo, vt præceptionum ſuarum fructum doceant, vt rationem idoneam & ligitimam cauſſam proferant, vt caput in has tenebras demerſum aliquando ſurſum erigant, vt Ariſtotelis ſapientia illa vtantur: quæ iubet ad ſcientiam, cauſſas rerum primas, proprias, neceſſarias inquirendas eſſe: ἀπόδειξιν ab Ariſtotele requirant inuẽtionis dialecticæ: quid ſit, quamobrem ad has quatuor partes tota inuentio referatur. Non quæro quamobrem potius quatuor inuentionis artes ſingulares, quàm vna communis, ſed quamobrem omnino inuentionis doctrina huc referatur. An idcirco, quia valde eſſet neceſſaria cognitio accidentis, generis, proprij, finitionis, ideo tam multæ inuentionis artes ſunt deſcriptæ, vt

cognoſceretur quid accidens, proprium, genus, definitio eſſet? Definias verò diligenter & accuratè, ô Ariſtoteles, & genus & definitionem, & quicquid in dialectica ſciri neceſſe eſt, partes & ſpecies ſi ſint, diuide, omnes proprietates explica, illuſtra nobilibus exemplis, vt omnino penitúſque percipiantur: ſic enim decet inſtitutiones artis dialecticæ explicari: libros autem tam perplexè, támque nugatoriè conſcribere, vt cognoſcam tantum quid ſit hoc, quòd quatuor, accidẽtis, proprij, definitionis, generis vocabulis ſignificetur: an eſt obſecro te ô Ariſtoteles, philoſophi artem perſpicuè breuitérque demonſtrantis? an ſophiſtæ ignaui, otio & artis (quam profitetur) nomine impudenter abutentis? Referre totam inuentionem dialecticam, imò verò totam artem dialecticam (Ariſtoteles enim de iis quatuor tantum problematis eam loqui vult) quæ ad omnes res explicandum reperta erat, referre inquan ad quæſtiunculas de quatuor dialecticæ particulis obſcurandis, an non ſimile eſt, ac ſi diceres hominem, qui ad cælum terrámque contemplandum, ad colendum Deum, & mortalium vniuerſo generi opitulandum natus ſit, ad quatuor vngues pedum ſuorum arrodendum eſſe genitum, & cathenis cõſtrictum ad id opus adigeres? Ex cauſsis omnis eſt omnium rerum vera & firma (vt ipſe ô Ariſtoteles ais) demonſtratio: diſſentaneorum locus tam magnificus eſt, vt eius vnam particulam, contradictionem, appelles in tuis metaphyſicis principium omnium principiorum: diſtributio quam in dialectica neceſsitatem obtinet? ſyllogiſmus

an non eſt ſingularis, & diuina quadam omnis humani iudicij regula? attamen cùm ea ſingula definitionibus eſſent intellecta, cùm omnibus modis clariſſimè eſſent expoſita: quanam iſta deliratio fuerit ad ea clamanda & altercanda, locos permultos inuentionis, permultos etiam libros inuoluere? ac tricis omnibus apiníſque implicare? Quamobrem Ariſtoteli, vt hanc ἀπόδειξιν concludam, nulla iuſta cauſſa fuit dialecticã artem ſic inſtituendi, vt de quatuor tantum ſuis præceptis clamaret. Nullum inſtrumentum, nulla ars in ſeipſa exercetur: grammatica in poetis & oratoribus explicandis, in ſcribendo propriè, & loquendo exercetur. Geometria non eſt inuenta, vt ſe, vel ſuas præceptiones, ſed vt res omnes; longas, latas, altas, metiretur. At dialectica videtur Ariſtoteli inuenta, vt de ſe clamaret, nec de ſe tota, ſed de quatuor ſua vnius partis particulis. Conſiderate Ariſtotelei tam ineptam, tam inſulſam, tam falſam cauſſam: quà inductus eſt Ariſtoteles, vt ad quatuor quæſtiones dialecticam alligaret.

De communibus inſtrumentis.

SEd hac de quæſtionis & in genere, & in nomine, & in partibus errore: déque tam fatua ad problematis altercationẽ inuentionis aſtrictione ſatis: ad inuentionis artes veniamus, & in his non ſolùm multa non neceſſaria confundi, multa neceſſaria prætermitti doceamus: ſed cõmunẽ inuentionis artẽ demõſtremus, quã Ariſtoteles inueniri poſſe negauerat.

Quis tres quæſtiones in hoc primo topico plerunque ſimul propter infinitam vitiorum materiam diſceptare coacti ſumus. Demus igitur Ariſtoteli falſiſsimam cauſſam & ineptiſsimam, veriſsimam eſſe, vt omnibus modis conuictus libentius tandem veritati aſſentiatur: demus inquam, horum prædicatorum maximè neceſſariam cauſſam eſſe, vt inuentio ad ea propriè declaranda, Ariſtoteli deſcribenda fuerit. Quid tum? an id Ariſtoteles effecit? an proprias artes ſingulorum problematum vt pollicetur, inſtituit? imò verò veriſsimè confirmo omnibus topicis tam longa tot librorum inuentione nihil præcipuè cognitionem horum prædicatorum quatuor inſtrui atque informari: ſed communem omnium omnino quæſtionum inuentionem conturbari. Maximum fuerit Ariſtoteleis quod hic dicturus ſum, ſed tamen ne ipſis incredibile ſit, ab Ariſtotele ipſo mihi traditum: ſcio Ariſtotelis ſententias Ariſtoteleis gratas eſſe, & ſcio ad Ariſtotelem ipſum conuincendum maximas videri oportere: idcirco multis Ariſtotelis teſtimoniis vtor. Ariſtoteles in extremo dialecticæ confuſionis libro Tiſiam, Traſimachum, Gorgiam, claros quondam rhetoras irridet; velut ineptos doctores ac magiſtros, qui eius artis (quam profiterentur) exempla ſanè quædam multa, præcepta autem ſolida, & communis doctrinæ nulla traderent: vt ſi quis (ait) artem ſe traditurum profiteretur, qua pedum dolori mederetur: deinde non artem doceret conficiendorũ calceorum, ſed eorum quædam genera ſuppeditaret: is certè aliquid efficeret, ar-

„ tē verò minimè traderet. Hoc Ariſtotelis argumentū nobile quidem, & philoſopho dignum contra Ariſtotelem aſſumo: dico omnia quæ in topicis Ariſtotelis ſunt dialectica de argumentis præcepta non aliud eſſe, quàm decem communium locorum noſtris inſtitutionibus informata decreta: cætera quæ tam multa ſunt, calceos eſſe: aut ne calceos quidem: generales autē argumentorum locos, id eſt calceorum faciendorum artes & formas, calceos efficere voluit Ariſtoteles, & ad certum problematis pedem accommodare: ſed tamē nihil tam potuit turbare, quin paucis calceis exceptis, communis doctrina eſſet omnium quæſtionum. Hoc itaque nunc demonſtrandum & conuincendum ſuſcipio, & ad vndecimum primi topici caput redeo: in quo Ariſtoteles inuentionem dialecticā non diuidit quidem initio, ſed circa finem libri primi parte vna iam expoſita partitionem inuentionis facit, in inſtrumenta & locos. Inſtrumenta facit omnium problematum communia. Ergo ô Ariſtoteles, aliqua eſt inuentio cōmunis omnium problematū, & hanc tradis, & hanc Ariſtotelicè explicas & demonſtras. Quid vis incōſtantiam & fraudem doctrinæ tuæ, contra te hoc ſecundo in topicis tuis teſtimonio tuo concludam? Negas verbo communem problematum inuentionem reperiri poſſe, re confirmas, & te ipſum vanum, & fallacem condemnas. Inſtrumenta igitur quatuor efficit Ariſtoteles, propoſitiones, diſtinctiones ambigui, differentias, ſimilitudines. Hîc non accuſo Ariſtotelem, quòd nihil definiat, non genus inſtrumenti & loci,

Partitio inuentionis Ariſtoteleæ.

non inſtrumentum, non locum: nihil enim definire, nihil ordine partiri, Ariſtotelicum eſt. Praetereo quòd ineptiſſimè inſtrumenta ipſa diuidantur in propoſitiones, diſtinctiones, differentias, ſimilitudines: omnia enim genera argumentorum inſtrumenta ſunt inuentionis dialecticæ, & loci ipſi inſtrumenta ſunt, vt differentiæ, vt ſimilitudines, quas Ariſtoteles ipſe poſtea ipſis in locis numerat, & errorem ſuum demonſtrat. Eſt autem valde abſurdum propoſitionem (quæ ſyllogiſmi pars eſt, quæ eſt argumenti diſpoſitio) inter argumentorum ſpecies numerare. Et Ariſtoteles ipſe errorem ſuum confitetur, cùm ait propoſitione contineri & diſtinctiones, & differentias, & ſimilitudines, id eſt, in vno membro quadripartitæ diuiſionis cætera contineri. At Ariſtoteles ipſe grauius etiam errat, quàm putat: ignorat enim propoſitionem non ſolùm ex reliquis tribus his inſtrumentis, ſed (vt octauo capite docui) ex omnibus argumentorum locis fieri, ſicut ſyllogiſmum, cuius pars eſt: atque idcirco abſurdiſſimũ hoc principium eſt, in inuentionis præceptis propoſitionem collocare: quæ pars eſt diſpoſitionis. Secundum verò diuiſionis huius membrum de diſtinguendis ambiguis aliquid habet, quod admoneri poſſit verbo vno, cùm de vitiis inuentionis & diſpoſitionis præcipitur: quod noſtris inſtitutionibus fecimus: nec inuentionis proprium quicquã hîc eſt, ſed ex omnibus ferè inuentionis argumentis res ambigua diſtingui poteſt: & ambiguũ cùm ſit inuẽtionis vel diſpoſitionis vitiũ, vt Ariſtoteles inter ſophiſmata id numerans indicat, certè

De propoſitione.

Ambigui diſtinctio

inter argumentorum genera numerari non decet. Ac de ambiguo dictum antea compluribus locis. Differentiæ & ſimilitudines duo communia inuentionis dialecticæ membra vera ſunt. Ita de Ariſtotelis quatuor inſtrumentis, duo prima inuentionis dialecticæ nihil omnino ſunt, duo ſunt partes eius inuentionis communis, quam Ariſtoteles negat inueniri poſſe. Et in hac præclara inſtrumentorum tractatione non dico aliquã laudẽ deeſſe, ſed omnia vitia comprehenſa eſſe demõſtro: duo enim membra redundant: multò plura deſiderantur, cùm omnia argumentorum genera, inſtrumenta inuentionis communia ſint. Sed tamen iſta omnia prætereantur Ariſtotelis tam multa vitia. Duodecimo capite docet Ariſtoteles vnde propoſitio ſumatur. Vnde igitur? ex teſtimoniis cõtrariis, ſimilibus, teſtimoniis rurſum, definitionibus, teſtimoniis tertiùm. Prætereo quod octauo capite idem excepta definitione, dictum erat, & quod Ariſtoteles eodem ſuo teſtimonio, ſed repetito, ſeipſum condemnat: prætereo imperfectam enumerationem argumentorum: poteſt enim propoſitio, vt bis antea dixi, ex omnibus argumentorum generibus non tantùm ex his quatuor effici: ſed tamen ô magiſter Ariſtoteles, tuum hoc primum inſtrumentum vnde ſumitur? quænam ſunt iſta propoſitionum membra, teſtimonia, contraria, ſimilia, definitiones? nónne illa communis eſt inuentio, quam negaſti inueniri poſſe? An vlla quæſtio eſt vel accidentis, vel generis, vel proprij, vel definitionis, vel cuiuſcunque rei, ad quam adhiberi non poßint teſtimonia, cõtraria, ſi-

Inuentio propoſitionum vitioſa.

milia, definitiones? quid eſt hîc, quod propriè problema accidentis, generis, definitionis, proprij adiuuet? non omnes quæſtiones informet? quam cauſſam adhuc habes ad quatuor prædicatorum genera dialecticam inuentionem tot modis inuoluendi? An obſcura, an inſuauis videtur ea tibi doctrina, quam doces? quam exerces? At etiam in fine capitis huius celebras eos cõmunes locos & collaudas. Sumendæ ſunt (ais) quàm maximè vniuerſales propoſitiones. Quomodo verò vniuerſales? Annon ex communibus & vniuerſalibus locis? Atque hoc toto capite nihil niſi inuentionis eius (quam negas inueniri poſſe) communes partes attingis. Artificiales ſunt iſtæ calceorum formæ, quas pro calceis ad problematis tui pedem ineptiſsimè aſtringere conaris, cùm ſint infinitorum pedum communes, cùm præcipuè problema tuum nihil adiuuent. Sequitur decimumtertium caput de ſecundo inſtrumẽto, multiplicis diſtinctione. Age verò, vnde diſtinctionem hanc fieri docet Ariſtoteles? ex contrariis, & aduerſis, & contradicentibus, & priuantibus, ex coniugatis, generibus, definitionibus, maioribus, minoribus, ſimilibus, differentiis, ſpecie. Artificiales item ſunt iſtæ calceorum formæ, quanuis ad problematis pedem inſipienter arctare velit Ariſtoteles: communes enim innumerabilium calceorum, id eſt, argumentorum formæ ſunt, nec Ariſtotelis problemati quicquam præcipuè inſeruiunt: & facilè patior taceri; quòd Ariſtoteles crediderit ex his argumentis res ambiguas diſtingui, nõ intellexerit ex cauſis, factis, ſubiectis, repugnantibus,

Ariſtoteles laudat cõmunes locos.

Inuentio diſtinguendi ambigui.

notationibus, teſtimoniis, omnibus denique argumentis diſtingui: tam multa Ariſtotelis peccata, tamque abſurda Ariſtotelei (vt ſpero) per ſe ipſos intelligent, & aliud inſuper vrgeo, & conuincendum mihi propono. Quæ enim Ariſtotelis iſta præcepta ſunt, quæ ambiguarum rerum diſtinctioni ſubiicis? Contraria, coniugata, genera, ſpecies, finitiones, comparata, annon ſunt communis eius inuentionis decreta, quam negaſti inueniri poſſe? Quid eſt omnino cuius contraria, coniugata, genera, ſpecies, finitiones, comparata requiri nō poßint? An hæc obſcura, aut inſuauis doctrina tibi videri debet, quam ſic exoſcularis, ſic in manibus habes, ſic denique probas, vt nobis eam ad ſempiternam nominis tui gloriam relinquas? Decimoquarto capite differentia & ſimilitudo, reliqua duo inſtrumēta expediūtur: Ariſtoteles hic minus eſt Ariſtoteles quàm antea: docet breuiter de iis, & vnum iis locum communem, generis attribuit in quo reperiātur. Multas Ariſtotelis ineptias libenter omitto, quòd exiſtimet ſimilia ex generis loco, non vndique ex vniuerſa rerū inuentione, ſicut cauſſas, facta, & reliqua argumenta ſumi: quòd genus, quòd definitionem, capita quæſtionum faciat, & ea tamen ſubiiciat inſtrumentis: confuſio, caligo, obſcuritas, tenebræ Ariſtotelis laudes propriæ ſunt: neque Ariſtoteli obiicio, quòd differentiam in hoc primo libro aliquando pro forma, & rei cauſſa, per quam res eſt, id quod eſt, accipiat: aliquādo neſcio quo modo ſomnians ſimilitudini opponat, vt dißimilitudinem: ea leuitas & inconſtantia Ariſtotelis pro-

Inuentio differentiæ & ſimilitudinis.

pria eſt. Recenſet aliquot vtilitates tum diſtinctionũ ad perſpicuitatem, ad euitandam de nomine altercationem, denique ad fallendum: vbi Ariſtotelem nihil pudet ſe ſophiſtam profiteri: neque enim dialectici eſt fallere, ſed ſophiſtæ: tum differẽtiarum ad ſyllogiſmos de eodem & diuerſo, ad definiendum: tum ſimilitudinum ad inductionem, ad ſyllogiſmos, ad definiendum. At inductio quæ ex multis ſimilibus ſimile concludit, non eſt inductio ad Ariſtotelis definitionem, quæ eſt capite decimo: quia non eſt ex ſingularibus ad vniuerſale: verùm ſophiſtica inſtruere, falſa præcipere, inter Ariſtotelis laudes numeratur. Propoſitionũ vtilitates nullas recenſet Ariſtoteles. Atque in his duobus inſtrumẽtis differentiæ, & ſimilitudinis ars eſt communis conficiendorum calceorũ, tametſi iis Ariſtoteles tanquam calceis problemata de genere, accidente, proprio, definitione calceare voluit. Verùm per Deum optimũ animaduertite ô Ariſtotelei, qualem Ariſtotelem in tam denſa, támque atra cõfuſione æſtimare debeamus. Negat communem omnium quatuor problematum inuentionem tradi poſſe: at antè tradita eſt in prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, abundantia propoſitionum, inuentione medij, analyticis poſterioribus: & octauo capite huius primi topici, & deinceps inſtrumenta problematum communia proponit. At in his inſtrumentis etiam alia genera inſtrumentorum communia Ariſtoteles inſtruit, & quidẽ ταυτολογία valde Ariſtotelica, toties nempe & hôc ordine confunduntur communia argumen-

Ariſtotelica locorũ ταυτολογία in primo topico

torum decreta, quoties & quo ordine hîc recitabo: teſtimonium, ſimile, contrarium, forma, ſimile, teſtimonium, contrarium, ſimile, teſtimonium, definitio, teſtimonium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contradicens, priuans, coniugatũ, genus, genus, genus, contrarium, definitio, definitio, maiora, minora, ſimilia, genus, forma, ſpecies, genus, genus, genus, genus: quæ tot inſtrumenta cõmunia ſunt omnium quæſtionũ non modò quatuor problematum Ariſtotelicorum. Quãobrem Ariſtoteles inuentionem omnium quæſtionum non ſolùm quatuor problematũ communem adhuc informauit: quam negabat inueniri poſſe, ſed Ariſtotelicè informauit ſine perſpicua finitione, ſine tributione legitima, ſine exemplis Homericis, quibus ipſe præcipit perſpicuè docenti vtẽdum: ſed contrà miſcendo, confundendo, iterando, reiterando: nec tamen hoc eius ſolum peccatũ eſt, quòd ταυτολογίαν *tam nugatoriam, támque Ariſtotelis propriam adhibuit, ſed quòd de cõmunibus inſtrumentis multò plura prætermiſit omnino, quàm in hoc libro cõturbauit: nihil enim eſt primo topico de fine, efficientibus, materia, effectis, ſubiectis, adiunctis, notatione, paribus, diuiſione in membra, in ſubiecta, in adiũcta, de deſcriptione, teſtimoniis diuinis. Atque ita non ſolùm errorem illum ſuum de communi omnium quæſtionum inuentione coarguit, quòd eam tradat inuentionem, quã negauerat inueniri poſſe, ſed maiorem etiam culpam ſuam conuincit, quòd eius partem alteram tot tenebris inuoluit, partem penitus omittit: atque vſu omni con-*

Secunda quæſtio de prætermiſsis neceſſariis.

tempto ſic in ſcholaſticos clamores abiicit, vt totam dialecticam in his topicis perdere velle videatur.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimus.

De ſecundo Topico.

ATque hæc de inſtrumentis Ariſtotelicis: loci deinceps reliquis topicis nõ pari, ſed multò maiore cõfuſione cõturbãtur. Neque enim Ariſtoteles communes argumentorum locos qui ſequũtur, duntaxat ineptè repetendo confudit: ſed his communibus calceorum faciendorũ formis, calceos ineptiſſimos immiſcuit, & pleraque inutilia coria omnibus ſordibus inquinauit: quibus tamen efficere non potuit, vt problematũ proprias inuentiones oſtenderet, quin vnam illam inuentionem noſtram decem generalibus locis diſtinctam, & perſpicuè expoſitam perpetuò conturbaret. Diſtinguam formas cõmunes à calceis, & ab vtriſque inutilia coria, id eſt generalia argumentorum, & dialectica præcepta, & ſpecialia exempla, & quæ nec communia præcepta ſint, nec exẽpla ſingularia. Et docebo, quod Ariſtoteleos admiraturos ſpero, his topicis non vllam doctrinæ formam deſcribi, quã percipiamus quid ſit res, qua de agitur, quæ partes, quæ commoditates: ſed inſi-

pidiſſimam negationum mataotechniam, qua contentioſi ſophiſtæ clament non eſſe hoc accidens, genus, proprium, definitionem: ut hæc topica non dialecticorum locorum, ſed ſophiſticarum inficiationũ inſcribi meritò debeãt. De quatuor autem Ariſtotelis problematis primum eſt accidentis: quod Ariſtoteles geminum facit, ſimplex & comparatum: de ſimplicis accidentis problemate ſecundo topico agitur: quo placet Ariſtoteli à dialectico ſuo quæri, ſítne huius illud accidens, an non? Hæc materia eſt, de qua ſit ſecundo topico Ariſtoteli deliberandum: hoc argumentum technologiæ faciendæ Ariſtoteli propoſitum eſt, ut artes nobis declaret, per quas intelligamus hanc quæſtionem, an hominis accidens album ſit, an nõ? & quæſtiones de accidente hoc problematis modo pronuntiatas: Adeſte igitur ô Ariſtotelei, & Ariſtotelis has artes mecum conſiderate. Pono tres de arte quæſtiones initio contra vos, & Ariſtotelem veſtrum hoc ſecũdo topico: multi non neceſſarij loci confunduntur, & multi neceſſarij prætermittũtur: nec omnino propriis præceptis, accidentis problema inſtituitur, ut melius quid accidens ſit, intelligamus, quàm definitione primi topici fuerat expoſitum. Erigite iam animos, & id quod vobis tam conſtanter obiicio, conſtãter etiam percipite: locos Ariſtotelis & quidem veſtris verbis ita percenſebo, ut nõ ſolùm & formas & calceos & coria ſeparẽ, ſed etiã doceam quibus generalibus formis calcei ſinguli ſint formati. Ariſtotelem igitur ipſum iam audiamus.

Quæſtio prima de confuſis non neceſſariis.

Locus 1 *Unus autem locus eſt inſpicere, ſi quid ſecundum*

aliquem alium modum ineſt, vt accidēs aſsignauit.) Hic primus Ariſtotelis eſt locus ad deſtruendum problema accidentis, & quidem ferè ſolus: ex duobus enim & quadraginta huius topici locis, hic verè ſolus docet quomodo probes illud huius accidēs nō eſſe, quod problema hoc topico inſtruitur: cæteri verò omnes loci nihil omnino docent accidentis proprium. Quare hūc locum diligenter conſiderent Ariſtotelei, propter quē ſolum Ariſtoteles mirus ſit, vt inuentionem (quæ tota communis erat omnium quæſtionū) in his topicis tam miſerè perderet: quia videlicet communis omniū problematum inuentio nō videbatur ei reperiri poſſe: vnus enim locus communis videlicet non erat. Verùm qualis eſt hic locus? quoniam communis forma non eſt, quis eſt calceus? qua forma argumenti generalis informatus? Ariſtoteles primi topici capite quarto duas accidentis definitiones adhibuit: alteram damnauit, qua dicebatur accidens, quod neque definitio, neque genus, neque proprium eſſet: ex hac damnata accidentis definitione Ariſtoteles topicam diſputādi de problemate accidentis doctrinā effecit. Atque ita ex diſſentaneorum forma fit iſte ſolitarius & ſingularis accidentis calceus: ineſt prædicatum vt definitio, vt genus, vt proprium: non igitur ineſt vt accidens. Bone Deus excita Ariſtoteleos, vt hæc attentè & conſideratè perpendant, & intelligant quales deinde loci ab Ariſtotele proponantur, quàm accidentis proprij, vt vel errorem, vel ſtultitiam, vel fraudem magiſtri ſui percipiant: nihil enim eſt proprij præcepti in arti-

bus quatuor problematũ præter hanc mataeotechniam negationum: ſi prædicatur ut genus, ut definitio, ut proprium, non eſt accidens.

Locus 2 *Alius locus eſt inſpicere ea, quibus ineſſe aut omnibus, aut nulli dictum eſt, & conſiderare ſecundum ſpecies, & non in infinitis.) Hic ſecundus locus iam propriè nihil de accidẽtia diſputat, inſítne prædicatũ ut accidens, nécne, ſed communiter de veritate inquirit, an prædicatum verè ſubiecto inſit: quod & exemplis etiam clarius oſtenditur: ut ſi oppoſitorum (inquit Ariſtoteles) eandem diſciplinam quis eſſe dixerit, perſpiciendum ſi eorum quæ ſunt ad aliquid, & contrariorum, & quæ ſecundum priuationem & habitum, & quæ ſecundum contra dictionem dicuntur, eadem ſit diſciplina. Hic nihil præcipuè admonet Ariſtoteles de accidente, ſed communiter de veritate, an ſubiecto prædicatum verè inſit, non an inſit ut accidens, nécne. Diſtinctiones Ariſtoteleorum non defuturas certò ſcio. At Ariſtoteleis (quoniam Ariſtotelis authoritatem pluris, quàm iura & leges rationum & argumentorum omnium faciunt) Ariſtotelem contra ſophiſticas diſtinctiones opponã: quẽ dico his in locis accidentis, primo illo dũtaxat excepto, cùm diſputat ineſſe, aut nõ ineſſe: non id agere propriè, ut doceat ineſſe prædicatum ſubiecto ut accidens, ſed communiter ineſſe, id eſt verè affirmari: Ariſtotelẽ igitur audiamus primo capite ſexti topici ita de definitione philoſophantẽ. Si igitur non verificatur, de quo nomen & oratio, ait, ex his qui dicti ſunt in accidente, locis cõ-*

„ſiderandum: nam illic vtrum verum, vel non verum,
„ omnis conſideratio ſit: quando enim quomodo ineſt
„ accidens, diſputamus: quod verum eſt, dicimus: quan-
„ do autem quod non ineſt, quod non verum. An verò
Ariſtotelei veſter Ariſtoteles nobis ab inferis excitã-
dus eſt, vt voce clariore & manifeſtiore veſtras di-
ſtinctiones irrideat, & errorem ſuum fateatur? Dico
his locis non inſtrui locos, quibus propriè accidentis
problema inſtituatur, vt intelligatur an prædicatum
ſubiecto inſit vt accidens, ſed cõmuniter de omni quæ-
ſtione præcipi, vt intelligatur verum ſit, an non ſit,
quod quæritur. Hoc idem Ariſtoteles mendax qui-
dẽ, ſed immemor, non fatetur ſolùm, verumetiam pro-
fitetur. Quare iam obtineo & conuinco, quod conuin-
cendum mihi propoſueram, Ariſtoteli nullã cauſſam
fuiſſe inuentionem dialecticam ad ſingulares proble-
matum altercationes tam miſerè diſtrahendi, cùm
vna omnium communis inuentio eſſet: quod ille nega-
bat: & quòd ſic diſtractæ inuentiones Ariſtotelis ni-
hil præcipuè quatuor prædicatorum quæſtiones inſtru-
erent, ſed omnes communiter adiuuarent. Sed tamen
perge: ſecundus hic locus, partium generalis forma eſt,
quòd ſpecies, quæ in locis inuentionis generalibus lo-
cum obtinent, ſpectandas eſſe admonet: partim cal-
ceus etiam quidam, cùm iubet inſpicere quibus, aut
omnibus, aut nulli dictum eſt ineſſe. Tertium locum
perſequere.

„ Alius eſt, definitiones facere accidentis, & eius Locus 3
„ cui accidit, aut vtriuſque de vtroque, aut alterius:

„ *deinde conſiderare ſi quid non verum in definitioni-*
„ *bus, perinde ac verum ſumptum ſit.) Hic forma eſt generalis: definitio enim & ſubiectum, quod hîc comprehenditur magis, quàm explicatur; loci communes ſunt: videtur autem locus hic, calceus proprius eſſe accidentis, vt primus. At vides etiam nominatim in ea quæri verum & non verum: quod eſt commune quæſtionum omnium: nihil hîc accidentis eſt peculiare aut proprium: aut ſi ſit, ſecundus ſit negationum locus. Si definitio accidentis ei non conuenit, non eſt accidens.*

Locus 4 *Amplius problema propoſitionem ſibi facientem*
„ *inſtare.) Hic locus neque communis forma calcei eſt, neque calceus, ſed putris ſolea. Inſtantia enim, vt confirmatio, refutatio, atque omnino probatio nullum argumenti certum genus eſt, ſed argumentis omnibus fieri poteſt: quod enim eſt argumenti genus, quo nequeas aduerſario reſiſtere? id enim eſt Ariſtoteleis inſtare.*

Locus 5 *Amplius determinare quæ oportet dicere, vt*
„ *plures, & quæ non.) Hîc Ariſtoteles admonet populum eſſe linguæ magiſtrum: rerum ſcientiam à doctis & peritis artium hominibus petendam eſſe: Calceus eſt, nec tamen proprius ad accidentis pedem: ſed communis omnium quæſtionum, vbi de verbis agitur, argumentum à teſtimonio & authoritate acceptum, qualis populi magna eſt in vſu verborum. Quod præceptum tamen & Ariſtoteles & Ariſtotelei cùm aliis proponunt obſeruandum, minimè obſeruant ipſi:*

qui (cùm dialectica tota popularis & maximè naturalis eſſet, & populari imprimis ac naturali ſermone poſſet exprimi) ſophiſticum, & bene loquentibus inauditum ſermonis genus commenti ſunt, terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, mediorum, prædicatorum, & tam multas nugas, quas iam præteruecti ſumus.

" *Amplius, ſi multipliciter dicatur, propoſitum* Locus 6
" *autem ſit, quoniam ineſt, aut quoniam non ineſt, alterum monſtrare eorum, quæ multipliciter dicuntur,*
" *ſi non vtraque contingat.) De ambiguitate in prædicamentis, in interpretatione, in primo topico dictum iam eſt: neque hîc communis forma calcei, neque calceus, ſed Ariſtotelica ſophiſtica ſordida et putris ſolea eſt. Ariſtoteles in elenchis numerat inter hydræ ſophiſtica capita, cũ auditor ambigua propoſita rei ſententia fallitur. At nunc id faciendum eſſe præcipit, & hac ambiguitatis captione aduerſarium non docẽdum, ſed fallendum eſſe docet: ſic Ariſtotelem nihil pudet ſe ſophiſticæ magiſtrum prædicare: quod idem in fine primi topici prædicauit. Pergit Ariſtoteles in eodem ferè genere, & ait.*

" *Si autem non lateat, quod multipliciter dicitur,* Locus 7
" *diuiſum quotupliciter dicitur, & interimendũ &*
" *conſtruendum.) Hîc neque communis forma, neque calceus, ſed putris, vt antè ſolea.*

" *Rurſus quæcunque non ſecundum æquiuocationem* Locus 8
" *dicuntur multipliciter, ſed alio modo.) Similis ſolea ſuperioribus.*

Locus 9 *Amplius transferre ad euidentius nomẽ.) Hîc forma quadam communis eſt definitionis, ſi tamen Ariſtoteli credimus, qui primi topici capite quarto hanc nominis clarioris explicationem definitioni ſubiicit.*

Locus 10 *Ad oſtendendum autem contraria circa idem in-*
» *eſſe, conſiderandum in genere.) Hic duplex communis locus confuſus eſt: contrariorum enim & generis loci generales ſunt & communes.*

Locus 11 *Rurſum ex ſpecie generi: quacũque enim ſpeciei in-*
» *ſunt, & generi.) Forma communis eſt à ſpecie, quæ iam ſemel hoc topico confuſa eſt.*

Locus 12 *Quoniam autem neceſſarium, de quibus genus prædicatur, & ſpecierum aliquam prædicari: & quæ-*
» *cunque habent genus, vel denominatiuè dicuntur à*
» *genere, & ſpecierũ aliquam habere neceſſe eſt, vel de-*
» *nominatiuè ab aliqua ſpecierum dici.) Generis locus communis eſt, iam antè hoc topico ſemel confuſus.*

Locus 13 *Cùm autem facultas non ſit argumentationis ad*
» *poſitionem intendendum ex definitionibus; aut quæ*
» *ſunt propoſita rei, vel quæ videantur, etſi non ab*
» *vna, etiam à pluribus.) Hæc forma definitionis, communis eſt omnium quæſtionum, & iam antè duobus locis hoc topico confuſa.*

Locus 14 *Conſiderandum autem in propoſito, quonam exi-*
» *ſtente neceſſe eſt poſitum eſſe, aut quid eſt ex neceſ-*
» *ſitate, ſi propoſitum eſt.) Hic Ariſtoteles iubet neceſſaria & antecedentia & conſequẽtia ſpectari. De quo genere confuſionis diximus in abundantia propoſitionum, quòd iis antecedentium & conſequentium no-*

minibus ferè comprehenditur omne genus argumenti, neque tamen diſtinguitur: generales autem res in-te ponere, quarum ſpecies commodius aliis generibus liceat explicare, non eſt perſpicuè docere, ſed turbare & confundere. Quicquid verò antecedentiũ & conſequentiũ nominibus ſignificatur, id cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, cõparatis, nominibus, tributionibus definitionibus, teſtimoniis melius & clarius explicatur: cùm tamẽ horum è ſingulis quadam neceſſariò & antecedant & conſequantur: hic igitur calceus quidem eſt, ſed incertus & confuſus.

" *Amplius ad tempus aſpiciendum, ſi alicubi diſſo-* Locus 15
" *nat.) Hic calceus eſt forma adiunctorum formatus.*

" *Amplius ſophiſticus modus ducere ad id, ad quod* Locus 16
" *plurimam habemus argumẽtandi facultatem.) Quid verò iam dubitamus, Ariſtoteléſne ſe velit dialecticum, an ſophiſtam nominari? Nihil habes quod de propoſito dicas? ſi modeſtus eſſe vis, tace: vel diſce prius quàm ineptè & ſophiſticè garrias: imò verò (inquit Ariſtoteles) turba aliquid, & à propoſito digredere potius, quàm taceas. Siccine Ariſtoteles diſcipulos tuos inſtituis? vt quod neſciant, malint altercãdo conturbare, quàm tacendo & audiendo diſcere? Hic (credo) κύριαι δόξαι ſunt Ariſtotelis, quas Ariſtotelei ſequuti tam pertinaces, tam in ſumma ignoratione obſtinati, vt quiduis turbare & comminiſci malint, quàm verũ cõfiteri. Antea docuit Ariſtoteles quomodo poſſemus aduerſarium fallere ambigui captione, nunc ſine vlla diſsimulatione ſophiſticam inſtruit: ſed ab hac putri*

Locus 9 *Amplius transferre ad euidentius nomẽ.) Hic forma quadam communis eſt definitionis, ſi tamen Ariſtoteli credimus, qui primi topici capite quarto hanc nominis clarioris explicationem definitioni ſubiicit.*

Locus 10 *Ad oſtendendum autem contraria circa idem in-*
» *eſſe, conſiderandum in genere.) Hic duplex communis locus confuſus eſt: contrariorum enim & generis loci generales ſunt & communes.*

Locus 11 *Rurſum ex ſpecie generi: quæcũque enim ſpeciei in-*
» *ſunt, & generi.) Forma communis eſt à ſpecie, quæ iam ſemel hoc topico confuſa eſt.*

Locus 12 *Quoniam autem neceſſarium, de quibus genus prædicatur, & ſpecierum aliquam prædicari: & quæcunque habent genus, vel denominatiuè dicuntur à genere, & ſpecierũ aliquam habere neceſſe eſt, vel denominatiuè ab aliqua ſpecierum dici.) Generis locus communis eſt, iam antè hoc topico ſemel confuſus.*

Locus 13 *Cùm autem facultas non ſit argumentationis ad poſitionem intendendum ex definitionibus, aut quæ ſunt propoſitæ rei, vel quæ videantur, etſi non ab vna, etiam à pluribus.) Hæc forma definitionis, communis eſt omnium quæſtionum, & iam antè duobus locis hoc topico confuſa.*

Locus 14 *Conſiderandum autem in propoſito, quonam exiſtente neceſſe eſt poſitum eſſe, aut quid eſt ex neceſſitate, ſi propoſitum eſt.) Hic Ariſtoteles iubet neceſſaria & antecedentia & conſequẽtia ſpectari. De quo genere confuſionis diximus in abundantia propoſitionum, quòd iis antecedentium & conſequentium no-*

minibus ferè comprehenditur omne genus argumenti, neque tamen distinguitur: generales autem res inte ponere, quarum ſpecies commodius aliis generibus liceat explicare, non eſt perſpicuè docere, ſed turbare & confundere. Quicquid verò antecedentiũ & conſequentiũ nominibus ſignificatur, id cauſſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, cõparatis, nominibus, tributionibus definitionibus, teſtimoniis melius & clarius explicatur: cùm tamẽ horum è ſingulis quædam neceſſariò & antecedant & conſequantur: hic igitur calceus quidem eſt, ſed incertus & confuſus.

» *Amplius ad tempus aſpiciendum, ſi alicubi diſſo-* Locus 15
» *nat.) Hic calceus eſt forma adiunctorum formatus.*

» *Amplius ſophiſticus modus ducere ad id, ad quod* Locus 16
» *plurimam habemus argumẽtandi facultatem.) Quid verò iam dubitamus, Ariſtotelésne ſe velit dialecticum, an ſophiſtam nominari? Nihil habes quod de propoſito dicas? ſi modeſtus eſſe vis, tace: vel diſce prius quàm ineptè & ſophiſticè garrias: imò verò (inquit Ariſtoteles) turba aliquid, & à propoſito digredere potius, quàm taceas. Síccine Ariſtoteles diſcipulos tuos inſtituis? vt quod neſciant, malint altercãdo conturbare, quàm tacendo & audiendo diſcere? Hic (credo) κύριαι δόξαι ſunt Ariſtotelis, quas Ariſtotelei ſequuti tam pertinaces, tam in ſumma ignoratione obſtinati, vt quiduis turbare & comminiſci malint, quàm verũ cõfiteri. Antea docuit Ariſtoteles quomodo poſſemus aduerſarium fallere ambigui captione, nunc ſine vlla diſsimulatione ſophiſticam inſtruit: ſed ab hac putri*

Locus 9 *Amplius transferre ad euidentius nomẽ.) Hic forma quadam communis eſt definitionis, ſi tamen Ariſtoteli credimus, qui primi topici capite quarto hanc nominis clarioris explicationem definitioni ſubiicit.*

Locus 10 *Ad oſtendendum autem contraria circa idem in-*
„ *eſſe, conſiderandum in genere.) Hic duplex communis locus confuſus eſt: contrariorum enim & generis loci generales ſunt & communes.*

Locus 11 *Rurſum ex ſpecie generi: quacũque enim ſpeciei in-*
„ *ſunt, & generi.) Forma communis eſt à ſpecie, qua iam ſemel hoc topico confuſa eſt.*

Locus 12 *Quoniam autem neceſſarium, de quibus genus præ-*
„ *dicatur, & ſpecierum aliquam prædicari: & quæ-*
„ *cunque habent genus, vel denominatiuè dicuntur à*
„ *genere, & ſpecierũ aliquam habere neceſſe eſt, vel de-*
„ *nominatiuè ab aliqua ſpecierum dici.) Generis locus communis eſt, iam antè hoc topico ſemel confuſus.*

Locus 13 *Cùm autem facultas non ſit argumentationis ad*
„ *poſitionem intendendum ex definitionibus, aut quæ*
„ *ſunt propoſitæ rei, vel quæ videantur, etſi non ab*
„ *vna, etiam à pluribus.) Hæc forma definitionis, communis eſt omnium quæſtionum, & iam antè duobus locis hoc topico confuſa.*

Locus 14 *Conſiderandum autem in propoſito, quonam exi-*
„ *ſtente neceſſe eſt poſitum eſſe, aut quid eſt ex neceſ-*
„ *ſitate, ſi propoſitum eſt.) Hic Ariſtoteles iubet neceſſaria & antecedentia & conſequẽtia ſpectari. De quo genere confuſionis diximus in abundantia propoſitionum, quòd iis antecedentium & conſequentium no-*

minibus ferè comprehenditur omne genus argumenti, neque tamen diſtinguitur: generales autem res in‑te ponere, quarum ſpecies commodius aliis generibus liceat explicare, non eſt perſpicuè docere, ſed turbare & confundere. Quicquid verò antecedentiũ & conſequentiũ nominibus ſignificatur, id cauſſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, cõparatis, nominibus, tributionibus definitionibus, teſtimoniis melius & clarius explicatur: cùm tamẽ horum è ſingulis quædam neceſſariò & antecedant & conſequantur: hic igitur calceus quidem eſt, ſed incertus & confuſus.

" *Amplius ad tempus aſpiciendum, ſi alicubi diſſo‑* Locus 15
" *nat.) Hic calceus eſt forma adiunctorum formatus.*

" *Amplius ſophiſticus modus ducere ad id, ad quod* Locus 16
" *plurimam habemus argumẽtandi facultatem.) Quid verò iam dubitamus, Ariſtoteléſne ſe velit dialecticum, an ſophiſtam nominari? Nihil habes quod de propoſito dicas? ſi modeſtus eſſe vis, tace: vel diſce prius quàm ineptè & ſophiſticè garrias: imò verò (inquit Ariſtoteles) turba aliquid, & à propoſito digredere potius, quàm taceas. Síccine Ariſtoteles diſcipulos tuos inſtituis? vt quod neſciant, malint altercãdo conturbare, quàm tacendo & audiendo diſcere? Hic (credo) κύριαι δόξαι ſunt Ariſtotelis, quas Ariſtotelei ſequuti tam pertinaces, tam in ſumma ignoratione obſtinati, vt quiduis turbare & comminiſci malint, quàm verũ cõfiteri. Antea docuit Ariſtoteles quomódo poſſemus aduerſarium fallere ambigui captione, nunc ſine vlla diſsimulatione ſophiſticam inſtruit: ſed ab hac putri*

ſolea & abiecta pergamus.

Locus 17 *Amplius omnis qui dixit vnum quoduis, quodam-*
„ *modo multa dixit, eo quòd plura vnicuique ex ne-*
„ *ceßitate conſequentia ſunt.)* *Relabitur Ariſtoteles ad conſequentium ſoleam, quam decimoquarto loco conturbarat.*

Locus 18 *Quibuſcunque autem neceſſarium eſt alterum tan*
„ *tum ineſſe, vel non ineſſe, vt homini ægritudinem vel*
„ *ſanitatem, ſi ad alterum facilè poterimus diſputare,*
„ *quod ineſt, vel non ineſt, & ad reliquum facilè pote-*
„ *rimus.) Hîc communis forma non eſt, ſed calceus forma diſſentaneorum formatus.*

Locus 19 *Amplius argumentari transferendo nomen in ora-*
„ *tionem, cùm longè magis conſentaneum viſum fuerit*
„ *tranſſumere, quàm vt ponitur nomen: vt magnani-*
„ *mum, non fortem, vt ponitur, ſed magnum animum*
„ *habentem.) Hîc communis eſt forma: notatio enim eſt generale argumenti nomen in dialectica inuentione.*

Locus 20 *Quoniam autem rerum alia quidem ſunt ex neceßi*
„ *tate, alia autem vt in pluribus, alia verò vtrumlibet,*
„ *ſi quod ex neceßitate eſt, vt in pluribus ponatur, aut*
„ *quod, vt in pluribus, ex neceßitate, aut ipſum, aut*
„ *contrariũ ei quod eſt vt in pluribus, ſemper dat locum*
„ *argumentationis.) Hîc forma communis argumenti nulla eſt, ſed calceus forma diſſentaneorum formatus.*

Locus 21 *Amplius etſi idem ſibi accidens nomen, vt alterũ,*
„ *eò quòd alterum ſit poſuerit, quemadmodum Prodicus*
„ *diuidebat voluptates in gaudium, iucunditatem &*
„ *lætitiam.) Hîc argumenti communis forma nulla eſt,*

ſed calceus, qui videtur ad accidentis problema propriè accommodari, ſed exemplum repugnat. Neque enim Prodicus hoc exemplo ait voluptati accidere gaudium, ſed eſſe voluptatem gaudium: detur tamen hic locus Ariſtotelico accidentis problemati, ſi placet, ne ad vnum problema vnus tantùm locus adhibitus videatur, & ad mataeotechniam negationum tertius hic locus aggregetur.

» *Quoniã autẽ contraria conuertuntur quidem ſex* Locus 22
» *modis, contrarietatẽ autem faciunt quadrupliciter cõ-*
» *plexa, oportet accipere contraria quocunque modo vti-*
» *le fuerit, & deſtruenti & conſtruenti.) Hîc forma communis eſt contrariorum antea hoc topico confuſa.*

» *Amplius ſi eſt aliquid contrarium accidenti, ſi in-* Locus 23
» *eſt ei cui dictum eſt accidens ineſſe.) Tertio iam confunditur forma contrariorum.*

» *Aut ſi quid tale dictum eſt de aliquo, quod cùm* Locus 24
» *ſit, neceſſe eſt contraria ineſſe.) Hîc forma communis non eſt, ſed calceus forma adiunctorum formatus, vbi etiam contrariorum forma quarto loco conturbatur.*

» *Rurſus ſi poſitum eſt accidens, cui eſt aliquid con-* Locus 25
» *trarium, conſiderandum ſi & contrarij ſuſceptiuum,*
» *quod & accidentis eſt.) Hoc loco duplex forma communis conturbatur & ſubiecti & contrarij.*

» *Quoniam autem oppoſitiones ſunt quatuor, conſi-* Locus 26
» *derandum ex cõtradictionibus è conuerſo ex cõſequen-*
» *tia interimenti & conſtruenti.) Hîc generalis argumenti forma confunditur, cõtradictio ſiquidem ſpecies eſt contrariorum. Verũtamen eſt operæpretiũ Ari,*

ſtotelis dialecticam ſapientiam iſto loco cõſiderare. Receperat ſe traditurum artes proprias accidentis, quia communem omnium problematum doctrinam nõ putabat inueniri poſſe. Non ſolũ reprehendo, quòd illam confundat doctrinam communem omnium problematum, ſed maximam dialecticæ ignorationem in hoc homine demonſtro, qui ſyllogiſmorum modos pro argumentis in inuentione ponit: quod analytico primo itidem fecit in inuentione medij. Nam hic locus, quam Ariſtoteles vocat cõtradictionis è conuerſo conſequentiam ſecundus modus eſt ſyllogiſmi connexi, in quo tollitur conſequens, vt tollatur antecedens, hoc nempe modo, quo Ariſtoteles ipſe concludit:

Si homo eſt, animal eſt.
Non eſt autem animal.
Non eſt igitur homo.

An hoc eſt inuentionis locos præſcribere, ſyllogiſmi modos pro argumentis proponere? At dicet Ariſtoteleus aliquis (qui æquior eſſe volet, & Ariſtotelem excuſare cupiet) tempore Ariſtotelis nondum erãt inuenti ſyllogiſmi connexi: diſcipuli eius inuenerunt, Theophraſtus & Eudemus. Verùm hoc eſt quod dico, Ariſtotelem ignoraſſe ſyllogiſmi formam, quam pro argumento turbat in inuentione, nec ab Ariſtotele totam dialecticam, aut inuentam, aut perfectam eſſe, quod Ariſtotelei tamen arctè tenent, accuratéque defendunt. Ac in hoc Ariſtoteles fallitur dupliciter, & quod pro argumento, ſyllogiſmi formam proponit, & quod argumentum putat eſſe à contradicentibus

in illo diſputandi genere. Separa enim quæſtionem eius argumentationis, quæ concluditur: tum intelliges non eſſe contradictionis argumentum: quæſtio eſt an homo ſit: pro argumento ſumo animal, genus hominis, non contradicens, & ita concludo:

Si homo eſt, animal eſt.
Non eſt autem animal.
Non igitur homo.

Hoc genere concluſionis & cauſſæ, & facta, & cætera argumenta, non contradictio ſolùm concludi poteſt.

Si homo eſt, eſt animal rationale.
Non eſt animal rationale.
Non eſt igitur homo.
Si ignis eſt, calefacit.
Non calefacit.
Non eſt igitur ignis.

Nec ſequitur ſi idem negetur, & affirmetur, contradictióque ſit in quadã argumentationis parte, idcirco argumentum contradictionis eſſe: argumentorũ enim ratio ex quæſtione metienda eſt, ad quam totam comparata teſtimonia dicuntur: ad alteram eius partem, cauſſæ, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, nomina, partes, definitiones.

» *In contrariis autem conſiderandum ſi contrarium,* Locus 27
» *contrarium ſequatur, an contra ſeipſa conſequentia,*
» *an è conuerſo, & interimenti & conſtruenti.) Hîc cõmunis forma cõtrarij conturbatur iam ſæpius & pari cum proxima ferè confuſione.*

» *Similiter autem cõtrariis & in priuationibus &* Locus 28

„ *habitibus reſpiciẽdum.) Priuantium talis eſt hîc ferè confuſio, qualis contradicentium paulò antè forma eſt communis: priuantia enim ſunt in diſſentaneorum principe inuentionis loco, qualis ferè relatorum confuſio ſequitur.*

Locus 29 *Similiter autem habitui, & priuationi, & in „ his quæ ſunt ad aliquid vtendũ.) Forma argumenti communis eſt: relata enim è diſſentaneorum genere ſunt ſub oppoſitis.*

Locus 30 *Rurſus in coniugatis & caſibus & interimẽti & „ conſtruenti.) Hîc communis eſt argumenti forma: coniugata enim in locis inuentionis generalem partem obtinent. Diſtinguit autem Ariſtoteles coniugata à caſibus, vt coniugata nomina ſint, vt iuſtus, iuſtitia: fortitudo, fortis: hinc deriuata aduerbia ſint caſus, veluti iuſtè, fortiter. Quod diſcrimen ridiculum eſt, & ab Ariſtotele hoc ipſo loco deriſum.*

Locus 31 *Amplius in generationibus & corruptionibus, & „ effectiuis, corruptiuis, & interimẽti & conſtruenti.) Cauſſarum efficientium forma communis cum aliquo diſſentaneorum calceo hîc miſcetur: res enim corrumpitur à contrario.*

Locus 32 *Rurſus in ſimilibus, ſi ſimiliter ſe habent.) Similium communis forma hîc eſt, ſicut loco proximo.*

Locus 33 *Conſiderandum autem & in vno, & in pluribus „ ſi ſimiliter ſe habet.*

Locus 34 *Rurſus ex magis & minus.) Hîc forma communis eſt comparationis in quantitate.*

» *Amplius vno de duobus dicto, ſi cui magis vi-* Locus 35
» *detur ineſſe, non ineſt, nec cui minus: & ſi cui minus*
» *videtur ineſſe, ineſt, & cui magis.)* *Calceus eſt ex*
imparium loco, quales ſunt duo proximi.

» *Rurſum duobus de vno dictis ſi quod magis vide* Locus 36
» *tur alij ineſſe, nō ineſt, neque quod minus: aut ſi quod*
» *minus videtur ineſſe, ineſt, & quod magis.)* *Calceus*
eſt ſimilis ſuperiori proximo, vt dixi.

» *Amplius duobus de duobus dictis ſi quod alteri* Locus 37
» *magis videtur ineſſe, non ineſt, nec reliquum reliquo:*
» *aut ſi quod minus videtur alteri ineſſe, ineſt, & reli-*
» *quum reliquo.*

» *Amplius ex eo quod ſimiliter ineſt, vel videtur* Locus 38
» *ineſſe, tripliciter, quemadmodum in eo quod magis, vt*
» *in poſterioribus tribus dictis locis dicebatur.)* *Cal-*
ceos Ariſtoteles conficit ex ſimilium loco.

» *Amplius autem ex appoſitione.)* *Calceus eſt ma* Locus 39
gnificus, & Ariſtotelis ingenio artificióque coriario
digniſſimus, forma adiunctorum formatus.

» *Amplius autem ſi id ad quod eſt appoſitum, ali-* Locus 40
» *quid facit magis tale, quale erat, & ipſum erit eiuſ-*
» *modi.)* *Calceus excellentia par ſuperiori effectorum*
forma formatus.

» *Rurſum ſi quid magis, & minus dicitur & ſim-* Locus 41
» *pliciter ineſt.)* *Calceus eſt forma comparatorum in*
qualitate formatus.

» *Eodem autem modo conſiderandum, & in his* Locus 42
» *quæ ſecundū quid, & quando, & vbi.)* *Forma qua-*
dam adiunctorum hîc comprehenſa eſt, quãuis parum

diligenter expoſita & diſtincta. Atque hi ſunt Ariſtotelis duo & quadraginta loci ad problema ſimplicis accidentis: in quibus ſingulis intellectum eſt, quàm multi eſſent ad huius problematis inſtitutum non neceſſarij, quàm ineptis & ſophiſticis coriis calcei Ariſtotelico artificio conſuti: quàm verò multi neceſſarij omiſſi ſunt dialecticæ inuentionis communes loci, hinc intelligi poteſt: nihil enim de fine, forma, materia, effectis, repugnantibus, tributione in membra, ſubiecta, adiuncta, de teſtimoniis & humanis, & diuinis: qui tamē tot loci ad accidentis ſimplicis problema non minus ſunt vtiles, quàm reliqui loci communes iſto topico confuſi: & quidem quàm confuſi ex numero & ordine de ſingulis capitibus Ariſtotelei recognoſcite: ταυτολογίαν Ariſtotelis & confuſionem in memoriam his verſiculis paucis reuocate: loci inuentionis toties, & hoc ordine ab Ariſtotele ponuntur, quoties & quo ordine hîc recitabo. Itaque hi ſunt, ſpecies, definitio, ſubiectum, definitio, contraria, genus, ſpecies, genus, definitio, notatio, contraria, contraria, contraria, contraria, contradicentia, contraria, priuantia, relata, coniugata, contraria, efficientia, ſimilia, ſimilia, maiora, minora, maiora, minora, maiora, minora, maiora, minora, ſimilia, maiora, minora, adiuncta. An non igitur iſti communes loci? an vlla quæſtio eſt ad quam nequeant accommodari? an denique, ſi verè eſſent expoſiti, non Ariſtotelicè confuſi, non melius & clarius accidens explicarent, ſi opus eſſet id ſciri, quàm Ariſtoteles exponit, vt ex cauſſis accidentis natura

Quæſtio ſecunda de prætermiſſis neceſſariis.

Ariſtotelica locorū ταυτολογία in ſecūdo topico.

Confectariū de locis problematum cōmunibus.

cerneretur, tum ex adiunctis varia res ei coniuncta, ex diſſentaneis oppoſita, ex comparatione maiores, minores, pares, ſimiles, diſsimiles; atque ita quicquid de accidente dici poſſet, appareret? Et quidem hîc ô Ariſtoteles te tuo teſtimonio premo & urgeo: negas inueniri poſſe, quod inuentum manu tenes, quod perturbas, quod ineptiſsimis nugis confundis. Etenim tu qui ſophiſtas veteres irrides, & inertes calceolariolos appellas, quia pro communibus & generalibus doctrinæ præceptis inepta quædam exempla & argumenta proponerent, qualem tuam ſutrinam vis æſtimemus, qui non ſolùm calceos nullos bonos facis, ſed utiles formas faciendorum calceorum & inſtrumẽta bona corrumpis? Erant loci illi communes omnium quæſtionum explicandarum, id eſt formæ faciendorum infinitorum calceorum: tu ad vnum duntaxat accidentis pedem calceandum aſtringere voluiſti, & quidem quàm ineptè! quàm fallaciter! quàm Ariſtotelicè! Dicit Ariſtoteles communem omnium problematum inuentionem tradi non poſſe, fallit & imponit, & fallaciam ac impoſturam ſuam teſtimonio ſuo conuincit: pollicetur artem propriam ſimplicis accidentis, & locos duos ac quadraginta deſcribit tanquam problematis huius proprios: fallit rurſum & imponit, quia de toto illo trium & quadraginta locorum numero tres ſummùm tantùm ſunt accidentis ſimplicis proprij, qui tamen non docent quid ſit accidens, ſed vana negationũ & inficiationum mataeotechnia diſputant quid non ſit. Ita tanta confuſionis cauſſa ab Ariſtotele quinto

capite primi topici poſita nulla eſt: nec tamen id Ariſtoteles præſtitit, quod per falſam cauſſam ſe præſtaturum receperat. Neque verò dicat Ariſtoteles communem inuentionis dialecticæ lucem ſibi obſcuram & inſuauem videri, niſi Ariſtotelicè loqui ſe dixerit, vt rem clariſſimam & gratiſſimam dicat obſcuram ſibi & ingratam videri.

ANIMADVERSIONVM
Ariſtotelicarum Liber vndecimus.
De tertio Topico.

DE ſecundi Topici inuentione ad ſimplicis accidentis problema compoſita dictũ eſt: ad tertium topicum veniamus. Hic Ariſtoteles problema comparati accidentis inſtruit. Primi enim libri capite quarto (nam hoc tertio libro nihil de hoc dicit) id ita viſus eſt dicere, cùm dixit,
" *Annectantur autem accidenti, &*
" *quæ ad inuicem ſunt comparationes quolibet modo ab*
" *accidente dicta, vt vtrum honeſtum, an quod cõfert*
" *expetibilius: & vtrum quæ eſt ſecundum virtutem,*
" *an quæ ſecundum voluptatẽ ſuauior vita; & ſi quid*
" *aliud ſimiliter his eſt dictum: in omnibus enim tali-*
" *bus vtri magis prædicatum accidit, quæſtio fit. Ari-*

ſtoteles hîc ait omnes comparationes accidẽtis, problemati accidẽtis ſubiici. Verùm quãobrẽ ad iſtã accidentis cõparati quæſtionem ſeparati loci traduntur? An non qui iam traditi ſunt, ſatis eſſe poterant? per eos enim omnis eſt veri & falſi conſideratio, vt Ariſtoteles ipſe ait. Quid igitur? an non poteſt (hoc enim iam expecto) vna vtriuſque accidentis, & ſimplicis, & comparati eſſe inuentio? At nos omnium quæſtionum communem inuentam eſſe docuimus: at Ariſtoteles ſe tradidiſſe penè eſt gloriatus. Omnia igitur topica reliqua vana & inutilia ſunt: ſed tamen ea cõſideremus. Ariſtoteles artes ſe nobis traditurum ait, per quas de omni comparationis quæſtione diſſeramus: quo modo? tradet hoc tertio topico locos tres & octoginta, per quos diſputetur vna quæſtio moralis de duobus vtrum melius, aut quid de pluribus optimum: nec quicquam præterea. Ariſtotelis nouus ſemper aliquis exiſtit error. Secundo topico pollicebatur ſe traditurum artes proprias ad problema accidentis: dedit communes omnium problematum omniúmque quæſtionum. Tertio pollicetur ſe traditurum artes de comparati accidentis quæſtione: at duntaxat vnam moralem, neque enim omnẽ moralem, quæſtionem inſtruit: vtrum melius, quid optimum: de cæteris & moralibus & phyſicis & dialecticis, & mathematicis, & innumerabilium rerum comparati accidentis quæſtionibus obmuteſcit: vtrũ fortius, iuſtius, ſapientius, quid fortiſsimum, iuſtiſsimum, ſapientiſsimum: vtrum calidius, humidius, frigidius, ſiccius, quid

calidiſſimum, frigidiſſimũ, humidiſſimum, ſicciſſimũ, vtrũ acutius, certius diſputatũ: quid acutiſſimè, certiſſimè diſputatum. Denique de tam multis cõparati accidentis quæſtionibus quæ (excepta Ariſtotelis vna quæſtione morali) in omnibus artibus ac diſciplinis, in omnibus etiam rebus, quæ nulla diſciplina comprehẽduntur, fieri mouerique poſſunt, Ariſtoteles obmuteſcit. Ariſtoteles igitur hic etiam fœdè turpitérque labitur, qui vna expetendi & fugiendi comparatione credit omnes cõparati accidentis quæſtiones contineri. Sed tamen huius tertij topici doctrinam breuiter perſtringamus. Loci ſunt tres & octoginta pueriliter ad illam quæſtionem expetendi & fugiendi accommodati, quorum plerique ſunt communes loci hîc confuſi, & ad problematis pedem Ariſtotelico artificio arctati. Non exponam ſingulatim vt antea, qui non neceſſarij loci cõturbentur, cùm totus liber ad nullum dialecticæ inuentionis vſum neceſſarius ſit. Doceamus potius in his tenebris qui prætermittantur neceſſarij: hoc verò eadem opera faciemus, ſi recenſeamus qui cõfundantur. Ergo, vt antea, & quoties, & quo ordine confundantur è capitibus (ne moleſtus ſim, ſi longiore oratione rem tam putidam perſequar) liceat id intelligere. Sunt autem capita locorum, efficiens per ſe, contrarium, ſubiectum, ſubiectum, ſubiectum, finis, finis, finis, finis, finis, efficiens, contrarium, ſimile, ſimile, ſimile, adiuncta, coniugata, effecta, ſimile, maiora, minora, contrarium, contrarium, coniugatum, efficiens, maiora, minora, ſimilia, genus, ſpecies.

Ariſtotelica locorũ ταυτολογία in topico tertio.

Atque hi loci qui ſunt ex cauſsis, factis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis, nominibus, tributione, non explicantur hoc libro, ſed confunduntur, vt in ſuperioribus libris: & ita confunduntur, vt plerūque & ex ipſis falſi calcei ab Ariſtotele fiant, quēadmodum fere omnes ex eis formati. Quod ſanè interpretes negare quidem non poſſunt, ſed tamen quia Ariſtoteles author eſt, arbitrantur (opinor) etiam quod manifeſtè falſum ſit, probabile tamen videri oportere, quia Ariſtoteles probabile dicat, quod ſapientibus videatur, ſapientem verò Ariſtotelem, imò verò ſapientiam ipſam Ariſtoteleis videri. Quare & eius mendacia eſſe quoque probabilia, & veriſimilia argumenta; ídque ad topicam Ariſtotelis doctrinā ſatis eſſe. At ô Ariſtotelei, meminiſtis, opinor, quoties iam quoties ad Ariſtotelis doctrinam vos reuoco: ἀπόδειξιν in memoriam reuocate: nulla eſt ſcientia, niſi ex veris, propriis, neceſſariis, primis cauſsis: nobis eſt de arte, de doctrina, de ſcientia vobiſcum contentio: præcepta veſtra non ſolùm nugatoria, vana, manca, inutilia, ſed falſa etiam ſunt: confitemini, & me, credo, diſtinctione iſta ſophiſtica, imò Ariſtotelica eludetis? Sed iſtas Ariſtotelis laudes omittamus: multi non neceſſarij loci confunduntur, vt calcei ſunt huius topici à diuturno, à meliore, ab arte, à pluribus, à voluptate, ab appoſitione, à ſuppoſitione, & ſimiles: ad quæſtionem enim comparationis & moralis, & phyſica, & rerum denique omnium cōmunes loci ſatis ſuperáque ſunt. Multi de neceſſariis locis in hac etiam con-

Quæſtio de non neceſſariis confuſis.

Quæſtio ſecunda de prętermiſsis neceſſariis.

fuſione prætermittuntur: nihil enim de forma, materia, priuantibus, relatis, contradicentibus, repugnantibus, paribus, diſsimilibus, omnium tributionũ (genere & ſpecie exceptis) modis, definitione, teſtimoniis: qui tamẽ loci ad cõparati accidẽtis diſputationẽ tam attinent, quàm reliqui. Vrgeamus *vero quod in hoc iudicio tertium de præceptis artis perſequimur: Ariſtoteles exiſtimauit ſibi tot tenebris inuentionem dialecticam conturbandam eſſe, quia communis omnium quæſtionum doctrina reperiri non poſſet. At eam vt Porphyrius in prædicabilibus, ſic ipſe in prædicamentis, interpretatione, abundantia propoſitionum, inuẽtione medij, analyticis poſterioribus, primo topico, ſecundo topico, tertio denique hoc topico conturbauit: nec vllum omnino proprium præceptum deſcripſit, vt receperat, per quod comparati accidẽtis omnis quæſtio tractaretur: quinetiam illam generalem & communem doctrinam laudat, quam negauerat inueniri poſſe. Attendite iam Ariſtotelis vocem ô Ariſtotelei in Ariſtotelis erroribus retinendis nimium attenti, qua communes loci (quos negat Ariſtoteles veſter inueniri poſſe) iam inuenti laudantur.* Sumendum (ait) *quàm maximè vniuerſales locos, de eo quod eſt magis & minus: nam ſic ſumpti ad plura vtiles erunt. Quid poteſt iſta laude clarius eſſe & illuſtrius? Quid autẽ poteſt ad Ariſtotelis tenebras damnandum Ariſtotelis hoc teſtimonio eſſe valentius? At laudem iſtam geminat Ariſtoteles, & inconſtantiam ſuam noua teſtificatione condemnat:* maximè (ait) opportuni &

Conſectariũ de locis problematum cõmunibus.

" communes loci, qui ſunt ex oppoſitis & coniugatis &
" caſibus. Ergo hîc poſterior Ariſtoteles ſapientior eſt illo priore Ariſtotele. Prior enim ille Ariſtoteles negauit locos omnium quæſtionum communes inueniri poſſe, & ſi inuenirentur, inſuaues fore. At hic poſterior Ariſtoteles cõmunes locos tradit, licet cõfuſe, tamẽ tradit. Ergo poſſũt inueniri, quia inuẽti ſunt. Idẽ poſterior Ariſtoteles eoſdẽ locos magnificè cõmẽdat, & ſumma laude celebrat. Non ſunt igitur Ariſtoteli inſuaues, aut iniucũdi, quia tantopere ab Ariſtotele celebrati. Concludamus igitur totam hanc de problemate accidentis quæſtionem. Ariſtoteles propriam accidentis diſputationem dialectico ſuo propoſuit, verùm Ariſtotelicè: quia quæſtio omnis in vniuerſum non hæc aut illa dialectico propoſita eſt, & de accidẽte in dialectica præcipi nihil neceſſe eſt. Ariſtoteles credidit nullam inuentionem omnium problematum communẽ inueniri poſſe: atque idcirco ſingulorum problematũ inuentiones ſibi neceſſariò tradendas putauit: verùm Ariſtotelicè: nam communis illa inuentio ante natũ Ariſtotelem inuenta erat, & ab Ariſtotele ipſo tot iam libris quãuis confuſa, adhibita tamẽ, & laudata, & probata, & celebrata. Ariſtoteles proprias artes ſe traditurum recepit, quibus quæſtionem accidentis, & ſimplicis & comparati diſputare propriè, & explicare poſſemus, an eſſet huius illud accidens, an non: an eſſet huius illud de duobus magis accidens, quàm alterum: an de pluribus maximè: centum & triginta locos accumulauit: quorum vnus, tres ſummùm ma-

gnificam illam negationum, & Ariſtotelis ingenio digniſsimam mataotechniam declarant.

Si prædicatur vt genus, non eſt accidens.

Si definitio accidẽtis ei non cõuenit, nõ eſt accidẽs.

Si eſt idem ſibi, non eſt accidens.

Loci problematis (quod Ariſtoteles ſibi propoſuerat) proprij nulli præterea ſunt. Cogitate Ariſtotelei, an aliqua ſit negationum, & inficiationum doctrina, id eſt, quæ nihil ſcire vos doceat. Tales verò reliquorum topicorum mataotechniæ ſunt ex negatis ſophiſmatis, nõ ex præceptis rem certam & ſolidã inſtituentibus.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber duodecimus,

De quarto Topico.

Quæſtio prima de non neceſſariis confuſis.

S*Equitur ad problema generis inſignis negationũ, & inficiationũ mataotechnia, & quidem ex locis ſeptem & octoginta, quorum duo tantùm docent quid ſit genus, non noua tamẽ aliqua doctrina, ſed repetita generis de primo topico definitione: hi duo loci numero nonageſimo & nonageſimo primo diſtinguũtur: in iis* ταυτολογία *eſt: in cæteris ſi quid generis proprium continent, negationes ſunt, exceptis paucis quibuſdam locis communibus: quorum quidam non propriè de gene-*

re, ſed vt in accidente, cõmuniter de vero & non vero loquũtur. Reliqui loci inficiationes habent, per quas, quid non ſit genus, id eſt de genere beneficio tantô Ariſtotelis nihil intelligamus. Atque hic liber & duo proximi topici libri, negationum merito queant appellari. Quibus in rebus ſi Ariſtotelei Ariſtotelis ingenium & artificium contemplati fuerint, quanuis eum antea principem & deum quendam philoſophorum exiſtimauerint, tamen hac negationum mataeotechnia percepta, ſophiſtarum & nebulonum nequiſsimum, & vaniſsimum iudicabunt. Quod vt intelligant, nõ multis ad refellendum argumentis, ſed facili & perſpicuo exemplo tantum opus eſt, vt res ante oculos ponatur. Sit igitur ô Ariſtotelei, qui nunquam fuerit, qui neque (vt ſpero) futurus ſit: ſit tamen (quoniam liberæ ſunt noſtræ mentes, & quiduis facilè cogitantes intuentur) ſit nobis inquam grammaticus aliquis, Donatus ſi lubet, qui cùm nomen ita definierit: Nomen, eſt pars orationis cum caſu corpus aut rem propriè cõmuniterue ſignificans, tum ad ſophiſticam & inanẽ ingenij oſtentationem glorietur ſe traditurum artem, per quam mirandum in modum nominis cognitionẽ aſſequamur: atque ex definitionis illius particulis ſophiſmata iſta deſcribat.

Tres proximi libri, negationũ libri appellandi.

Si non eſt pars, non eſt nomen.
Si non eſt pars orationis, non eſt nomen.
Si non cum caſu, non eſt nomen.
Si non corpus aut rem ſignificet, non eſt nomen.
Si non propriè aut communiter ſignificet, non

eſt nomen.

Si nihil ſignificet, non eſt nomen.

Repetat idem etiam ſæpius, ut Ariſtoteles quintum locum in decimoquarto, & efficiat ex duobus unum.

Si non ſit pars orationis cum caſu, non eſt nomẽ.

Tum verò ad has ineptias augendum ex aliis partibus orationis dicat,

Si eſt pronomen, non eſt nomen.

Si eſt verbum, non eſt nomen.

Si eſt participium, non eſt nomen.

Si eſt coniunctio, non eſt nomen.

Si eſt præpoſitio, non eſt nomen.

Si eſt interiectio, non eſt nomen. Tandem

Si eſt cũ caſu, & propriè cõmunitérue ſignificet corpus aut rem, & pars orationis, eſt nomen.

Et ſimiles undique ineptias colligat. Poſtremò ex tam variarum partium inter ſe repugnantia locos ſeptem & octoginta conficiat, ut par ſit Ariſtoteli. Quid eſt Ariſtotelei, cur indignamini? quaſi in re philoſophis indigna veſtrum Ariſtotelem comparem? Cur nobis ſuccenſetis? Cur non ſuſtinetis potius aſſenſionem veſtram, ut ſi non talem Ariſtotelem veſtrũ probauero, tum mihi meritò iraſci poßitis? At Ariſtoteles iſtam nobis ſophiſticã delirationem in hoc topico præbuit: hanc fatuam & ſtupidam negationum mataeotechniam iſto topico propoſuit. Definit enim Ariſtoteles primo topico genus his verbis, Genus eſt quod prædicatur de pluribus ſpecie differẽtibus in eo quod quid eſt: ſic Donatus nomen definierat. Ex definitionis

huius particulis locos exornauit Ariſtoteles mirificarum negationum: quos ſuis numeris, vt in libro vulgo diſtinguũtur, diſtinguam. Et primùm ex ea particula, quæ ſignificat generi multas eſſe ſubiectas ſpecies, de quibus dicatur.

8, & 79 *Si de nulla ſpecie prædicatur, non eſt genus.*

31 *Si de vnica ſpecie prædicatur, nõ eſt genus.*

2 *Si de aliqua ſpecie ſibi ſubiecta non prædicatur, non eſt genus.*

18 *Si definitio generis non prædicetur de ſpecie, non eſt genus.*

9 *Si de pluribus ſpecies, quàm genus dicitur, non eſt genus.*

10 *Si de æqualibus ſpecies & genus, non eſt genus.*

Hi loci ac ſimiles obſcurioribus etiam verbis ab Ariſtotele deſcripti ſunt ex ea particula definitionis, quæ ſignificat genus ſpecies plures habere, de quibus affirmatur. Eadem illa generis definitio primo topico poſita declarat non eſſe genus, niſi prædicetur de differentibus ſpecie: itaque Ariſtotelis acumen hîc elaborauit.

80 *Si non differunt ſpecie, de quibus prædicatur, non eſt genus.*

11 *Si non ſit alicuius indifferentium ſpecie, nõ eſt genus.*

His tricis ſubtiliores longè, quàm ab illo grammatico fingi potuiſſent, adduntur: per quas (tantus orator eſt Ariſtoteles, qui ex vna definitione librum vnum

confecerit, qui è re minima maximam fecerit) tamen magis probatur non eſſe ſpeciem, quàm non eſſe genus.

7 16 21 *Si ſpecies prædicatur de genere, non eſt genus.*

7 *Si de aliquo prædicatur ſpecies, de quo nõ genus, non eſt genus.*

Eadem illa definitio generis docebát non eſſe genus, niſi prædicaretur in quid: hos igitur repentè pro ſuo excellenti in ſophiſmatis comminiſcẽdis ingenio locos Ariſtoteles exornauit. In quibus etiam admiſcuit repugnantiam aliorum prædicatorum, accidentis & differentiæ, vt Donatus ille verbi & participij.

3 *Si non prædicatur in quid, ſed vt accidẽs, non eſt genus.*

82 *Si eſt in ſubiecta ſpecie vt accidens, non eſt genus.*

4 *Si definitio accidentis ei conueniat, non eſt genus.*

71 *Si prædicatur ſecundum quid, & per accidens, non eſt genus.*

Omnes hi loci monſtrant genus non eſſe, ſi prædicatur in quale, vt accidens: ſimiles ineptiæ ſunt in hoc topico, quæ demonſtrant genus non eſſe ratione differentiæ, quæ item in quale, non in quid prædicatur: ſimiles inquam ſunt locis permultis, vt indicabo, ne ipſe ineptus ſim Ariſtotelis ineptiis tam anilibus ad verbum recitandis, ſimiles inquam ſunt numero 23, 24, 76, 92, 93, 94. Conſiderate enim Ariſtotelei, qualis hæc Ariſtotelis ſapiẽtia ſit: an ſit vlla diſciplina,

quæ nihil definiat, nihil partiatur, nullas generum partes, aut ſpecies interpretetur, nullum ſolidæ cognitionis vſum præſtet: tum aſſumite topico quarto non definiri genus aliter, quàm fuerat antea finitum, nullas eius varietates, nullas differentias, nullum vſum, nullum fructum declarari: ſed inauditam ſophiſticã inſtitui. Aggregentur verò ad iſtam grammatici ſophiſmatis elegantiam in hoc topico ſoleæ, ab æquiuoco, metaphora, poteſtate, potente, paſſione, vniuoco, peiore. Tum verò Ariſtotelei primam quæſtionem de tribus artis quæſtionibus cõcludite, quàm multi loci non neceſſarij hoc topico confundantur, cùm totum topicum inutile & vanum ſit. Vt verò percipiatur ſecunda de tribus quæſtio, quàm multi neceſſarij loci prætermittantur, recenſeamus ex nudis vocabulis qui loci communes confundantur, & quoties: tum facilè percipietur, quàm multi omittantur. Hi verò loci ſunt, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, ſpecies, genus, genus, genus, ſpecies, genus, ſpecies, definitio, forma, forma, contrarium, ſpecies, ſpecies, ſpecies, forma, forma, forma, ſpecies, genus, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, contrarium, coniugatum, ſimile, efficiens, efficiens, priuans, priuans, contradicens, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, relatum, priuans, priuans, ſubiectum, totum, pars, efficiens, genus, forma, ſpecies, ſpecies, maiora, minora, maiora, ſimilia, maiora, ſimilia, ſimilia, forma. Hi loci communes ſunt

Ariſtotelica locorũ ταυτολογία ĩ quarto topico.

Secunda queſtio de neceſſariis omiſſis.

ab Ariſtotele quarto topico non expoſiti, ſed confuſi: in quibus tamen nihil de fine, materia, effectis, adiunctis, repugnantibus, paribus, diſsimilibus, tributione in ſubiecta, adiuncta, teſtimoniis, dicitur: qui tamen loci tam poterant ad problema generis accommodari, quàm ſuperiores illi confuſi. Atque de genere (ſi communes loci diligenter intellecti ſint) quanto dicetur acutius, quicquid dici poteſt, quàm ex Ariſtotelis confuſione & mataotechnia clamatur? Cùm enim cauſſas penitus videris, res extrinſecus adiunctas & oppoſitas, & comparatas, denique & nomina, quid erit omnino generis, quod non percipias? Dicebat Ariſtoteles quinto capite primi topici communem inuentionem omnium problematum inueniri non poſſe. At refutatum eſt antea hoc eius mendacium in prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, abundantia propoſitionum, inuentione medij, poſterioribus analyticis, primo topico, ſecundo topico, tertio topico, & nunc quarto iterum refellitur. Recipiebat idcirco Ariſtoteles ſe proprias artes ad problema accidentis antea ſecundo & tertio topico, nunc quarto ad problema de genere deſcripturum: ſecundo & tertio nihil proprium accidentis præter mataotechniam trium inficiationum: quarto nihil itē propriū generis præter inficiationum, & negationū non trium, vt antea, ſed ferè perpetuarū vanitatem inauditam, & propè incredibilem propoſuit. Quid ergo hîc amplius contra iſta à me dici neceſſe eſt? Comparate Ariſtotelei grammatico illi delıranti Ariſtotelem veſtrum, & audete ſi non ab

Confectarium de locis problematum cōmunibus.

Ariſtotele, quem tantopere colitis, ſaltem à vobis ipſis quærere, quorſum iſta diſcantur, quem fructum ſint allatura. Dixi duobus ſuperioribus topicis tantam centum & triginta locorum confuſionem inutiliter ad accidentis problema accõmodatam eſſe, (quia in tota dialectica verè tradita nihil omnino neceſſe ſit, quid ſit accidens explicari) & ſi neceſſe eſſet, ad id tamen artes proprius ab Ariſtotele non deſcribi. Hic paulo aliter de genere ſentio: generis in dialectica valde neceſſariam cognitionem eſſe: ſed eam confirmo & demõſtro quarti topici nugatoriis ſophiſmatis nihil adiuuari.

ANIMADVERSIONVM
Ariſtotelicarum Liber decimuſtertius.

De quinto Topico.

Q*vinto topico ſequitur problema proprij, cuius nulla eſt in dialectica omnino neceſſaria explicatio, vt in Porphyrio dixi, nec magis neceſſe eſt in dialectica præcipi, quid proprium ſit, quàm quid commune: hoc totum ſenſu communi & verbi intelligentia populari contẽtum eſt, quanuis hic Ariſtoteles proprium non exponit ſolùm pro voce ſimplici, vt Porphyrius videtur, ſed*

Proprium ab Ariſtotele ꝑ deſcriptione ſumitur.

etiam pro definitionis ſpecie, quam in noſtris inſtitutionibus deſcriptionem nominauimus. Sed tamen nomine proprij non decet deſcriptionem cõfundi, nec magis deſcriptio, quàm definitio propria vel eſſe, vel dici debet. Attamen vt in accidentis (cuius item praeceptio in dialectica nulla neceſſaria eſt) ſic in proprij problemate iactationem ſuam ſophiſticã habuit Ariſtoteles. Attingam breuiter locos non neceſſarios hîc confuſos, tametſi totus liber, vt dixi, omnino inutiliter confunditur. Principio non definit proprium: genera eius tria enumerat, quod per ſe, & ſemper, quod ad aliquid, quod aliquando: ex tribus propoſitis generibus duo reiicit: & ſe vitioſe partitum eſſe oſtẽdit, qui in partitione comprehenderit, quod redundaret, & amputandum eſſet: tertium retinet, quod per ſe, & ſemper ineſt: ad quod pollicetur Ariſtoteles ſe artem topicam propriã & certam accõmodaturum. At nullũ ferè praeceptũ toto libro de illo proprio, ſed omnia ſunt ferè de proprio quodã fictitio ſecũdũ quid, & quidem falſo. Locos ſingulos percenſebo, & numeris, vt antea, diſtingam. Principiũ topici quinti Ariſtoteles orditur à ſordibus ſophiſmatũ, petitione principij, aequiuocatione, nugis: ſic enim vocat in elẽchis cũ ex ignotioribus diſputatur, cũ ambiguè diſputatur, cũ ſaepius idem inutiliter dicitur: quorum tamen locorũ omnes qui affirmant, falſi ſunt, ſi abſolutè ſumantur: non enim ſequitur ſi notius, ſi non ambiguũ, ſi non frequenter dictum, vt propriũ ſit. Loci alij ſimilis falſitatis ſequũtur, quibus probare vult non bene aſſignatũ eſſe proprium.

Quaeſtio prima de non neceſſariis confuſis.

16 *Si nomen commune in proprio, non bene aßignatum.) At falſò vt hîc. (Subſtantia res quæ per ſe ſubſiſtit) bene aßignata eſt iſta deſcriptio, & non poteſt in ea nõ eſſe nomen aliquod maxime commune.*

18 *Si plura propria proponit.) At falſum: ſæpe enim res ex multis proprietatibus deſcribitur.*

20 *Si eodem utitur cum ſubiecto, aut eius aliquo.) At falſum: nam omnis deſcriptio aliquid eſt ſubiecti.*

22 *Si vtitur oppoſito, aut ſimul natura, aut poſteriore.) At falſum: ſæpe enim deſcribitur res ex contrariis, ſæpe ex relatis (quæ natura ſunt ſimul) ſæpe ex adiunctis, quæ ſunt poſteriora.*

24 *Si non ſemper conuenit.) ſic Donatus, ſi non eſt pars orationis, non eſt nomẽ: hoc enim fuerat in definitione propriȷ, vt ſemper & ſoli cõueniret.*

26 *Si proprium nunc aßignans, id nõ exponit.) Hoc propriȷ genus Ariſtoteles reiecerat primo, & propoſuerat ſe nihil de eo dicturum: hoc falſitatis non eſt, ſed inconſtantiæ & obliuionis.*

28 *Si non manifeſtum niſi ſenſu.) At falſum: nam multa rerum ſingularum, & ſenſibilium propria ſunt, quæ non niſi ſenſu primùm percipiũtur: & nihil eſt omnino ſenſu perceptum, quod mente apprehendi nequeat.*

30 *Si eſt definitio.) Si eſt pronomen, ait Donatus, non eſt nomen: ſic Ariſtoteles, ſi eſt definitio, non eſt proprium.*

32 *Si non aliquid in quid ponit.) At falſum: infinita enim deſcriptiones ſunt, quæ nullum genus poßint habere.*

Ex oppoſitis autem horum locorum & contrariis locis, id eſt ex affirmationibus, Ariſtoteles docet proprium cognoſci ſecundum loci ipſius rationem, ſed cùm inficiatio ipſa falſa, aut inepta ſit, quid poteſt affirmatio contraria doctrinæ præſtare? Deinceps autem pollicetur Ariſtoteles artem communem, vtrum proprium omnino ſit: Loci ſunt

34 *Si nulli conuenit, non eſt proprium.) Sic Donatus, Si nihil ſignificat, non eſt nomen. Contrarium locum tradit Ariſtoteles, ſed falſum, quia definitioni conuenit, omni conuenire.*

36 *Si non conuerſim dicitur, non eſt proprium.) Sic Donatus, Si non eſt cum caſu, non eſt nomen. Quartus artificij illius ſingularis locus: contrarium locum tradit Ariſtoteles ad affirmandum, ſed falſo: quia definitioni conuenit.*

38 *Si ſubiectum eſt proprij, non eſt proprium.) Sic Donatus, Si eſt verbum, non eſt nomen: quartus Donati locus. Contrarium locum tradit Ariſtoteles ad affirmandum, ſed falſo, quia reliquis prædicatis conuenit.*

40 *Si indicat quid eſt, non eſt proprium.) Sic Donatus, Si non propriè, aut communiter ſignificet, non eſt nomen: fuerat enim in definitione proprij, vt quid eſt non ſignificaret, & ſimilis fuerat decimustertius locus capitis anteceden-*

tis. Contrarium locum ad affirmandum docet Ariſtoteles, ſi non quid eſt indicat, & conuerſim prædicatur, eſt proprium. Sic Donatus, Si ſit cum caſu, & pars ſit orationis corpus, aut rẽ propriè communitérue ſignificans, eſt nomen: hæc enim definitio proprij fuerat primo topico poſita.

42 *Si non ſimul, ſed prius vel poſterius, non propriũ.) At repugnantem & cõtrarium locum poſuit Ariſtoteles ſuperiore capite, & ſeipſum nunc condemnat: contrarium etiam locum ad affirmandum tradit: ſed falſò: ſimul enim definitio eſt cum re definita, non ſolum proprium. Si ſimul inſit, non terminus, neque differentia: ſic Donatus, ſi eſt cum caſu, neque verbum, neque participium eſt nomen.*

44 *Si eorundem non eſt idem proprium, non eſt proprium.) Sic Donatus, Si idem non eſt nomen, nõ eſt idem nomen: locus octauus Donati, cui contrarius additur. Simili ſapiẽtia locus ſequitur.*

46 *Si eorundem ſpecie, non ſit idem ſpecie proprium, non eſt proprium.) Sic Donatus loco nono, Si eadem ſpecie nomina non ſunt, non eſt nomen, cõtrarius item additur.*

48 *Si non proprium & ſubiecti, & accidentis, non proprium.) Hunc locum ſophiſticum vocat Ariſtoteles: nihil refellamus: ſimus hìc Ariſtotelis teſtimonio contenti ad Ariſtotelem ſophiſtam probandum: quem hanc ſophiſticam de-*

cere nil pudeat.

49 *Si quod natura eſt, aſsignat per ſemper, non proprium.) Hic locus eſt ſophiſticus Ariſtoteli, ſed nobis Ariſtotelicus eſt: non enim bipes & rationale ſignificat, quòd duos pedes nunc habeat, aut nunc vtique ratiocinetur, ſed qui natura talis ſit: contrarium tradit Ariſtoteles ad affirmandum, ſed falſo: definitioni enim id poteſt conuenire.*

51 *Proponit deinde Ariſtoteles difficultatem aſsignandi proprij, & longa ſatis oratione. Tum ſequitur,*

55 *Si idem eiuſdem ponitur proprium, non eſt proprium: hoc nec Donatus quidem vel ſomnians poſuerit. Contra verò, ait Ariſtoteles, ſi non eſt eiuſdem, & conuerſim dicitur, eſt proprium: verùm id falſo: definitionis enim cõmune eſt.*

57 *Si quod propriũ totius dicitur, de ſimilibus partibus nõ dicitur, nõ eſt propriũ, Calceus eſt ex diuiſionis loco. Contrarius locus, quem tradit Ariſtoteles, falſus eſt, & cõmunis cũ definitione. Sequuntur loci vndecim communes ex aduerſis, relatis, priuantibus, contradicentibus, coniugatis, ſimilibus: quos ſi perpetuò ſequutus eſſet Ariſtoteles, quanuis artem communem ad hanc proprij quæſtionem inſipienter aſtrinxiſſet, tamen nõ in tam fœdas tenebras incidiſſet.*

80 *Si quod ſecundum eſſe dicitur, non eſt eius quod ſecundum eſſe dicitur, proprium: nõ proprium.*

Hic calceus eſt Ariſtotelis ſutrina digniſsimus, qualis & contrarius ad affirmandum.

82 *Si ideæ non ineſt, non proprium: calceus mirificus & dignus qui inter Ariſtotelis topica calceus princeps habeatur: qualis eſt ei contrarius. Sequuntur deinceps loci ſeptem ex comparationibus maiorum, minorum, ſimilium, olores videlicet inter coruos. Poſtremi duo ſunt ex potentia & abundãtia planè Ariſtotelici. Atque hos præclaros Ariſtotelis de problemate proprij locos non dico falſos, non dico ſine vſu, non dico ſophiſticos, ſed tam ſtupidos, tam ſine vlla communis ſenſus ac iudicij mica cùm conſidero, non exclamare profectò non poſſum, prò ingenij humani pudor, tãdiu homines his triciis apiniſque falli, decipi, hebetari? O curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes.*

Hæc ſophiſmata falſa, inania leguntur, clamantur tãdiu: veritatem, vſum, vtilitatem nemo adhuc, tot ſcholis, tot temporibus exquiſiuit? Excitate vos Ariſtotelei, & ſophiſmatis illius obliti, quo ſoletis Ariſtotelem Ariſtotele defendere, cogitate aliquando, & attentè, & dialecticè: denique non Ariſtotelicè Ariſtotelis has topicas tenebras perpendite. Tres quæſtiones perpetuò propoſitas adhuc habuimus: quàm multi loci non neceſſarij confundantur, quàm multi loci neceſſarij prætermittantur, quàm tota iſta ab Ariſtotele cõgregata ex omnibus ſophiſmatis mataotechnia nihil problema Ariſtotelis adiuuaret. Primum in hoc

topico ex ſingulis capitibus oſtendimus, quàm totus hic quintus liber tenebricoſus & Ariſtotelicus ſit. Secundam ex communibus locis hîc confuſis æſtimemus, ut adhuc in cæteris topicis fecimus. Capita ex nominibus nudis proponantur, periſſologia & confuſio ſic erit. Cõtrarium, contrarium, definitio, definitio, ſubiectum, ſubiectum, ſubiectum, coniugata, ſpecies, pars, totum, pars, totũ, contraria, contraria, relata, relata, priuãtia, priuãtia, cõtradicentia, contraria, cõtraria, cõiugata, coniugata, contraria, coniugata, contraria, coniugata, ſimilia, ſimilia, ſimilia, ſimilia, maiora, minora, maiora, minora, maiora, minora, maiora, maiora, contradicentia, contradicentia, contradicentia, contradicentia, contradicentia, minora, ſimilia, ſimilia, ſimilia, ſimilia, ſimilia. Hos locos communes Ariſtoteles, hoc topico non generaliter & communiter explicat, ſed ſuo more confundit, & ex his omnibus formis calceos ad proprij problema facit, ſed ineptos, ſed falſos (ut docui) ſed Ariſtotelicos. In quibus tamen nihil de cauſſarum generibus, de factis nominatim atque adiunctis, de repugnantibus, de paribus, diſſimilibus, de tot tributionum, teſtimoniorúmque modis. Qui tamẽ loci non minus ſunt ad diſputandum Ariſtotelis problema apti, quàm qui confunduntur. Quinetiam ſoleas addit calceis, & ſuperaddit à ſenſu, participatione, idea, potentia, ſuperabundantia: & tamen ex hac confuſione tãta intelligimus, quàm vanus, quàm ſopitus ſit Ariſtoteles, qui neget cõmunes locos inueniri poſſe, quos perpetua caligine ſepelit. Ac iam ſanè nihil noceat Ari-

Ariſtotelica locorũ ταυτολογία in quĩto topico.

Quæſtio ſecũda de neceſſariis omiſsis.

ſtotelem contra me ſic excuſare, vt Ariſtoteles quicquid hîc offenderit, ignorantia peccauerit, nec ſcierit quid eſſet omnino ea doctrina, quam ab illo tot locis perturbatam conquerimur. Sed tamen quoniam videmus, quàm multi neceſſarij loci ſint omiſsi, addamus & acceſsionem, quòd his tam vanis, tam falſis, tam ſtupidis, tam denique Ariſtotelicis nugis, non docetur vlla de proprio doctrina, neque Ariſtotelis hiſce ſophiſmatis de proprio inſtitutum problema quicquam adiuuatur. Conſectariū de locis problematū communibus.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſquartus.

De ſexto Topico.

D*Efinitionis problema poſtremum eſt, quod (vt accidentis) duplex Ariſtoteles facit: aut enim definitio quæritur, aut de eodem, & diuerſo: quod Ariſtoteli primo topico placet annexum eſſe definitioni, vt comparationes connexas eſſe accidenti: de definitione autem ſexto topico, de eodem & diuerſo ſeptimo diſputabitur: inſtitutum meum retinebo, declarabo breuiter qui loci non neceſſarij confundantur, deinde ad alias quæſtiones veniam. Diuidit Ariſtoteles initio ſexti topici* Quæſtio de nō neceſſar.is cō fuſis.

Vitioſa definitionis partitio.

conſiderationem huius problematis in quinque partes, vt conſideretur, ſi definitio vera ſit, ſi non conſtet ex genere proprio, ſi non propria, ſi nõ definit, neque quid eſt dicit, ſi non bene definit. O partitionem Ariſtotelicam: cætera vitia eius prætermittam, vnum hoc dũtaxat quæram, quod quinto loco eſt, an poßit eſſe definitio vera, conſtans ex proprio genere rei definitæ, propriè definiens quidem rem, & quid eſt ſignificans: quæ non rectè definiat? Quid eſt definitio Ariſtoteles? Oratio quid erat eſſe ſignificans (ais primo topico.) At tu hîc te ipſum ſcilicet vanum arguens, affirmas poſſe fieri vt definitio non ſit, quanuis vera, quanuis in genere proprio conſtituta, quanuis propria, quanuis etiam (quod caput eſt) quid erat eſſe ſignificans. Quid eſt igitur ô Ariſtotelei, an Ariſtotelem primo topico falſum doctorem, an hîc inconſtantem & leuem eſſe mauultis? Nunquámne de ſophiſticis hominis huius peccatis, & ludibriis liberè cogitabitis? Sed reliqua videamus, primam huius præclaræ diuiſionis partem ad accidentis locos remittit, vt cognoſcatur veráne ſit

» *definitio, quia (inquit) illic vtrum verum, vel nõ verum, omnis conſideratio fit: quando enim quod ineſt*

» *accidens diſputamus, quod verum eſt, dicimus: quando*

» *autem quod non ineſt, quod non verum: hic locus eſt, qui vehementer Ariſtotelem (vt antea dixi) accuſat & damnat: locos ad accidentis problema ſe traditurum ſpoponderat: quia negauerat omnium quæſtionũ communes locos inueniri poſſe. At non modò communes illos tradidit, ſed ſe tradidiſſe teſtificatur: omnis*

(ait)eſt in accidentis locis conſideratio, vtrum verum, an non verum: atqui in omni quæſtione ô Ariſtoteles nihil quæritur, niſi verum an falſum, an verè dialecticum, verè honeſtum, verè humanum, verè bonum: in omnibus denique quæſtionibus verum an falſum quæritur: ſunt enim verum & falſum, vt Ariſtotelei tui loquuntur, termini tranſcendentes: quiduis enim verũ eſt, aut falſum: atque hîc quod Ariſtotelei minime fortaſſe ſuſpicentur, magnas Ariſtoteli gratias & immortales habeo, agóque: quamobrem? quia ad expugnandas Ariſtotelis tenebras, ad euellendam ex animis ſimplicium & imperitorum hominũ tam mẽdacem & fallacem de Ariſtotele opinionem, ſe nobis tam acrem, támque præſentem adiutorem Ariſtoteles præbuit. Ad reliqua veniamus: quod ad ſecũdam & tertiam partem diuiſionis, de genere, déque proprio attinet, nos ad generis & proprij locos remittit, id eſt nugas agere præcipit. At quartam & quintam partes proprias, videlicet artis deinceps inſtruit. Ariſtoteles hic idem ſarcinator erit, qui antea fuit: communes calceorum formas ad problematis huius pedem accommodabit: calceos etiam nouos aptabit, ac negationum & inficiationum tales nobis artes explicabit, quales in quarto de genere & quinto de proprio deſcripſit.

Verũ falſum.

Quartum membrum Ariſtoteles ante quintum exequitur, præpoſterè quidem, ſed tamen Ariſtotelicè: & diuidit bifariam, quod non benè definiatur, ſi quid obſcurum, aut ſuperuacuum fuerit. Deus bone, quàm Ariſtoteles omni in loco ineptus eſt! quoties præceptũ

de ambiguo ab Ariſtotele confunditur in prædicamentis, interpretatione, analyticis, antea heu quoties in his topicis? Initio autem ſuperioris topici Ariſtoteles locos proprij exorſus eſt à ſophiſmatis tribus petiti principij, ambiguitatis, nugis frequenter dicti: quæ vitia ſunt omnium argumentorum communia: hic prætexit ſimilem telam, vt definitio improbetur, ſi obſcura, quod petitio principij eſt, ſi quid redundet in ea, quod eſt omnium commune vitium argumentorum: atque hi loci contexuntur ad declarandum obſcurum, vt rectè definitum negetur, deinde reprehendatur.

Obſcuritatis loci. 6 *Si quid ambiguum, obſcurum.) At Ariſtoteles in elenchis duo ſophiſmatum diuerſa genera facit, obſcurum & ambiguum: illud petitionem principij, hoc æquiuocationem vocat.*

7 *Si metaphoram habet, obſcurũ.) At ô Ariſtoteles metaphora clarior eſt plerũque ſignificatione propria, & multis in rebus nomine carentibus metaphora vti cogimur.*

8 *Si inuſitata nomina, obſcurum.) Verum, ſed grammaticæ vitium hoc eſt, non dialecticæ, & ſæpe antea monui multa grammatica ſine ratione in Ariſtoteleis logicis confundi.*

9 *Si non propria nomina, obſcurum, idem cum ſuperiore, vitium.*

10 *Si non manifeſta contrarij definitio, obſcurum.) O me fortunatum! O Ariſtotelem lepidum! obſcurum eſt in definitione: & vitioſa eſt ipſa, ait Ariſtoteles, definitio, niſi ex ea contrarij definitio intelligatur.*

Atqui ô Ariſtoteles primo topico definita erat abs te proba & certa (vt ais) definitio. Ex ea igitur vitioſa definitio debet intelligi. Attendite Ariſtotelei quid hoc loco cum Ariſtotele concludam propoſitionem & aſſumptionem ab Ariſtotele accipio.

Recta definitio vitioſam declarat.
Primo topico poſita diſinitionis definitio Ariſtoli recta eſt.
Primo igitur topico poſita definitionis definitio vitioſam declarat.

Quid igitur opus eſt ſexti topici tot negationum mataotechnia, vbi vitia definitionis tam multa, laudes nouæ, & virtutes nullæ demonſtrantur?

11 *Si lateat definitum, obſcurum.) Sic de cæteris argumentis dici poteſt, ſi lateat cuius ſit ſpecies, obſcurum genus: ſi lateat cuius ſit cauſſa, obſcurus effectus. Hæ ſunt Ariſtotelis artes de obſcuritate, quales videmus: nullam enim doctrinam definiendi, ſed matæotechniā negationum continent. Succedit ſecundū caput de redundantia totidem locis diſtinctum, per quos intelligamus aliquid redundare.* Redundātiæ loci.

12 *Si commune nomen eſt, redundat: locus hic nugatoriè etiam quinto topico adhibitus eſt.*

13 *Si eo ablato integra definitio manet, redundat. Hîc redundantis eſt definitio.*

14 *Si pars aliqua non ineſt toti, redundat.) Hoc verò non eſt redundare potius, quàm falſum omnino eſſe.*

15 *Si idem frequenter dicitur, redundat.) Hic locus eſt ſecundo comprehenſus, & hic redundat, & quin-*

tus eſt quinti topici, & quo ſe vehementer vt antea, accuſat Ariſtoteles, qui dicit idem tam frequenter, quàm frequenter in omnibus topicis oſtendimus.
16 *Si vniuerſali dicto particulare additur, redũdat.) Atque hi ſunt Ariſtotelis ad redundans cognoſcendum loci, ita tamen ipſi redundantes, vt ſi quid eſſet redundans, ignorares, exemplo te ſuo poſſint inſtruere. Ac his negationibus Ariſtoteles pueriliter altercatus eſt, quòd non bene eſſet definitum: quo modo eſſet bene definiendum nihil omnino docuit. Sequitur poſtremũ caput topico reliquo mirificis negationibus, & inficiationibus agitatum, an quid eſt ſignificetur, quod ſolum proprium problematis de definitione inſtituti fuerat. Definitio enim (vt dixi) ab Ariſtotele primo topico definita eſt, oratio quæ quid erat eſſe ſignificãs: vt vel Ariſtotelis ipſius iudicio ſuperiores decem inficiationum loci ſuperuacanei ſint. Varij deinceps loci ſequuntur ſophiſtica altercatione cum ſuperioribus ſimiles: quorum ſeptem proximi ex iiſdem illis lernæ ſophiſticæ capitibus oriuntur, ex petitione nempe principij: ſi ex non notioribus & non prioribus: ſic Ariſtoteles hanc præclaram negationum mataeotechniam, ex ſophiſmatum coriis ſæpius conſuit & reſuit. Deinceps autem variæ confuſionis calcei cõſuti ſunt, ex proprietatibus definiendi primo capite poſitis: quia definitio ad totam rei ſubſtantiam, & quid res ſit penitus exponendã conſtare debet ex genere & differentia propriis, Ariſtoteles ex duobus vocabulis generis & differentiæ viginti duos locos effecit, interpoſitis etiam*

ſoleis quibuſdam & coriis inutilibus: à primo, ab appetitu, idea, complexione, ab ente, & bene habente, à cognomine, à compoſitione, & eiuſmodi coriorum quiſquiliis. Concludamus igitur primam iſtam quæſtionē, quàm multa hoc topico non neceſſaria confundantur, quandoquidem paucis illis verbis exceptis, definitio cōſtat ex genere & differentia, quod antea dictum ſæpius erat, nihil eſt omnino toto libro quod micam ſolidæ doctrinæ contineat. Videamus quàm multa neceſſaria ad quæſtionē de definitione Ariſtoteli hîc propoſitam omiſſa ſint. Subducamus quàm multa neceſſaria ſint confuſa, deductio reliqui hoc indicabit: quoties igitur & quo ordine confundantur recenſeamus vt antea. Loci reperientur communes hi, genus, forma, cōtraria, definitum, contraria, contraria, genus, genus, genus, forma, contraria, genus, ſpecies, genus, ſpecies, genus, forma, forma, genus, ſpecies, forma, forma, forma, relata, relata, ſubiectum, maiora, maiora, maiora, minora, maiora, genus, forma, relata, relata, efficiens, effectus, adiuncta, adiuncta, relata, contraria, contraria, priuantia, contraria, priuantia, priuantia, coniugata, genus, relata, efficiens, partes, totū, partes, totū, partes, totum, maiora, contraria, partes, totū, definitio. O Ariſtotelē iam verè Ariſtotelē: Deus faxit, vt te Ariſtotelei tui aliquādo intelligāt, & te debitis laudibus ac meritis afficiāt. Vt cauſſas in forma & efficiente: effecta, ſubiecta, adiūcta, cōtraria in aduerſis, priuātibus, relatis, cōparata in maioribus, minoribus, ſimilibus, nomina in cōiugatis, tributionē in toto, & partibus, gene

Ariſtotelica locorū ταυτολογία in ſexto topico.

Quæſtio ſecūda de neceſſariis rebus omiſsis.

re & ſpecie: definitū non explicares, ſed inuolueres & cōturbares, taceres de fine, materia, contradicentibus, repugnātibus, paribus, diſsimilibus, notatione, reliquis tributionum modis, de definitione, teſtimoniis, an iſta periſſologia, tā Ariſtotelica opus erat? Vereor, ita me Deus amet, ne Ariſtotelei ipſi etiam, cū iſta in ſuis libris relegent, ſuis non fidant libris, tantam Ariſtotelis ſtultitiam eſſe non putent. Atque hic videmus quàm multi loci neceſſarij ad definitionis diſputationē omiſſi ſunt: omnes enim communes loci adhiberi poſſunt, ſicut ad omnem aliam quaſtionem: iſti enim loci, & ſeipſos, & alia omnia explicāt. Et ſi doctrina vlla ad definitionis explicationem ſeparatim adhibenda erat, quanto melius, id ex communibus locis fieret, quàm ex Ariſtotelis ταυτολογία *& cacotechnia? Ariſtotelem*

Confectariū de locis problematum cōmunibus.

etiam nouo Ariſtotelis teſtimonio conuincimus, quòd eos communes locos conturbet & confundat, quos primi libri quinto capite negabat inueniri poſſe: & illud poſtremū concludimus: Ariſtotelis centū & tribus inficiationibus (tāta eſt enim Ariſtotelis mataeotechnia iſto topico) nihil omnino doceri, quod ad bene & ſapienter definiēdum attineat: nec hîc eodem plane modo loquor, quo de accidente ſecundo & tertio topico, de proprio quinto dixi: de problemate, tum accidētis, tum proprij non ſolùm Ariſtotelicas nugas confundi, ſed omnino totam & accidentis, & proprij conſiderationē, qualiſcunque eſſet, à dialectica verè tradita reiici docui; non idem de definitione nunc dico: eſt enim definitio pars inuentionis dialecticæ propria, & maxima

vtilitatis, ſi rectè fuerit expoſita: vt inſtitutionibus noſtris interpretamur. At Ariſtotelicas tenebras, quibus definitionis doctrinam & artem nullam docemur, valde ac vehemēter improbo. Sed hac de re maius certamen perorationi reſeruo.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſquintus.

De ſeptimo Topico.

SVpereſt de problematum locis appendix definitionis, de eodem & diuerſo. Res breuis eſt & minus obſcura, quàm antea: & omnibus topicorum tenebris ad Ariſtotelem damnandum aptiſſima. Ariſtotelem iam heu quoties, quàm verè Ariſtoteles Ariſtotelis teſtimonio iudicióque damnauit? Attamen & hoc topico ſeptimo iuſtius, verius, clarius etiam damnabit: quòd idcirco tot topicas ſalebras ſibi miſcendas eſſe & conturbandas neceſſariò diceret, quia negaret omnium problematum communem inuentionem tradi poſſe: at cùm ſex ſuperioribus topicis, tum hoc maximè ſeptimo topico hanc communem inuētionis doctrinam confudit: calcei verò hîc pauciſſimi ſunt, vt appoſitionis, ablationis: formæ communes ferè ſunt omnes, vt pri

ri.

Quæſtio prima de non neceſſariis confuſis. *mo topico: ad cognoſcendum enim idémne ſit an diuerſum, hos locos communes Ariſtoteles cõſiderandos eſſe admonet, & quidem toties, & eo ordine quoties & quo ordine hîc recitabo, ex coniugatis, contrariis, efficientibus, ſimilibus, ſubiectis, adiunctis, genere, maioribus, ſpecie, genere, contrariis, contrariis, contrariis, contrariis, contrariis, contrariis, coniugatis, ſimilibus, maioribus, ſimilibus, maioribus, coniugatis: neque tãtummodo hac egregia ſerie confundit, ſed maximè extollit:* Ariſtotelica locorũ ταυτολογία in ſeptimo topico.

» *ſunt autem opportuniſſimi locorum (ait)*
» *& qui nunc dicti ſunt, & qui ex caſibus & coniuga-*
» *tis. Quocirca oportet maximè detinere & proprios ha-*
» *bere hos: Vtiliſſimi enim ad plurima: aliorum autem*
» *ij, qui maximè ſunt communes. Nam illi maximè reli-*
» *quorum efficaciſſimi, Vt inſpicere in ſingularibus, &*
in ſpeciebus conſiderare. Hæc Ariſtotelis eſt prædicatio de locis cõmunibus, & tam magnifica gloriatio. Deus bone qualis eſt Ariſtoteles ille, qui primo topico loquebatur? negabat hos communes locos inueniri poſſe, aut ſi inuenirentur, inſuaues fore. At Ariſtoteles qui ſeptimo topico loquitur, quid ait? locos communes omniũ problematum non ſolùm inuentos eſſe confitetur, ſed docet, adhibet, Vſurpat: tantúmque abeſt, Vt inſuaues eſſe exiſtimet, Vt quanto quiſque communior reliquis fuerit, tanto eſſe commodiorem ac Vtiliorem altiſſima clariſſimáque Voce prædicet. idcirco & coniugata, & partes, & ſpecies Verè magnificéque commendat: & pari laude cauſſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, notationem, totum, genus, definitionẽ,

Confectariũ de locis problematum cõmunibus.

teſtimonia,commendare poterat: quia omnes hi loci aquè ſunt communes. Audite Ariſtotelei hunc Ariſtotelem tam veracem,tam popularem, tam cum veritate huius diſciplinæ præſtantia, dignitate conſentiẽtem, ac penè conſpirantem: illum verò nebulonem, & turbatorem captioſum, & fallacem non tantummodo ab vſu,& perſpicuitate, & perfectione dialecticæ,ſed à ſeipſo tot iam locis,tot iam teſtimoniis ſuis abhorrentem reiicite. Vnum verò eſt,quod Ariſtoteles decimonono,& viceſimo numero admonet:quod prætereundũ eſſe non arbitror:neminem, aut paucos admodũ diſputare de definitionibus, ſed eas tanquam principia concedi,quod verum eſt: quanuis definitiones in omnibus artibus diſceptari poßint, an verè, & propriè totam rei,& penitus inſitam naturã breuiter explicẽt. Addit Ariſtoteles alterius eſſe negotij, id eſt metaphyſici,(vt interpretes aiunt)aßignare,& quid ſit definitio, & quomodo definire oportet. Atqui in tota illa Ariſtotelis metaphyſica, tametſi quædam eſt altercatio,an definitio ſubſtantiæ magis propria ſit,quàm accidentis: tamen quid ſit definitio, & quot modis, & quibus argumentis fiat, nullum præceptum traditur. An vos poteſtis Ariſtotelei aliquid per vllam artem cognoſcere,de qua in ea arte præceptũ nullum ſit? Quouſque tandem licebit Ariſtoteli ludificari? fallere? nugari? Atque quoniam huc incidimus, antequam ad octauum topicum veniamus, vniuerſum metaphyſicorum Ariſtotelis argumentum breuiter attingemus:in quibus non Theologia ſicut Ariſtotelei creduli pu-

An definiẽdi ſcientia ſit metaphyſici.

De metaphyſicis Ariſtotelis.

tant, ſed talis ſophiſtica ex dialecticis quibuſdam confuſis ſic conturbatur, qualem in logicis Ariſtotelis confuſam adhuc oſtendimus. Initio enim ſapiētia (quam pollicetur Ariſtoteles ſe in metaphyſicis traditurum) definitur cauſſarum ſcientia. Quænam verò eſt noua iſta Ariſtotelis ſapientia? an non in analyticis poſterioribus ita ſciētiam definierat, vt ex cauſſis eſſet percepta intelligentia? Ergo hîc ἀπόδειξις analytica conturbatur, non theologia declaratur. Quatuor cauſſarū genera theologus Ariſtotelicus hîc conſiderat: at illic eadem genera logicus ille demonſtrator etiam ſpectabat. Ergo ἀπόδειξις analytica, eſt Ariſtotelis theologia. Vaniſſimis deinceps quæſtionibus de cauſſis longa diſputatio in quartum librum producitur: his tenebris auctior eſt Ariſtotelis theologia, de quibus nihil eſt in analyticis. Quarto libro quædam dialecticæ inuentionis decreta rurſus admiſcentur de contrariis: ſed ex omnibus metaphyſicis deliramētis longè maximum illud eſt, quòd contradictio (quæ principium principiorum ab Ariſtotele ſtatuitur per quod alia omnia principia probentur, ipſum probari aliunde nullo modo poſſit) longiſſima tamen oratione ab Ariſtotele confirmatur. Hæc ſtulta theologia in totis Ariſtotelis logicis nulla eſt. Tandem ad duodecimum vſque librum infinitæ delirationis theologia eſt: quot modis dicatur principium, cauſſa, elementum, neceſſarium: toto quinto libro ſophiſticum eiuſmodi vocabularium texitur: in quo magis Ariſtoteles ſignificationes vocabulorum à ſeipſo fictas enumerat, quàm ex vero, & naturali

vſu obſeruatas explicat. Similis ferè ſapientia ſequitur de ente & ſubſtantia, de fieri, de vniuerſalis, de potentia, & actus, de ideæ diſtinctione: in qua tanta vanitate de definitione, & genere quædam etiam non vtilia & vera præcepta explicantur, ſed Ariſtotelica ſophiſmata conturbantur. Tum vndecimo libro quæſtionum, quæ agitatæ prius fuerant, noua quædam reuocatur altercatio: huius tantæ ſtultitiæ nihil eſt in Ariſtotelis logicis. Duodecimo ad extremum libro videtur tot ſophiſmatum ſomniis excitatus Ariſtotelicus theologus meminiſſe ſapientiam initio definitam eſſe ſcientiam cauſſarum: quærit itaque quæ ſint, & quot in cælo cauſſæ, & paucula quædam falſa ab Aſtrologis de numero orbium ſuffuratur: quòd ſint orbes quinquaginta quinque, & ideo totidem cauſſæ: quaſi verò orbes cæleſtes vniuerſales ſint omnium artium cauſſæ: grammaticæ, rhetoricæ, dialecticæ, arithmeticæ, geometriæ, (quales tamen Ariſtoteles theologo ſuo, primo libro propoſuerat, principes & authores omnium artium, & doctrinarum cauſſas) non autem naturales ſint naturalium rerum efficientes cauſſæ. In his igitur paucis decretis Ariſtotelis theologia tota eſt: ſapientia eſt cognitio cauſſarũ: materiæ, efficientis, formæ, finis, quales in cælo ſunt quinquaginta quinque. ô theologiam Ariſtotelis Ariſtotelicã: Ergo per quinquaginta quinque Ariſtotelis ſomniatos & ſophiſticos orbes, tanquam per ſumma, & prima principia ſibi Ariſtotelei omnes diſciplinas omnéſque ſcientias Ariſtotelicè videlicet demonſtrabunt? At Plutarchus

de iis libris longè aliter æſtimauit, cùm docuit in Alexandro nihil his vtilitatis vel ad docendum, vel ad diſcendum contineri. Neque ſanè mirum, cùm nullum (exceptis cauſſarum, contrariorum, generis, definitionis non veris, & verè explicatis præceptis, ſed confuſis vocabulis) illic humanæ prudentiæ veſtigium appareat.

Metaphyſica Ariſtotelis eſt dialecticæ quædã cõfuſio.

Et verò certum eſt quæ Ariſtoteles τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominat, dialecticam eſſe quandam comprehenſionem, ſed confuſam mille tenebris. Subiectum eſt (aiunt Ariſtotelei) metaphyſicæ, ens quatenus ens eſt, & per metaphyſicam principia aliarum artium probantur: quæ de dialectica bene deſcripta (qualem noſtris inſtitutionibus informaui) tam verè dicerentur, quàm de metaphyſicis Ariſtoteleis ab Ariſtotele falſò dicuntur: nulla enim eſt in metaphyſicis Ariſtotelis ſapiẽtia per quam de omni re communiter, & vniuerſè diſſeras, id eſt, de ente quatenus eſt ens, diſputes: per quam aliarum doctrinarum principia confirmes. Verùm dialectica noſtra tibi hoc abunde præſtat ac ſuppeditat: cuius & inuentio, & diſpoſitio tota communis eſt: tota generalis eſt, tota vniuerſalis eſt, nec conſiderat ſuis præceptis præcipuè vllum genus rerum, ſubſtantiam, quantitatẽ, qualitatem, ignem, aquam: ſed generaliter & communiter omnia, & (vt Ariſtotelicè loquar) ens quatenus ens eſt: principia aliarum artium omnia per eam confirmantur: nam ſi dubites, an rectè definitum quippiã ſit, ad generales definiendi, & dialecticas leges recurres. Idem facies de cauſſis, de genere, de ſpecie, de cæteris denique argumentis, ſi dubitatio ſit. Omnia ſyllogiſmi

præcepta cõmunia: methodi dogmata generalia ſunt: nihil habent huius, vel illius rei proprium: ad ens Ariſtotelicum illud, quatenus ens eſt, ſpectant & referũtur: per eorum regulas aliarum artium cõcluſiones, & collocationes conformantur, ſi de veritate, ſi de ordine dubitatur, ad hunc tanquam omnium artium, doctrinarúmque omnium maximum & ampliſsimum, & ſupremum ſenatum recurritur: hæc ara eſt communis ad veritatem ſalutis: hic portus eſt ſanctiſsimi, & incorruptiſsimi, & nunquam fallentis iudicij: templum denique omnis ſapientiæ. Nihil tam occultum eſt, quod inuentionis locis non aperiatur: nihil tam incertum, támque confuſum, quod diſpoſitionis concluſione, & ordine non conformetur, non componatur. Et hæc dialecticæ inuentionis & diſpoſitionis decreta non ſolùm ſupra phyſica, ſed ſupra mathematica, ſupra ethica, ſupra omnium artiũ denique decreta, & ſi voles, μετὰ, quaſi trãs interpretari τὰ μετὰ τὰ τῶν πασῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν δόγματα verìſsimè poſsis appellare. Quamobrem ne Ariſtotelei falſis metaphyſicorum ſomniis veritatem dialecticæ conturbent: nec definiendi ſcientiam ad illa deliramenta referant, vnde nulla verè ac ſapienter definiendi coniectura poſsit elici.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimusſextus.

De octauo Topico.

Sed de metaphyſicis ſatis. topicum ſeptimum, vnde digreſſa eſt oratio noſtra, concludamus: ad octauum tranſeamus. De tribus topicorum Ariſtotelis partibus duas exequuti ſumus: primam de quæſtione, ſecundam de inuentione. Diſpoſitio videtur eſſe reliqua, quam perſequamur: & eam videtur Ariſtoteles octauo topico velle interpretari, cùm ait: poſt hæc autem de ordine & quonā pacto oportet interrogare dicendum. Verùm nullum de diſpoſitione, aut ſingulorum argumentorum, qualis eſt in ſyllogiſmorum modis, aut variorum, quæ methodus eſt, præceptum ponit: niſi fortè paululum de occultatione, quod ad methodum poſſit referri, de quo ſuo loco: inuentionis etiam quoſdam generales locos ex definitione, coniugatis, ſimilibus, partibus, genere, ſpecie, contrariis, contradicentibus, ad extremum rurſus hic inuoluit nouis tenebris & confundit. Partitio autem eſt initio huius topici, quam magnopere conſiderandam eſſe arbitror. Oportet autem (ait Ariſtoteles) primum quidem eum qui interrogare debet, locum inuenire, vnde ſit argumentandum: ſecundum autem interro-

Dialectica partitio.

" gare & ordinare ſingula apud ſeipſum:reliquum ve-
" rò,& tertium dicere iam eadem ad alterum. Hîc *A*riſtoteles totum negotium dialecticum tres in partes diuidit, inuentionem, diſpoſitionem, eloquutionem. Eloquutio autem rhetoricæ pars eſt, nõ dialecticæ: neque hîc vllum de tropis, figuris, numeris, (quæ ſunt elocutionis laudes) verbum eſt: ſed tamen Deum immortalem ſpectate ô Ariſtotelei hanc partitionem inuentionis & diſpoſitionis: & reuocate in memoriã, quæ initio de dialecticæ artis partibus diſputaui, prætermiſſionem huius partitionis occaſionem Ariſtoteli infinitarum tenebrarum fuiſſe. Nam ſi ad inuentionem reuocaſſet Ariſtoteles inuentionis omnia genera, generúmque partes & ſpecies, ſinguláque definitionibus & exemplis illuſtraſſet: prædicabilia, prædicamenta, interpretationes, abundantia propoſitionum, inuentio medij, analytica poſteriora, tot topica ad confundendã & conturbandam inuentionem nunquam extitiſſent: partitio in quam hæc omiſſa & neglecta tantæ caliginis, quantam adhuc expendimus, cauſſa fuit: quam tamen etiam hîc ab Ariſtotele licet confuſe, tamen adhibitam eſſe vehementer gaudeo, vt Ariſtotelis teſtimonium ad Ariſtotelem condemnandum, tã proprium, tam paratum, tam clarum, tam denique certum haberemus. At pergamus, & totum hoc topicum diligentius & accuratius expendamus. Quid igitur hîc Ariſtoteles inſtituit? quid diſpoſitionis nomine præcipit? Altercãtibus in ſchola Ariſtoteleis de problemate accidentis, generis, proprij, definitionis, arma videli-

cet ſuppeditantur ei penitus inſtituto conuenientia: de quo in definitione inuentionis primo capite primi topici dictum eſt, ne ſcilicet egregij altercatores Ariſtotelei in problematis altercatione vincantur. Placet enim Ariſtoteli talem dialecticum informari, qui aduerſarium omnibus argumentis veris, an falſis nihil interſit, oppugnet: ac ſi fieri poßit, expugnet. Hîc interrogantis ad Ariſtotelicam dialecticam finis eſt, iure vel iniuria, virtute aut fraude vincere. Reſpondentis autem definitur officium reſiſtere forti præſentíque animo: nec vllo pacto cedere: & paribus artibus interrogantem tractare, atque ab illo tractatus ſit. His præclaris officiis ornantur Ariſtotelei de problemate diſputatores ad pertinaciam, proteruitatem, petulantiam, id eſt eximiam & ſingularem ſophiſticam: ídque quod in Martij, idem in Ariſtotelici prælij furore, ſcilicet valebit. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Hîc pretioſiſsimum victoriæ præmium redargutio (quod Ariſtoteles in elenchis caput omnis ſophiſticæ artis efficit) ab Ariſtoteleis, modis omnibus appetitur.

Vincere & vinci quomodo pulchrum & turpe.

Nónne pulchrum eſt (inquies) vincere? turpe vinci? Nuda iſta ſi ponas, qualia ſint æſtimari non facilè poteſt: cauſſa ſi diſtinguantur, facillimè poteſt. Virtute & laude vinci, fortaſſe ſit moleſtè ferendum, ſtultitia & vitio ſuperari, prædicabile & gloriandũ: ita vincere non pulchrum, & vinci honeſtum eſſe poteſt. Sed Socratis, ſi lubet, hac de re excellentem ſententiam audiamus, ne paradoxa Ariſtoteleis canere videamur. Sic enim Socrates cũ Gorgia apud Platonẽ: Quòd ſi ex

„ *eorum numero es, è quorum ſum ego, libẽter abs te, quæ*
„ *inſtitui, perquiram: ſin minus, dimittam. Si quorum*
„ *ego ex numero ſum quæras, reſpondebo ex his, qui li-*
„ *benter redargui ſe patiuntur, ſi quid falſum ineptúm-*
„ *ue dicant: libenter etiam redarguunt, ſi quid minus*
„ *verè dicatur: quibúſque nõ minus reprehẽdi, quàm re-*
„ *prehendere gratum eſt: tanto enim melius exiſtimo id*
„ *eſſe bonum, quanto maius bonum eſt maximo quodam*
„ *liberari malo, quàm alios liberaſſe. Nihil enim tam*
„ *pernicioſum eſſe hominibus arbitror, quàm opinionem*
„ *falſam, in his videlicet rebus, de quibus præſens à no-*
„ *bis ſermo eſt inſtitutus. Itaque ſi & te eſſe talem affir-*
„ *mas, age diſputemus: ſin verò dimittendum cenſes, di-*
„ *mittamus iam, cœtúmque ſoluamus. Gorgias, dico pro-*
„ *fectò ô Socrates, me quoque huiuſmodi eſſe, qualẽ mo-*
„ *dò deſiderabas. Hæc illi. Quamobrem ne pudeat Ari-*
ſtoteleos, ſi in praua ſententia ſint, ab aduerſario vin-
ci: præſertim cùm idem magiſter Ariſtoteles redar-
gutionis illud tam contentioſum ſtudiũ ſophiſtæ ſum-
mum finem in elenchis faciat. Argumentis non pluri-
bus nobis opus eſt, vt doceamus Ariſtoteleum & ſo-
phiſtam idem eſſe. Verùm has ſophiſticas artes videa-
mus, & excutiamus paulo accuratius: hîc enim mira-
bile neſcio quid Ariſtoteles ineſſe arbitrantur. Inter- Partes interrogantis.
rogantis partes primum videamus, & quanuis obſcu-
riſsimè traditæ ſunt, aliquo tamen partitionis adhibi-
to lumine diſtinguamus: & tamen Ariſtoteleorum
verbis quoad fieri poſsit exprimamus. Interrogãti ſpe-
ctanda duo proponit Ariſtoteles; argumentationem

& quæſtionem: orationem vocat Boetius & poſitionẽ: argumentationem prius iubet Ariſtoteles ſpectandam eſſe, deinde quæſtionem, contraquàm fieri decuit: à quæſtione enim argumenta ducuntur, vnde fit argumentatio: & paulò pòſt Ariſtoteles ipſe reſpondentem iubet antè de quæſtione conſiderare, quàm de argumẽtatione: nihil adhuc hîc niſi confuſionem & inconſtantiam arguo: quæ laudes ſunt Ariſtotelis propriæ. Secundo loco præcipit Ariſtoteles, vt interrogans videat argumentationis & partes & ſpecies. Hîc noua eſt confuſio: mens enim hominis in diſſerendo non incidit in has vias, ſed quæſtione poſita argumentum quæritur: quo reperto & diſpoſito quæſtio ipſa explicatur & expeditur: fallax igitur eſt iſta præceptio. Partes argumentationis alias neceſſarias, alias aſſumptas inſtituit. Hoc etſi verum eſt, tamen eſt eiuſdem erroris, quia non hoc modo progreditur diſputantis cõſideratio. Neceſſariæ argumentationis partes ſunt propoſitio & aſſumptio: verum eſt: quid tum? Hæ non ſtatim præordinandæ & abeundum ad ſuprema: ſin verò illæ non ponuntur, per inductionem ſumendæ. Sic Ariſtoteles captioſe inſtituit interrogantem. Quid verò, ſi pars vtraque ſyllogiſmi clariſsima ſit, an non primo quoque loco conſtituenda eſt? cur enim diſsimulanda? hic autem diuiſionis argumentum ex partibus ad totum nomine inductionis cõfunditur. Aſſumptas ſyllogiſmi partes Ariſtoteles in rationes quatuor diuidit, inductionem, occultationem, ornatum, perſpicuitatem: ridicula prorſus & vana diſtributione. Indu-

Syllogiſmi partes neceſſariæ.

Partes aſſumptæ.

ctio enim ad neceſſarias partes adhibita prius eſt, nūc partibus aſſumptis ſubiicitur, & paulò pòſt quanuis nunc inter argumentationis partes adhibeatur, inter ſpecies recenſebitur, mirifico inconſtantiæ & leuitatis ludibrio. Occultandæ rei gratia quæ ab aduerſario impetranda ſit, Ariſtoteles duodecim partes facit, quas diſtingam ſuis præceptis, & verbis exprimam, quoad potero, Ariſtoteleis. Occultatio.

Ratiocinatione præcolligere, per quæ ſyllogiſmus fiat.

Concluſionem non dicere: vt cùm tandem dicetur, quæratur propter quid.

Non continua poſtulata ſumere.

Definitione ſumere vniuerſale in coniugatis.

Proponere velut alterius gratia.

Per ſimilitudinem interrogare.

Sibimet quandoque inſtantiam ferre.

Dicere velut vſitatum, & tanquam aliud agere.

Vt in ſimilitudine proponere.

Proponere cui ſumendum eſt ex neceßitate conſequens.

Vltimo rogare, quod maxime opus ſit, cōtra verò ad proteruum.

Prolongare, & interponere quæ nihil ad rem.

Ex argumentis communibus hîc tria confunduntur, definitio, coniugatio, ſimilitudo: quaſi res è cæteris argumentis occultari etiam non poßit, & poſtremo loco Ariſtoteles ſophiſmatis (quod ipſe in elenchis interro-

gationes plures vocat) fallaciã ponit, & ſophiſticam pro dialectica inſtituit. Cætera verò vt ſuppreſſa quæſtione res ipſa argumentis confirmetur, ſenſim & diſſimulãter progrediamur, reſiſtamus nobiſipſis aliquãdo, vſit vè & negligenter & bona fide agere videamur, opportunè res intexamus, commoditatis aliquid haberent, ſi non ad ſophiſticè redarguendum, quem finem hic Ariſtoteles ſuis altercatoribus propoſuit, ſed ad bonum & verum perſuadendum adhiberentur. Sequitur tertia pars aſſumptarum partium ex ornatu per inductionem & diuiſionem, id eſt, ex partibus & toto. Hîc non dicam quoties iam confundatur inductio in partibus neceſſariis, aſſumptis: ſed Ariſtotelem interrogabo, quid hic ſomniet, an ad ornandam & amplificandam diſputationem diuiſionis locus ex partibus & toto ſolus aut præcipuus ſit, non cætera argumẽtorum genera, non etiam omnes troporum, figurarum rhetoricæ formæ ad augendã & amplificandam quãuis orationem & diſputationem plurimum valeant. An hic Ariſtoteles, ſicut aliis locis permultis antea fecit, declarare voluit ſe quid præciperet, ignorare? Poſtrema pars aſſumptarum partiũ perſpicuitas eſt, Ariſtotelis inſtituto planè contraria: docet enim proximo loco quomodo ſit occultanda diſputatio, & ad id perſpicuitatem adhibendam exiſtimat. Sed tamen hoc tã ſingulare Ariſtotelis præceptum audiamus: ad perſpicuè docendum, ait, exempla ſunt adhibẽda nobilia & inſignia, qualia videlicet ſunt apud principem poetarum Homerum, nõ obſcura & contempta, qualia ſunt

Perſpicuitas.

apud vilißimum poetarum Cherilum. O vocem non Ariſtotele tot ſophiſmatum & tenebrarum authore, ſed omnium philoſophorum principe digniſsimam! O me expeditum planè & explicatum! O me etiam Ariſtoteli magno beneficio obligatum! Diſputo totis his animaduerſionibus definiendũ, partiendum: hoc Ariſtotelei ægerrime concedunt: addo ad perſpicuè docendum, inſignibus exemplis vtendum eſſe: hîc mihi iraſcuntur ac illudunt. Itaque magnas gratias ô Ariſtoteles tibi debeo, qui me teſtimonio tam claro & authoritate tanta aduerſus Ariſtoteleos tuos ad tuas tenebras refellendum & damnãdum adiuues. Tu enim tibi verißimè præcipienti non obtemperas, nullo inſigni, aut populari, id eſt, Homerico exemplo in tã multis logicis tenebris vteris: omnia ſophiſticis, ſæpe etiam nullis exemplis obſcuras: hoc ex tuo præcepto, ex tua lege reprehendo, & Ariſtoteleis tuis iudicium tuum de teipſo profero. Atque hæc de confuſione partium diſputationis & neceſſariarũ & aſſumptarum. Species ſequuntur inductio & ſyllogiſmus: inductio iam ſæpius hîc confunditur, & antea docui non eſſe argumentationis, ſed argumenti ſpeciem ex diuiſionis loco, cùm ex partibus totum concluditur. Octo ſunt Ariſtotelis præcepta ad inductionem, primùm quòd magis ad multitudinem ſit adhibenda, quàm ad dialecticos. Dixi primo topico (cùm aſſumptione addita inductio ſyllogiſmus ſit, & idem argumentum inductione & ſyllogiſmo tractari poßit) perridiculum eſſe Ariſtotelicum inductionis & ſyllogiſmi diſcrimen: nunc verò Ari- Species argumentationis.

ſtotelis conſilium mirificum audiatur. Ariſtoteles in topicis inſtruit Ariſtoteleos de problemate accidentis, generis, proprij, definitionis in ſchola clamãtes: & iubet vt inductione potius ad multitudinem, quàm ad dialecticos vtantur: quaſi hæc ſophiſmata apud vulgus ſimplex & imperitum, non apud aſtutum ſophiſtam & callidum tractentur. An igitur hoc eſt præcipere, an ſomniare, cùm ſophiſticas ſcholaſtici problematis altercationes inſtituas, dictare quomodo ſit ad populum agendum? Similis eſt de ſyllogiſmo ſapientia, vt non ad multitudinem adhibeatur: quaſi ſimplex agricola nullos ſyllogiſmos faciat, nullam concluſionis veritatem intelligat: & dialectica non ſit naturale dei donum, ſed ſophiſticum Ariſtotelis inuentum. Cætera & inductionis & ſyllogiſmi præcepta planè inutilia ſunt, nec digna quæ refellantur: niſi fortè illud de ſyllogiſmi præceptis penultimum, quòd non omnis quæſtio dialectica ſit, ſed quæ quærit in vtranque partem. At de hoc errore ſatis antea dictum eſt primo topico.

Quæſtio quæ facilis *Reliqua eſt de interrogantis partibus quæſtio, cuius difficultatẽ monet Ariſtoteles ex primis, poſtremis, principio proximis, non legitimè definitis ſpectandam, ſed Ariſtotelicè, id eſt, tenebricoſe, non ex dialectica luce & ratione. Facilis enim quæſtio eſt, cuius cauſſæ, facta, cæteráque argumenta clara & nota ſunt: contrà verò difficilis. Quamobrem tota hæc interrogantis Ariſtotelici præcepta non ſolùm confuſa, ſed inutilia ſunt. Iã*

Reſpõdentis partes. *reſpondentis partes conſideremus: in iis Ariſtoteles primum de quæſtione præcipit, & errorem ſuum de inter-*

rogantis officiis conuincit, in quibus de quæſtione poſteriore loco dixerat. Conſiderare porrò conditionē quæſtionis & naturam neceſſe eſt: vt in re graui diligentius & accuratius animaduertatur quæ res agatur: verùm non ad hāc probabilis & improbabilis (quam Ariſtoteles ſomniat) diſtinctionem dialectica prudētia reſpicit: ſed ad argumentum, quo oppugnatur: ad argumentationem, qua argumētum diſponitur, id eſt, ad inuentionem & diſpoſitionem: huc enim dialectica tota refertur: tenebræ itaque omnes hæ ex illarum principum partium inuentionis & diſpoſitionis ignoratione profectæ ſunt. In argumentationis partibus (quas ait ſuſtinendas eſſe concedendo, negando, dubitando, diſtinguendo, reſiſtendo, ſoluendo, prohibendo) monet Ariſtoteles res valde ridiculas: ſi quod agitur, probabile aut improbabile ſit, concedendum: ſi ſit alienum, cur concedendum potius, quàm irridendum & reiiciendum, cùm ſit ineptum? probabile & improbabile, ſi ſit aptum, declinandum: illud, quia propinquū quæſtioni, hoc, quia ſit abſurdū: cur probabile & aptū non ſimpliciter concedendum? quid aliud omnino concedetur? Certum & alienum dandum, aptum ſuſpendendum: cur non vtrumque explodendum? illud quia ineptum, hoc quia non ſit probabile? Inopinabilis ſuppoſitio fugienda: at paulo ante de improbabili poſitione ſuſtinēda præceptum ab Ariſtotele eſt poſitum. Sed hæc in partibus: in argumētatione ipſa quàm ſubtiles præceptiones, quàm Ariſtotele dignæ ſunt! vitioſa oratio eſt, ait, ſi cōcludat additis aut ablatis quibuſdam.

ſi.

Ergo Ariſtotelis iudicio omnis Enthymematis & imperfecti aut perfecti quidem, ſed amplificati partibus ſyllogiſmi vitioſa concluſio erit. At omnis ſermo diſputatióque oratorum, poetarum, philoſophorũ, omniúmque hominum ferè talis eſt: & Ariſtoteles in officiis interrogantis præcepta dedit de ſyllogiſmi partibus nõ neceſſariis, ſed aſſumptis ad neceſſarias amplificandũ. Ariſtoteles igitur Ariſtotelem teſtimonio Ariſtotelis condemnat. Deinde verò quæ nugæ ſunt iſtæ? quia non concludat, quia non ad rem concludat, argumentatio vitioſa dicitur ab Ariſtotele: & denuò alius in præceptis propter eaſdem cauſſas falſa nominatur: & aliud tamen inculpationem argumentationis per ſe, & falſam argumentationem Ariſtoteles facit. Quæ pueriliras eſt iſta? modò inculpationes orationis (ſic argumẽtationem vocat Boetius) ſecundum ſe facere quinque, modò quatuor falſæ argumẽtationis ſpecies diſtribuere, modò tres conſiderationes enumerare in vniuerſum, an concludat, an verum concludat, ex quibus concludat. An nunquam de tanta inconſtantia Ariſtotelei cogitabunt? In petitione principij damnat Ariſtoteles vſum generis, ſpeciei, vniuerſæ denique diuiſionis, & ex illis argumentis probationem reprehendendam, & ſophiſticam dicit eſſe. Quàm autem falſo? quàm etiam inconſtãter? quàm denique Ariſtotelicè? Quoties enim generis, ſpeciei, partium argumenta in topicis Ariſtoteles commendat? Deinde verò quis horum argumentorum futurus eſt vſus, niſi vt ex toto partes & partibus totum cõcludas? At hoc ſummum vitium eſſe de-

cet Ariſtoteles, & in petitione principij pro ſophiſmate numerat. Poſtremo in petitione contrarij qualis, & quàm inaudita, & quàm ridicula atque inſulſa infantia eſt? Ariſtoteles locis infinitis argumentũ è contrariis laudat & commendat: at nunc ut vitioſum, & reprehenſione dignum notat, quin ſophiſticum eſſe iudicat. En igitur interrogantis & reſpõdentis Ariſtotelei arma ſophiſtica, ſed non minus ſophiſticè deſcripta: ubi loci inuentionis qui ſeptem ſuperioribus libris tam ſæpe, tam Ariſtotelicè iterati & repetiti, rurſus offunduntur, definitio, partes, partes, coniugata, ſimilia, ſimilia, partes, totum, definitio, genus, ſpecies, contradicentia, contraria, totum, partes. Hic Ariſtoteles teſtimonio ſuo octies in topicis recitato, & pronuntiato errorem illum ſuum grauiſſimum confitetur: quo negauerat quinto capite primi topici inuentionem communem omnium problematum tradi poſſe. Diſpoſitionis verò (ad quã tamen videntur tam multa Ariſtotelis nugæ referri) nullum ſolidum præceptum topico octauo eſt. At iam tempus eſt, vt topicam Ariſtotelis confuſionem concludamus: de duabus enim quæſtionibus nobis initio propoſitis, item de tertia, quæ cõnexa duabus ſuperioribus eſt, tametſi eſt in ſingulis topicis accuratè diſputatum, quàm multa non neceſſaria confuſa eſſent, quàm multa neceſſaria prætermiſſa, quàm nullis propriis artibus, vt Ariſtoteles receperat, quatuor problemata ſint inſtructa: tamen idipſum magis eluceſcet vniuerſa rerum comparatione: ſtellæ enim in topicis Ariſtoteleæ confuſionis tenebris quadam

Ariſtotelica locorũ ταυτολογία in octauo topico.

Confectariũ de locis problematum cõmunibus.

Peroratio vniuerſæ topicæ cõfuſionis, vbi de rebus omiſſis primũ.

ſ.ij.

alluxerunt: at nox tamen adhuc eſt. Verùm ſi totã artis noſtræ deſcriptionem cũ tota Ariſtotelicæ matæotechniæ caligine, generalem, & vniuerſum vſum cum abuſu ſummo atque vniuerſo comparemus, non iam ſtellarum diſtincto, & finito lumine, ſed ſolis & tota, & vniuerſa, & omnia colluſtrante luce topicas Ariſtotelea noctis tenebras expellemus. Hæc igitur peroratio, hic epilogus nobis addendus eſt: in eóque primùm Ariſtotelei de ſuis commodis amicè & familiariter adhortandi ſunt, vt ſe ad naturalis, & rationis, & vſus (quæ regula ſumma & prima, & ſingularis, & vnica eſt in huius diſciplinæ perſpicienda veritate) lumen referant. Itaque iam vos Ariſtotelei moneo, & ſi patiamini, vehementer obſecro, Ariſtotelis veſtri authoritatem, nouitatem etiam noſtrã ex animis & iudiciis veſtris tantiſper deponite: ac in hanc deliberationem per Deum optimum maximum libera mente penitus incumbite. Ariſtoteles videtur in octo topicis vniuerſam quandam dialecticæ rationem animo comprehendiſſe: qui de quæſtione, de inuentione, de diſpoſitione dialecticæ artis his octo topicis cogitarit: Verùm quia de diſpoſitione ferè nihil (nihil enim de ſyllogiſmo prima diſpoſitionis regula: puſillum de methodo, poſtrema parte) loquutus eſt Ariſtoteles: ea tantum quæ hîc confunduntur, cum noſtris inſtitutionibus conferemus. Quare agite hoc expendamus, & ratiocinemur. Nos dialecticam artem ex imitatione naturæ totam deducimus, & ad omnem humanæ prudentiæ vſum congruenter definimus. Ariſtoteles initio topici primi

Quæſtio ſecũda de prætermiſſis neceſſariis.

ita definit, vt ſingulis definitionis verbis erret ac labatur: ac dialecticam à communi rerum omnium vſu ad ſophiſticas otioſæ & inertis ſcholæ altercationes reuocet. Nos quæſtionem definimus, & partibus ad vſum diſſerendi neceſſariis explicamus. Ariſtoteles falſa quæſtionis, & finitione, & appellatione, & diuiſione hāc doctrinæ partem totam perdidit. Nos initio poſt quæſtionem definitam partimur artem in legitimas partes, inuentionem & diſpoſitionem. Ariſtoteles initio nil legitimæ partitionis illius oſtendit: ſed tandem tot tenebris inuentione confuſa, redundantem, & planè Ariſtotelicam partitionem conturbat in inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem. Nos inuentionē definimus, diſtribuimus in membra & partes. Ariſtoteles ridiculam diuiſionem, confuſa tamen antè ipſius vna parte, facit inſtrumentorum & locorum: cū & loci inſtrumenta, & inſtrumēta loci ſint. Nos ſingula argumētorū genera definitionibus & partitionibus, tū generatim, tū ſingulatim declaramus. Ariſtoteles horū nil omnino definit legitimè, nil ex ordine partitur, ſed inaniſſima & plane Ariſtotelica ταυτολογίᾳ & mataeotechnia milies confundit: de pleriſque etiam ne verbum quidem facit: nihil enim de efficientium modis, de materia, de ſubiectorum & adiunctorum, déque contradicentium tam variis generibus, de repugnantibus, de paribus, de tota diſtribuendi ratione & doctrina, de teſtimoniis diuinis in totu topicis loquitur. Nos omnes locos definitionibus, partitionibus expoſitos, inſignibus exemplis illuſtramus & ornamus:

quibus & doctrina facilior, & doctrinæ vſus promptior efficitur. Ariſtoteles octauo topico ad perſpicuè docendum, Homerica exēpla iubet adhiberi, non Cherilea. At ne Cherilea quidem adhibet. Hæc Ariſtotelis eſt doctrina, qua topicas argumentorum communes & generales formas expoſuit: ad quas ſi tot calceos, quot in ſingulis topicis recenſuimus, ſi tam putres & abiectas ſoleas à voluptate, poſitione, ablatione, metaphora, poteſtate, paßione, ſenſu, participatione, idea, ſuperabundantia, appetitu, complexione ente, compoſitione, & eiuſmodi topicis, & Ariſtotelicis coriis: deniqueſi ſophiſmatum ſordes aſſutas ex æquiuocatione, amphibologia, petitione principij, nugatione aggregaueris, horrendum doctrinæ genus efficies, in qua non modò nihil definiatur, nihil diuidatur, nihil exemplis illuſtretur, ſed omnino nihil ferè doceatur affirmando, nihil ſolidum inſtituendo, ſed inficiando, & negādo nugatoria, ſophiſtica, falſa matæotechnia confundatur. Quamobrem iam nihil verebor, ne quis me ſuperbè potius, & arroganter, quàm verè & conſtanter loqui putet, ſi dicam topica Ariſtotelis confuſioni tanto præſtare atque excellere inſtitutionum noſtrarum deſcriptionem, quanto denſiſſima, & caliginoſiſſimæ nocti præſtet & excellat clariſſimi ſolis dies & illuſtriſſimi. Hæc magnifica in hoc certamine victoria ſit, ſi res æquis iudicibus diſceptetur.

Quæſtio de vſu. *At Deum immortalem quantis omni & definitionum & partitionum, & exemplorum luce, digni-*

tate, veritate, tenebras, ineptias, commenta Ariſtotelis vincimus: tamen non recuſo, quin Ariſtotelis tanta, támque iners & ignaua confuſio omni ſapientiæ laude celebretur: niſi tanto omnis & vtilitatis & vſus ratione ſuperiores Ariſtotele fuerimus, quanto ordine doctrinæ & explicatione clariores & numeris omnibus abſolutiores extitimus. Fingite Ariſtotelem nobiſcum nõ Ariſtoteleos agere, ac magiſtrum ipſum de doctrina ſua vſu, déque totis illis quæſtionibus, quas antea attigimus, interrogari: quid hîc Ariſtotelem reſponſurum exiſtimatis? Nónne vt conſtantiæ ſuæ rationem habeat, idem quod ſcriptis ſuis profeſſus eſt, voce reſpondebit? topicam doctrinam inſtitui (dicat) per quam in ſchola dialecticus diſcat de accidente, genere, proprio, definitione diſputare, & ſcholaſtica duntaxat exercitationis, & altercationis gratia topica conſcripſi. At ô magiſter Ariſtoteles, ego te πρὸς τὴν ἀναλυτικὴν ἀπόδειξιν reuoco, de qua initio. Quãobrem dialectica ad hæc vocabula quatuor alligatur, quæ res omnes explicare atque interpretari debeat? Non quæro an problematis falſa partitio, vera ſit: ſed quæ te cauſſa impulit, vt ad hæc vocabula quatuor, inuentionem dialecticam referres: an ſi neceſſaria eſſet quatuor vocabulorum cognitio, nõ potuit quatuor definitionibus, quatuor exemplis perſpicuè, propriè, ſuccinctè tota res explicari? quamobrem in ſcholam dialectica ita compingitur, vt non niſi de ſuis quatuor particulis clamitet? An grammatica & rhetorica in clamore de ſuis præceptis exercetur? At inquies (ſic enim te defendas,

Ariſtotelis topica nõ rectè ad quatuor problemata referuntur.

ſ.iiij.

ut Ariſtotelei te ſolent) cùm probè dialectici fuerint in his quatuor problematis de accidente, genere, proprio, finitione exercitati, facilè de rebus aliis omnibus diſputabunt. Primum Ariſtoteles, quî poteſt fieri? Nã ſi per quatuor problematũ tuorũ clamores poſſis de rebus omnibus diſputare, quid reliqua tua logica opus eſt? quid prædicamentis? interpretatione? analyticis & prioribus & poſterioribus? quid denique his quatuor problematis exceptis, tota logica, tota dialectica opus eſt? An qui puer mille ſe annos cruciauerit in clamore de nomine & verbo, nullam exercitationem ſcribendi, nullum loquendi vſum addiderit, poterit de rebus omnibus purè & emendatè ſcribere ac loqui? O Ariſtotelem ἀριστοπλικότατον! ô Ariſtoteleos Ariſtotelis ſimillimos! An in ludo gladiatores aliter edocentur, quàm ſint in arena certaturi? An aliis in rebus hiſtriones exercentur, quàm in ſcena queant imitari? Cur igitur Ariſtotelei alia in ſchola meditantur, quàm ſeriis in rebus ſint acturi? Exerceatur verò puer non ſolùm in quatuor vocabulis artis ſuæ, ſed in totius artis & omnium eius partium vſu: trãsferat omnes doctrinæ ſuæ partes interpretando, meditando, declamando, ad ingenij, ad iudicij, ad prudentiæ confirmationem. Mementote Ariſtotelei hac quatuor vocabulorum tã quadrata Ariſtotelicæ exercitationis altercatione, quinam philoſophi facti ſint: cogitate, & animis veſtris ſubiicite quales dialectici his clamoribus fieri poſſint. Fabricando fabri efficimur (aiunt) at malè fabricando etiam mali, vt benè boni. Didiceris de quatuor pro-

blematis ſophiſticè altercari, ſcies de quatuor problematis ſophiſticè altercari, non propterea de omnibus eleganter, magnificè, ſapienter ratiocinari poteris. Nulla fuit igitur Ariſtoteli cauſſa, quamobrem ad hæc quatuor vocabula dialecticam inuentionem aſtringeret. Sed fac vt initio dixi, quæ falſiſſima cauſſa eſt, eſſe veriſſimam: cur ad hæc quatuor vocabula tot inuentionis matæotechniæ cumulantur? An quia vna quatuor horum vocabulorũ, & quatuor Ariſtotelis problematum communis doctrina inueniri non poterat? aut ſi inuenta eſſet, obſcura eſſet & inſuauis, ideo tot tenebræ ab Ariſtotele repertæ ſunt? At Deus optime maxime Ariſtoteleos hoc poſtremo loco exuſcita: dona illis Ariſtotelicæ ſeruitutis vinculis ſolutam & liberam mentem. Produxi ſingulis octo topicis non peregrinum, & qui ab Ariſtoteleis refelli poſſit, ignotũ aut dubium teſtem: Ariſtotelẽ Ariſtoteli & Ariſtoteleis oppoſui, non ambiguè, non captioſe hæſitantem, ſed re vera ac veritate locos illos omnium problematum, omnium etiam quæſtionum cõmunes non ſolùm omnibus topicis vſurpantem & recitantem, ſed mirifica laudatione prædicantem & celebrantem. Atque etiam, vt omnibus modis afflictam & proſtratam Ariſtotelis topicam caliginem penitus tollamus, fac ad quatuor vocabula dialecticam inuentionem alligari decuiſſe: fac communes locos inuentos non eſſe: inueniri etiam nullo modo poſſe, vt optima ratione ductus ſit Ariſtoteles ad peculiares ſingulorum problematum locos explicandum: quid Ariſtotelei, cùm Ariſtoteles nullos ad

Non rectè ſpeciales inuẽtiones ad hęc quatuor problemata referũtur.

Speciales loci non ſunt ad ſingula problemata tradita.

tronus Ariſtotelis faciet? Vnde initium huius explicationis ſumet? problema nullum eſt, quia non eſt interrogatio in vtranque partem elata: quia non de accidēte, genere, proprio, definitione: quomodo Ariſtotelicam & inſtrumentorum, & locorum, & calceorum, & ſolearum ταυτολογίαν & mataotechniam hic adhibebit? quæ prima requiret? quæ media ſubducet? Non dicam vt antea de diſcipulo Ariſtotelis dixi, ſic Ariſtotelis patronum hîc ploraturum: ſed profitebor & prædicabo facilius manes Ariſtotelis ab inferis excitaturum, quàm rationem huius explicandæ quæſtionis ex topica Ariſtotelis confuſione deducturum. Noſtrum verò dialecticum in hac quæſtione ſi pariter vrgebis, nihil morabitur: eruet primum id de quo agitur, & quod eſt differenti concludendum: rationes & argumenta ſubducet, & ad generis ſui fontem referet, cauſſæne ſint, an effecta: aut quæ de cæteris generibus argumenta, & ex loci proprietate vim eius naturámque ponderabit: conſilium vniuerſæ diſputationis hac conſideratione penitus explorabit: hoc enim didicit, ita ſe exercuit. Poſtremum verò cùm noſter hic dialecticus patronum Ariſtotelis in illo dialectico vſu magnificè vicerit, ad alteram exercendæ artis ſpeciem ſe conuertet: geneſin adhibebit: nec verebitur (cùm ſe ſtudioſe in his meditationū & exercitationum curriculis agitauerit) vel in Ariſtoteleorum conuentu de reliquo dialecticæ inuentionis vſu liberè & conſtanter dicere. Quare par idem rurſum producamus: redeat patronus Ariſtotelis ad ſeſe: nec quanuis victus, tamen

Nulla dialectica geneſis ex Ariſtotelis topicis.

deſperet: quin viribus collectis acrius excitetur. Ponite igitur quæſtionem illam eandem, quæ in prædicamentis fuit, Theticum de homine eſto: ne nos difficili quæſtione videamur iſtorum hominum nationem terrere ac turbare velle: aut ſi quid in Ariſtoteleorum ſchola facilius erit. Quid hic patronus Ariſtotelis ex octo topicorum diſciplina, quàm ſe ingenioſum, quàm ſolertẽ dabit? Non pono problema de accidẽte, genere, proprio, definitione: de quo ſit Ariſtotelicè clamandum, ſed quæſtionem ſtatuo, de qua ſit dialecticè diſſerendum. Ac me deus ille parens & author huius rationis dialecticæ, de qua tantopere aſſeueramus, ſic amet, Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui, Aut freta deſtituent nudos in littore piſces, quàm poßit patronus Ariſtotelis è topicis Ariſtotelis tenebris, ſic confuſis, ſic ad problema religatis, ſic calceorum ineptiis, ſic putribus ſolearum coriis, ſic ſophiſmatum ſordibus inuolutis vllam dialecticæ lucis ſcintillam excutere. Non iſtis artibus Theophraſtus, nõ iſtis nugis Eudemus, nõ iſtis ſophiſmatis Ariſtotelis diſcipulus vllus, non denique Ariſtoteles ipſe, qui hîc tam Ariſtotelicè nugatur, philoſophus eſt effectus. non erat iſta æmulationis Iſocraticæ ſolertia. Alia via diſſerenti ineunda eſt: aliis ratiocinanti curſus tenendus: aliud iter ad hanc prudentiam contendenti ſequendum. Da mihi contrà, cùm erubueris, aut frontem perfrixeris ô Ariſtotelee patrone, de homine, de Deo, de terra, de cælo, de mundo, de rebus denique omnibus quã voles quæſtionẽ: propone quicquid animo comprehenderis, & quare cõ-

Conſuetudo viui Ariſtotelis.

filia noſtra artis & vſum ad hoc explicãdam: cauſſas rerum iubebo te ſpectare, quæ tam multiplices variam ſcientiam afferant, & quamobrem, & vnde, & quomodo, & ex quo res eſt: deinde & facta, & ſubiecta, & omnibus modis adiuncta: quæ & certas, & firmas notas, & veriſimiles coniecturas infinitas præſtabunt: tum diſſentanea prorſus admirandæ conſiderationis, & comparationum tot exornationes, & ante oculos ſubiectiones & verborum notas & coniugata: è quibus partium varietatem diuidamus, & totam naturam definiẽdo cõplectamur: poſtremo doctorũ & probatorũ hominum ſententias, authoritates, è ſacris etiã literis oracula & vaticinationes: cuius tantæ, támque incredibilis vbertatis & copiæ doctrinam, ſi differendo & diſputando ſequare, non ingemiſces, vt Ariſtoteleus in Ariſtotelea matæotechnia & ſophiſtica artis ſimulatione: ſed prudentibus conſiliis inſtructus ad ratiocinandum, explicandum, confirmãdum, refellendum, docendum accedes. Atque hæc de topica Ariſtotelis arte, de topicæ artis vſu, quem Ariſtoteles præceptis topicis inſtituit. Quibus rebus tam multis refellendis tametſi quaſi longiſsima via confecta feſsi, laſsi, fatigati ſimus, de vobis tamen Ariſtotelei prius eſt illud breuiter etiam requirẽdum, quàm requieſcamus, quomodo tot topica exerceatis: hoc enim nobis eſt initio propoſitum. Vos igitur Ariſtotelei, quid hîc agitis? quomodo topica exercetis? Ariſtotelei nulla in re magis Ariſtotelem audierunt, quàm in topicis. Ariſtoteles hic præcipit dialecticam exercendam eſſe in dialectica

præceptis, ut tota clamet de genere, & definitione (quæ duæ ſunt inuentionis partes) item de accidēte & proprio, quæ nihil dialecticæ omnino ſunt: Ariſtotelei exercent dialecticam in ſchola, ut Ariſtoteles iubet, & clamando de præceptis, ut Ariſtoteles docet: atque Ariſtotelem etiam hac ſapientia Ariſtotelei ſuperāt. Non enim tantum clamant de accidente, genere, proprio, definitione, ſed maximè de terminis, de prædicabilibus, de prædicamentis, de interpretatione, tum de reliquis Ariſtotelicæ caliginis tenebris biennium integrum clamant, altercantur, ſudant. Hæc apud Ariſtoteleos & in topicis & in reliquis Ariſtotelis logicis eſt corporis magis, quàm animi exercitatio. Quamobrem cùm tam cæcis, támque atris noctibus tādiu hominum mentes ſopitas & ſepultas fuiſſe miſerum & miſerandum ſit: contra tantam liberalis & ingenuæ diſciplinæ calamitatem opera, ſtudio, diligentia, labore, induſtria, mēte, totis denique viribus pugnandum eſt & dimicandum: diſtinctionum hydris (quibus iſtæ tenebræ ab Ariſtoteleis defendi ſolent) acriter eſt obſiſtendum. Hydram enim Plato non fabuloſum & poeticum monſtrum, ſed captioſum & fallacem ſophiſtam (contra quem diſputauit Hercules) ait fuiſſe: qui cùm ſe victum diſputando ſentiret, aculeato aliquo ſophiſmate tamen integrum certamen renouaret. Amputaueris mendacia & commenta, id eſt, capita Ariſtoteleæ confuſionis, pro vno repente ſeptem diſtinctione aliqua ſcilicet reſtituentur. Herculis conſiliū contra has hydras imitemur: igne conſuetudi-

nis & vſus atque humanæ prudentiæ flamma mõſtra-ſta crememus & comburamus: nec enim ardorẽ tantum naturalis vſus, flammámque tam ſplendida, támque coruſcæ veritatis diutius perferent, flagrabunt, & exurentur. Securim illam veriſſimæ demonſtrationis, qua ſemper vſi ſumus, qua ſemper vtemur, tam idoneã, tã grauẽ, tam his erroribus amputandis aptã & conuenientẽ ad radices putridæ falſitatis ad extremũ rurſus adhibeamus: oẽs iſtas ſpinas penitus excindamus. Vſus artis exigit vt præcepta perſpicuè et ſuccinctè doceãtur.

Quicquid præcipies, eſto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.

Præceptionum autem vſus dies & noctes adhibeatur: Ariſtotelis autem & Ariſtoteleorum inuentiones nihil apertè definiendo, nihil acutè partiendo, nihil popularibus exẽplis illuſtrando declarant: ſed multa non neceſſaria commiſcent: multa neceſſaria non docent: eandem rem milies iterant: vſum autem nullũ, niſi in ſophiſticis clamoribus demonſtrãt. Quare Ariſtoteleī colligamus nos aliquando, & poſita Ariſtotelea proteruitate, tandem ſerio philoſophemur: naturæ cõſiliis vtamur ad neceſſitatẽ uitæ: opinionibus, erroribus & cõmentis non conturbemur: veritati debitum honorem tribuamus. Sit in dialecticis ſecta nobis non Ariſtotelis, non Platonis, non hominis cuiuſquã, ſed veritatis: cuius ſectatores & æmuli, cuiúſque inueſtigandæ & explicãdæ periti, dialectici nominẽtur. Quicquid huic conſentaneũ erit, laudetur, & ametur: quicquid diſſentaneum erit, damnetur, & è medio tollatur.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſſeptimus.

De primo Analytico.

Qvemadmodum partes inuentionis ab Ariſtotele, & Ariſtoteleis in terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretatione, abundantia propoſitionũ, inuentione medij, in analyticis poſterioribus, in topicis eſſent confuſæ, adhuc eſt diſputatũ: & ea quidem æquitate, vt nullã Ariſtoteli laudẽ veram detrahã, nullã etiam falſam affingã. Hoc enim Ariſtoteli & Ariſtoteleis concedo: multarũ dialecticæ inuentionis partiũ ſignificationẽ in illis ſubductis libris haberi. Verũ ne quid etiã falſæ gloriæ ſibi aſſumant, hoc Ariſtotelei fatebuntur, ſi æqui eſſe volent, pro vno dialecticæ artis verbo, quod in illis ſit libris poſitũ, infinita ineptiſſimorum ſophiſmatum milia permiſceri: & tamen quãuis tã multa nõ neceſſaria cõfundantur, permulta etiã neceſſaria prætermitti. Analytica priora ſequuntur, in quibus de ſyllogiſmo agitur. Hic verò omnes mihi muſæ, & Charites implorandæ ſunt, vt Ariſtotelei æqui & attenti in ſuis cognoſcendis miſeriis velint eſſe. Sic enim veriſſimè cõfirmare poſſum, ſi omnes Ariſtotelicæ tenebræ, quas tam varias ſupe-

rioribus libris, támque multiplices oſtendimus, vnum in locum conferantur, cum ſex tantum capitum (quæ primo analytico prima ſunt) caligine comparari non poſſe: tam eſt incredibilis ſyllogiſmi (qui reliquis analyticis tractatur) confuſio. Quare per Deum optimum maximum adeſte Ariſtotelei: pertinaciam deponite: diſciplinæ nobiliſsimæ veritatem è rebus ipſis, non vanis opinionibus & falſis æſtimate. De diſpoſitione inuentionis, id eſt de ſyllogiſmo, de methodo nũc agitur: his de rebus Ariſtotelis præcepta videamus: noſtra cõparemus, vbi certior doctrina & clarior fuerit, vſus artis vberior & inſignior: ibi conſenſum adiũgamus. Dico igitur hîc idem & affirmo, quod adhuc propoſitum habui: multa non neceſſaria præcepta diſpoſitionis cõfundit Ariſtoteles, multa neceſſaria & vtilia prætermittit: quod vt intelligi poſsit, inſtitutum noſtrum teneamus: lucem definitionum, diſtributionum præferamus, & ſingulis in rebus hæc adhibeamus. Quid eſt igitur dialectica diſpoſitio ô magiſter Ariſtoteles? quæ ſunt eius ſpecies? Hîc Ariſtoteles nihil reſpondet, in eóque morem Ariſtotelicũ retinet: nihil enim adhuc excepta contradictione, dialecticum non dico clarè & ſplendidè, ſed propriè, aut verè definiuit: nihil diſtribuit: neque impoſterum verè quicquam definiet, aut diſtribuet. Qüare ſi nihil hîc definiat, nihil diſtribuat, mirum nihil videatur: nihil enim definire, nihil diſtribuere Ariſtotelicum eſt. Verùm pergamus, lucem illã naturalis veritatis, vſus, conſuetudinis propoſitam ſemper habeamus: ſecundam dialecticæ partẽ,

diſpoſitionem eſſe meminerimus: particuláſque eius omnes quaſdam leges eſſe diſponendi. Ad hanc itaque normam analytica priora perpendamus: an nihil in his ſit, quod non doceat res inuentas diſponere. Capita vt in ſcholis à Boetio diſtincta ſunt, perſequamur, ſicut antè cæteris in libris fecimus: nec omnes errores (id enim eſſet infinitū) ſed eos, qui maximè notabiles erūt, & inſignes. Primi capitis initio Ariſtoteles videtur Ariſtoteleis quibuſdam dicere, vniuerſæ logicæ finem demonſtrationem eſſe, cùm ſic ait: Primùm dicendum circa quid, & de quo eſt intentio, quoniā circa demonſtrationē, & de diſciplina demonſtratiua eſt. Cui vel Ariſtotelis vel Ariſtoteleorum errori obſiſtendum eſt. Artium omnium certus quidam finis eſt, ad quem omnia ipſarū conſilia atque inſtituta referuntur: ſic grammaticæ finis rectè loqui, rectéque ſcribere: ſic rhetoricæ finis, bene dicere. At ex omnibus inuētionis & argumētorum tam multis generibus ſolum cauſſarum locum Ariſtoteles retulit ad demonſtrationem: quia placet ei demonſtrationē fieri ex cauſsis primis & neceſſariis, propter quas res ſit: at ex tam multis & ſyllogiſmi & methodi partibus Ariſtoteles vnicum modum primi generis ſimplicium ſyllogiſmorum ad demonſtrationem retulit: quia docet demonſtrationem in vniuerſis tantùm rebus eſſe, & ex cauſsis: quod affirmando generaliter & vniuerſe efficitur. Non eſt igitur dialecticæ finis demonſtratio, ad quam multo maxima pars & inuentionis & diſpoſitionis nihil attinet. Deinde verò conſiderandum nobis illud eſt, quod

Quæſtio prima de cōfuſis nō neceſſariis.

Demonſtratio nō eſt finis logicæ.

veriſsimè dicitur, nullius artis finem ad fortuitum euentum alligari, ſed artis poteſtati ſubiecto actu concludi: ſic nauticæ finis, non deducere nauim ad portũ, quia id non ſemper eſt in poteſtate artis ſitum: ſed rectum clauum tenere & prudenter gubernare. Quomodo igitur poterit demõſtratio dialecticæ finis inſtitui? Nam quæſtiones innumerabiles erunt, quæ demõſtrationem Ariſtotelis non capient: & dialecticus tamen circa eas efficiet, quicquid artis viribus poteſt effici, id eſt, finem dialecticæ conſequetur, & tamen non demõſtrabit. Quare non eſt dialecticæ finis demonſtratio. An demonſtrationem logicæ finem ideo facitis, quia in analyſi logica primo loco demonſtratiuum ſyllogiſmum vobis fingitis? at errorem illum veſtrum poſtea (cùm de methodo dicetur) perſpicuè vobis demonſtrabo: nec conſentaneum fuerit Ciceroni aut Quintiliano, tametſi pronuntiationem primam eloquentiæ partem & principem iudicarent, vt eloquentiæ finem ſtatuerent potius bene pronuntiare, quàm bene dicere. Error vnus in Ariſtotele, & Ariſtoteleis ferè perpetuus eſt: nil definiunt, nil partiũtur: idcirco toties, & tam fœdè locis omnibus labuntur. Definiant itaque finem doctrinæ, reperient eũ profectò artis definitione cõprehendi. Rhetorica, eſt ars bene dicendi, finis igitur eſt bene dicere: grammatica, doctrina eſt rectè ſcribendi, rectéque loquendi: finis igitur eius eſt, rectè ſcribere, & rectè loqui. Sic cùm dialectica, doctrina diſſerendi ſit & ratiocinandi, certè dialecticæ finis erit diſſerere & ratiocinari: quo genere vel argumenti, vel ſyllogiſmi id Dialecticæ finis.

fiat, nil intereſt, modò bene fiat. Laus eſt dialectica ma-
gna in demonſtrando, ſed nõ tota: finis verò doctrinæ,
quia ad eum referuntur omnia artis præcepta, & eius
gratia fiunt, vniuerſus eſſe debet, & omnia complecti:
ſed hæc de fine. Propoſitio deinde diſtinguitur demon-
ſtratiua à dialectica. Ea de re antea in primis diale-
cticæ principiis & initio poſteriorum analyticorum,
primo etiam topico dictum eſt: non imitemur Ariſto-
teleos, vnã & eandem rem temerè ne ſæpius iteremus.
Terminꝰ. *Definitio termini ſequitur, in quem reſoluitur propoſi-*
tio, vt ſubiectum & prædicatum: ſic ὅρον Boetius vo-
cat. Ariſtoteles mathematicos, opinor, hîc imitatus
eſt, qui rationis partes ὅρους nominant: ſed de terminis
Syllogiſmi definitio. *antea: Syllogiſmi definitio ſequitur. Definiẽdus autem*
erat ſyllogiſmus conſtans argumenti cũ partibus quæ-
ſtionis collocatio: definiuit Ariſtoteles ſyllogiſmũ, ſed
ſuo more obſcuriſſime: Ariſtotelea enim definitiones,
obſcurationes ſunt: quæ vt intelligantur, accuratã de-
finitionem ſecundam requirunt. Ait igitur Ariſto-
» *teles, Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis*
» *aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt ex neceſſitate*
» *accidit, eo quod hæc ſunt. Atque illud primum parum*
conuenienter, quòd ſyllogiſmus oratio, dicitur. Proprio
enim genere diſpoſitio dici debuit, & quãuis tota dia-
lectica, ſit ratio, quæ aliquando ſine oratione exprimi
non poſſit: aliud tamen eſt ratio, aliud oratio: omnis
enim oratio conſtat ex ratione: non contrà, omnis ratio
ex oratione: & ſyllogiſmus ex nudis & puris inter ſe
connexis & diſpoſitis rebus intelligi poteſt ſine vlla

verborum notatione, qualis in muto homine ratiocinatio poſsit eſſe, qui nulla tamen oratione, nullis etiam verbis ſit vſurus. Atque hæc prima in hac definitione ſyllogiſmi plaga eſt: ſecunda verò maior eſt, cùm dicitur quibuſdam poſitis. Dic enim Sol lucet ſuper terrã, ergo dies eſt: ſyllogiſmus Ariſtotelicus erit, quia quibuſdam poſitis neceſſario concluditur. Scio pueros vanis diſtinctionibus eludi, vt melius præterea nihil requirant: non poſita quædam aiunt eſſe: ſed quoddam tantùm eſſe poſitum. Ergo inquam quædam ponantur, Sol exortus eſt, & lucet ſuper terram: ergo dies eſt. Hem quædã poſita, propter quæ neceſſario res efficiatur. Hîc noua diſtinctio apponitur, per quædam (inquient Ariſtotelei) intelligendæ ſunt propoſitio & aſſumptio. Nihil verò eſt quod Ariſtotelei non ſomnient ad retinendam Ariſtotelis ſententiam ſemel ſuſceptã. Hoc Ariſtoteles in topicis præcepit: mirum porrò fuerit, ni quædam petentibus Ariſtoteleis in menſa ab hoſpite, inaniũ diſcorum propoſitiones atque aſſumptiones aponãtur, quia per quædã placet Ariſtoteleis qualibet intelligi. Hóccine quæſo eſt definire, an falſis ambagibus eludere? Vna verò & ſola ratio eſt, cur per quædã propoſitio & aſſumptio intelligãtur: quia Ariſtoteles erraret, ſi ſecus intelligeretur. Itaque quales definitores ſint Ariſtotelei in ſyllogiſmo videmus: quales partitores ſint videamus. Diuidit Ariſtoteles ſyllogiſmum in perfectum & imperfectum: imperfectus verò ſyllogiſmus, ſi modò ex propoſitione, & aſſumptione, & complexione rectè diſpoſitis conſtet, nullus eſt: ſed mox illud

accuratius refutatis huius erroris principiis intelligetur. Sequuntur duo principia ſingularis Ariſtotelismi: verbo enim ſatis idoneo rem tam inſipidam exprimere nullo poſſum. Principia vocātur dici de omni & dici de nullo. At inquiet Ariſtoteleus aliquis, quid poteſt his admirabilius eſſe ſyllogiſmorum principiis? quid relinques dialectica, ſi principia iſta ſubuerteris? At bone vir, quicunque his principiis tantùm tribuis, per Deum immortalem animaduerte, & conſidera, quàm nulla tollam ſyllogiſmorum principia, vel potius vt vera principia confirmē. At hæc falſa & cōmentitia principia eſſe dico. Quo pacto, inquies? Attende diligēter & percipe, quæ dicam. Ariſtoteles inter hydræ ſophiſticæ capita vnum eſſe ait, petere principium, & probare rem dubiam per magis, vel æquè dubiam: & ſophiſtam vocat, qui hoc modo argumentatur. Dico igitur Ariſtotelis principia dici de omni & dici de nullo, ad ſyllogiſmos probandum, ſophiſmata eſſe, & eum qui iſtam ſophiſticorum principiorum doctrinam inſtituit, ſophiſtam. Quamobrem verò ita iudicem, ſic accipe. Dicis per hæc principia dici de omni, & dici de nullo ſyllogiſmos probari. Ego verò pernego. Sit igitur exemplo ſyllogiſmus hic:

Principia dici de omni, & dici de nullo.

Omnis impoſtor eſt execrandus.
Omnis ſophiſta eſt impoſtor.
Omnis igitur ſophiſta eſt execrandus.

Et ſit aliquis ad Ariſtotelis arbitrium tam ſtolidus, qui cōceſſis propoſitione & aſſumptione huius ſyllogiſmi, non putet tamen complexionem concedendam eſſe:

quid hic Ariſtoteles ex ſuis principiis efficiet? De primi modi definitione, ac conſtantia eius ſyllogiſmi, & diſpoſitionis neceſſaria conſecutione agitur: quæſtióque eſt, An ſi maius extremum ineſt omni medio, & medium omni minori: maius ideo omni minori inſit. Ad hanc queſtionẽ demonſtrandam, quam demonſtrationem, quam ἀπόδειξιν inſtruet? Videamus quod hîc Ariſtoteles genus demõſtrationis moliatur. Duplex enim ſophiſma eſſe dico in vna Ariſtotelis demonſtratione, ex argumenti, & argumentationis poſteriore, & minus illuſtri ratione. Definit enim primum ſyllogiſmi ſimplicis modum hoc modo, vt maius extremum ſit in argumento toto, & argumentum ipſum in toto minore extremo, vt maius tandem de toto minore concludatur: quemadmodum & nos in noſtris inſtitutionibus, ſed paulo facilius, explicamus. Quomodo verò concluſionis ita definitæ conſtantiam ex principiis demonſtret, quæſo vos Ariſtotelei mementote: ſic autem demonſtrat.
„ *Si a de omni b, & b de omni c, neceſſe a de o-*
„ *mni c prædicari: prius enim dictum eſt, quomodo de o-*
„ *mni dicimus. Hoc argumẽtum, quæſtio ipſa eſt, & primi modi definitio, quæ demonſtranda Ariſtoteli proponitur. Petit igitur Ariſtoteles principium & ſophiſticum elenchum, non ἀποδεικτικον ſyllogiſmum facit: deinde ad ſyllogiſmi perfectiſsimi, & quo clarior eſſe vllus non poſsit, concluſionem demonſtrandum ſyllogiſmum ipſe nullum in hac ſophiſtica demonſtratione facit. Hic enim ſyllogiſmus nullus eſt, ſed ſola ſyllogiſmi connexi propoſitio: non eſt igitur ſyllogiſmus de-*

monſtratiuus. Deinde ſi huic propoſitioni reliquæ partes addantur, aſſumptio & complexio, tamen Ariſtoteli nullus ſyllogiſmus erit: quia connexus ſyllogiſmus erit, quem ſyllogiſmũ eſſe Ariſtoteles neſciuit: de quo in doctrina ſyllogiſmorum nullum verbum fecit, cùm tamẽ affirmet doctrina ſua omnes ſyllogiſmorum modos explicari. Poſtremo ſyllogiſmus hypotheticus erit, quem nullus Ariſtoteleus audeat dicere cathegorico clariorem eſſe. Ergo in hac Ariſtotelis ſophiſtica demonſtratione, hac vitia inſunt. Demonſtrare vult Ariſtoteles, & probare perfectiſsimam ſyllogiſmi cõcluſionem & regulam: quomodo? quo argumento? eo, quod in quæſtione & principio eſt: quo ſyllogiſmo? non per ſyllogiſmum magis clarum, ſed per minus noti & clari mancam & truncam particulam. Petit igitur dupliciter Ariſtoteles principium: & argumenti atque argumentationis ſophiſmate ſtolidiſsimo credulis & miſellis Ariſtoteleis imponit. Videtis Ariſtotelei quomodo concludam? Quæ ſunt igitur ſyllogiſmorum principia? quæ ſunt inquam, primarum definitionum (ô vos Ariſtotelei) principia? An neceſſe eſt omnium rerum eſſe aliqua principia? non autem eſſe aliqua ipſa ſibi principia? ipſi verò ſibi ſyllogiſmi principia ſunt: primæ enim ſunt dialectici iudicij obſeruationes: quæ quia veræ naturaléſque ſunt, ideo ſunt admittendæ & probandæ: obſeruatum eſt lapidem ferri deorſum, obſeruatum idem in ferro, plumbo, auro, argento, atque ab hac obſeruatione natum illud vniuerſum eſt. Omnia grauia deorſum ſua ſponte ferri, cuius ratio

alia nulla eſt: eſt enim ipſa prima ratio noſtræ cognitionis & obſeruatio: ſic omnium artium definitiones primæ ſunt ipſæ cauſſæ. Cùm igitur cauſſam rogabis, cur ſyllogiſmus ſit conſtans & firmus, dicam diſpoſitionis huius nullam cauſſam eſſe: ſed ipſam ſibi cauſſam eſſe, quia prima ſit obſeruatio naturæ, ídque aliquot exemplis (è quibus principia naſcuntur) ſi fuerit opus, exponam. Atque hîc Ariſtotelem Ariſtoteli opponam, qui dicit poſterioribus analyticis & principia non poſſe demonſtrari, & definitiones eſſe principia. Vna ratio erat conſtantis ſyllogiſmi, quia nunquam falleret, & naturalis atque vſitatus eſſet. Verum facilius illud erat, quàm Ariſtoteli conueniret: tenebræ ſiquidem ei placent. Atque hæc de principiis dici de omni, & dici de nullo, imitatione ſcilicet mathematica. Geometræ præponunt initio ſuæ doctrinæ principia: ſic Ariſtoteles ſyllogiſtica ſapientiæ fundamenta in principiis dici de omni, & dici de nullo ſtatuit. Itaque vt antea τοὺς ὅρους, ſic τὰς ἀρχὰς à mathematicis mutuatus eſt. Secundo capitè & tertio ſecunda generis eiuſdem principia, ſed nouæ delirationis principia conſtituuntur. Commenta ſunt conuerſionum, Cõuerſiones. *quas hic Ariſtoteles collocauit, per quas nõ ſecus quàm Cyrce ſocios Vlyßis ſuis poculis in varias animaliũ ſpecies, ita ſyllogiſmos ex vna forma in aliã, à ſecũda & tertia in primam, quinetiam à prima in ſecundã conuerteret: quaſi ſit vllus in tribus figuris ſyllogiſmus nõ clarior conuerſione: aut confingendũ illud fuerit, cuius nullus futurus eſſet vſus, quòd à natura omnis ſermonis*

& rationis abhorreret. (neque enim Ariſtotelei Homericum vllum, aut Platonicum, aut humanum omnino exemplum conuerſionum ſuarum proferent) quod inquam, tam abſurdum eſſet: vt id quod erat naturale, quotidianum, vſitatum, confirmaretur. Aliquãdo autem conuerſio fallit, vt

Omnis orator neceſſario eſt homo.

Aliquis igitur homo neceſſario eſt orator.

Deinde verò præter tot vitia in his conuerſionibus notata, quot commentitia, quot falſa ſint, conſideremus paulo attentius, quomodo conuerſiones ſyllogiſmorum principia eſſe poßint. An fatui, inepti, inſulſi, mutili ſyllogiſmi, perſpicuorum, naturalium, vſitatorum, abſolutorum ſyllogiſmorum principia eſſe poſſunt? At cõuerſiones omnes ſummã concluſionis inſulſitatem habent. Quæſtio ſit an aliquod animal ſit homo, & pro quæſtionis argumento quæſtionis ipſius abreptam caudam retorqueas, hoc modo, & ita concludas:

Omnis homo eſt animal.

Aliquod igitur animal eſt homo.

Vides ineptißimum & ſtultißimum argumentationis genus. Quid diceres architecto, ſi ædibus ruinam minantibus, ad eas fulciendas, ipſarum fundamentum demoliretur? nónne diſturbare domum, non fulcire tibi videretur? Idẽ verò Ariſtoteles facit: concludere vult aliquod animal hominem eſſe: partem dubiæ quæſtionis ad totam confirmandam accipit. Hîc ſatis eſſe debuit Ariſtoteleos ſuo teſtimonio conuincere: vnam de ſophiſticis laudibus ſummam faciunt, petere quod in

principio & in propoſita primum quæſtione eſt: quod cùm in his conuerſionibus ſicuti ſuperioribus principiis faciunt: ſe ſophiſtas fraudulentos eſſe teſtificãtur. Verùm perfice tortuoſum hunc & elumbem conuerſionis ſyllogiſmum. Ex omni enim enthymemate qualis iſta conuerſionum concluſio eſt, ſyllogiſmum facere docet Ariſtoteles: multo maiores ineptias conuerſionis agnoſces, & alterum ſophiſmatis genus intelliges.

Omnis homo eſt homo.

Omnis homo eſt animal.

Ergo aliquod animal eſt homo.

Primus eſt modus tertiæ figuræ: nec in prima, aut ſecũda figura aliter concludi poteſt: niſi fortè ex falſis ridiculè velis concludere. Videmus quo argumento, quo argumentationis genere præclara iſta conuerſionum principia fundata ſint. Idem verò eſt in vniuerſo conuerſionis genere: vt,

Nullus homo eſt lapis.

Ergo nullus lapis eſt homo.

Argumentum ipſa ſibi quæſtio ponitur, & argumentationis ſimillimo ſophiſmate texitur. Perfice ſyllogiſmum, fatuitatem concluſionis euidentius intelliges: ſic autem erit,

Nullus homo eſt lapis.

Omnis lapis eſt lapis.

Ergo nullus lapis eſt homo.

Reſipiſcite iam Ariſtotelei, & aliquando Chimaricas iſtas illuſiones agnoſcite: & pudeat hoc ſtupore propoſito diutius in his tenebris permanere: nullus eſt

in tribus formis ſimplicium ſyllogiſmorum modus, non ſuapte natura perſpicuus, non illuſtris, non popularis: at conuerſiones veſtræ ſomnia ſunt, ſomnia falſa ſunt. Hîc autem ſi noctuas illas demonſtrationum in conuerſionibus adhibitas coarguere vellem, proponere͂ res nudas, quæ ſua ſponte ſatis ridiculas ſe demonſtrant: vbi probatur generalis conuerſio per ſpeciale͂ nondu͂ demo͂ſtratam, & ſpecialis deinde (vt gratia, credo, mutuis iſtis tenebris referatur) per generalem demo͂ſtratur. Sic ide͂ & demo͂ſtrat ide͂ & ab eode͂ rurſus ide͂ demo͂ſtratur. Hîc etia͂ Geometricæ dialecticæ imitatio ſcilicet eſt, ex alphabeti literis ſumpta. Credo vt Ariſtoteles ab Ariſtoteleis bene geometriſare (ſic enim loquu͂tur interpretes quidam) diſceretur. Quatuor proximis capitibus exponuntur modi concluſionum, quæ ſunt in triplici figura ſimplicium ſyllogiſmorum: figuræ ab Ariſtotele nominantur, imitatione videlicet rurſus geometrica: appellant enim geometræ genera triangulorum, quadrangulorum, & reliquorum lineame͂torum figuras: in his figuris condenſatæ tenebris omnibus & conduplicatæ ſunt nubes Ariſtotelicæ. Adduntur principia duobus ſuperioribus omni ineſſe, nulli ineſſe, vt tribus principiorum mathematicorum generibus, tria credo principia Ariſtotelica reſponderent, principia dici de omni, & dici de nullo, dignitatibus: principia conuerſionu͂ definitionibus: principia omni ineſſe, nulli ineſſe poſtulatis: vt Ariſtoteles ab Ariſtoteleis bene geometriſare diceretur: per hæc poſtrema principia Ariſtoteles vitioſos ſyllogiſmos demonſtrare voluit. Somniauit

enim philoſophus tam acutus concluſiones incertas eſſe, in quibus vniuerſa concluſio aliàs affirmata, aliàs negata concluderetur. Statuit igitur cõprobandæ concluſionis argumentũ duobus illis principiis ineſſe omni & ineſſe nulli: cũ tamen eſſet vnica ratio, quia naturalis & vſitatus eſſet concluſionis ille modus: quia nunquã falleret. At hoc cõmentum tam ridiculum nõ omnibus probandis concluſionibus conuenit, nec vllam cauſam ſyllogiſmi continet. Neque tamen Ariſtoteli ſatis fuit, niſi omnes falſorũ & vitioſorum ſyllogiſmorũ ſpecies ineptiſsimè & inſulſiſsime colligeret. Ait Ariſtoteles in topicis definitionem probandam nõ eſſe, niſi cõtrarij natura inde perſpiciatur. At hic ſyllogiſmorum rectis modis definitis nõ exiſtimat vitioſos intelligi poſſe, & ſe ſuo iudicio vanũ cõuincit. Nónne ſatis erat ad probandum vitioſum modum, ſi aliquando falleret: rectũ, ſi ſemper & verus & vtilis eſſet? An falſo nobis perſuadere tot locis voluiſti, principiorum, ſi qua fortè dubitatio eſſet, naturam ſola exemplorũ inductione duntaxat illuſtrandam? Tribus ſyllogiſmorum generibus expoſitis duæ formæ figurarum omniũ communes adduntur: nominantur in ſchola Fapeſmo, & Frizezomorũ: quæ à falſis conuerſionũ inſomniis deducta ſunt: & idcirco eodem ſapientiæ loco ſunt habendæ.

Exemplum eſt in prima figura.

Fapeſmo. Omnes viri boni ſunt laudandi.

Nullus ſophiſta vir bonus eſt.

Sequebatur ſimplici, licet inconſtanti complexione.

Quare nullus ſophiſta eſt laudandus.

Id verò non procedebat: quare per conuerſionem contorta complexio eſt hoc modo.

Quare aliquis vir laudandus non eſt ſophiſta.

Vides quàm volubili rota figulus Ariſtoteles complexiones conuertat? At quis iſto modo loquitur? proferat Ariſtotelei Homericum aliquod aut Platonicum exẽplum. Dialectica non conſtat è vanis, & ſophiſticis cõmentis, ſed verorum & naturalium exemplorum præceptis. Simile eſt ſecundi generis exemplum.

Aliquis bonus vir eſt laudandus.

Frizezomorũ. Nullus ſophiſta eſt vir bonus.

Aliquis igitur vir bonus nõ eſt ſophiſta.

In ſecunda tertiáque figura hæ concluſiones non habẽt ab vſitatis modis collocationem diuerſam, niſi quòd ſecundo loco propoſitionem ſtatuunt, aſſumptionem primo, & quòd complexionem habent in ſecunda figura ſpecialem. Secundæ enim figuræ primo & tertio, tertiæ ſecundo & ſexto modis concluduntur. In ſecunda figura ſic:

Omnes improbi ſunt miſeri.

Fapeſmo. Nulli ſapientes ſunt miſeri.

Ergo aliquis improbus non eſt ſapiens.

Aliquis ſapiens eſt beatus.

Frizezomorum. Nullus improbus eſt beatus.

Aliquis igitur ſapiẽs nõ eſt improbus.


In tertia idem prorſus erit. Pone igitur priore loco quod ſecundo eſt, omnia congruent ad artis legem, quæ eſt ſecundæ figuræ modis illis: vt

Nulli ſapientes ſunt miſeri.
Fapeſmo. Omnes improbi ſunt miſeri.
Aliquis igitur improbus non eſt ſapiens.
Nulli improbi ſunt beati.
Frizezomorum. Aliquis ſapiens eſt beatus.
Aliquis igitur ſapiẽs nõ eſt improbus.

Mutatio autem loci nec legem, nec ſpeciem ſyllogiſmi variat: & ſyllogiſmi partẽ metimur non loco, ſed ſentẽtia & collocationis ratione. Verùm quid in his ſomniorum nugis orationem maiorem conſumo, cùm è cyrcearum conuerſionum deliramentis deducta eſſe dixerim? Hæ ſunt veſtri ducis, Ariſtotelei, tenebræ: quibus ſyllogiſmorum tres figuras obſcurauit: quæ quanuis miſerabiles propter maximam in arte pulcherrima caliginem (quam habent) tamen à vobis tanquam prædicabiles & gloriatione dignæ retinentur: comparatis ſcilicet harum demonſtrationum gloriam, cum demõſtrationibus geometricis: & quemadmodum geometræ perfectiſsimam certiſsimámque ſcientiam lineamentorum demonſtrationibus ſuis conficiunt: ſic Ariſtoteles ſyllogiſmorum. Ὅρους, *extrema rationum ſuarũ geometræ nominant, & Ariſtoteles* ὅρους, *enuntiationum nominat. Initia lineamentorum geometræ dignitates, definitiones, poſtulata faciunt: Ariſtoteles ſyllogiſmorum principia dici de omni, dici de nullo, conuerſiones, omni ineſſe, nulli ineſſe. Geometræ lineamenta figuras vocant, & quidem rectè, quia ſpecies rectè generis appellatur nomine, & circulus, figura, quadratum figura vere & rectè dicitur: Ariſtoteles ſyllogiſmorum ſpe-*

Geometrica Ariſtotelis imitatio.

cies, ſyllogiſmorum figuras nominat: ídque meo quidem iudicio tam inepte, quàm ſi pro generibus vel animalium vel arborum, figuras & animalium & arborum diceres: aliud enim eſt ſpecies, aliud figura, εἶδος καὶ σχῆμα intelligo. Geometræ imperfecta multilaterorum genera, ad triangula: triangulorum, ad parallelogramma: parallelogrammorum, ad quadrata: quadratorum, ad orbes genera conuertunt: ídque magna admodum & neceſſaria ratione, vt varias diuerſorum locorum formas æquali ratione comparent: rotundas inſulas quadratis, altera parte longiores agros trianguli forma comprehenſis. Ariſtoteles ſecundæ & tertiæ figuræ modos, quos imperfectos fingit, ad primam reuocat: quinetiam primæ duos poſtremos modos commutat in ſecundam & tertiam figuram, vt inde reuocet ad generales primæ figuræ modos, ratione ſtultiſsima, & geometrarum diſsimillima: cùm ſit vtilitas nulla plane: cùm ſit inaniſsimus & inertiſsimus iſte labor. Geometræ Προβλήματα καὶ θεωρήματα *demonſtrationibus neceſſariis addicunt: Ariſtoteles ſyllogiſmorum concluſiones ſimili ratione ſcilicet demõſtrat. Geometræ alphabeticis elementis vtũtur ad exempla ſuarum præceptionum explicanda, ídque neceſſaria ratione. Cùm enim res ab vſu populi remotas tractent, & ideo nullis nominibus definitas, coacti ſunt & neceſsitate compulſi, literis ad occaſionem materiæ præſentis abuti: & quicquid informaret, vna pluribúſue literis nominare: vt ſit punctum. a, ſit linea a————b, ſit circulus*  *, quadratũ*



nec tamen figuras ipſas literis appellāt, ſed literis tanquam digitis demonſtrāt: Ariſtoteles ſyllogiſmos factos, & ſyllogiſmorum demōſtrationes veris dictionibus inſtitutas non indicat literis, ſed conficit, imitatione geometrarum longè ineptiſſima. In dialectica enim (quæ tota popularis eſt, tota popularibus exemplis, id eſt Homericis, Virgilianis, Ciceronianis, Platonicis exponi poteſt) quænam eiuſmodi neceſſitas fuit? an vt Ariſtoteles in dialectica bene geometriſare diceretur?

O imitatores ſeruum pecus, vt mihi ſæpe
Bilem, ſæpe iocum veſtri mouere tumultus!

Qualis enim hæc eſt imitatio? An dialectica (quæ natura generalior & antiquior eſt geometria, & antè doceri percipíque debet, geometriam enim ſicut cæteras artes, ratio, id eſt dialectica peperit: non geometria dialecticam) per ea quæ nondum percepta cognitáque ſunt explicari poteſt? An Ariſtoteles geometriā dialectica, id eſt filiam matre faciet antiquiorem? At iſta ſubtiliter inuenta ſunt, dicant Ariſtotelei, & accidere Obiectio. *poſſunt: ſyllogiſmus enim ex literis fieri poteſt, & alius in alium per hæc principia reduci poteſt. Sint fallaciter, & fraudulenter vt ſunt, non modò ſubtiliter inuenta: quid tum? an eſt artibus propoſitum præceptis complecti, quæ fieri aliquando, & ſubtiliter cogitari poſſunt? an potius quæ humanæ vitæ conueniunt? quæ nos rebus gerendis tractandíſque prudentiores, & aptiores efficere poſſunt? Finis artium non eſt ſubtilitas,*

v.i.

ſed vera ſolidáque vtilitas. Suppoſitiones, ampliationes ſubtiliter ab ineptis hominibus erant inuenta, & fieri poterant, quæ his tradebantur: ac diutius quàm bonis ingeniis expediebat, retentæ ſunt atque approbatæ. Cur igitur ab omnibus ſcholis nunc reiiciuntur & exploduntur? quia nullum cognitionis ſuæ fructum ſetunt, quia nihil hominum prudentiam iuuant. Explodantur igitur & hæc ſimilia tot vanitatum commenta: nec ſub exiſtimatione vanæ authoritatis tanta vitia diutius lateant. Subtilitas verò, ſi tantopere placeat, placeat in exquirendis aperiendíſque vtilibus rebus, híſque ad vſum vitæ, neceßitatémque conferendis: liceat argutis & ſubtilibus eſſe, ſed in promouendis humanis ſtudiis, in occultis infinitarum rerum (quæ nondum cognitæ ſunt) naturis explicādis, in amplificanda degendæ vitæ ratione. Obiectio. *At perfectio, aiunt Ariſtotelei, & abſolutio artis ab Ariſtotele hîc quæſita eſt, vt ex omnibus numeris doctrina conſtaret. Verùm Ariſtotelei in his nugis defendendis nimis Ariſtotelei ſunt: dum enim eiuſmodi aliquid reſpondeant, magnos ſe dialecticos eſſe exiſtimant: quid verò dicāt, quàm conſentanea ratione, nihil reputant? Perfectio artis ab Ariſtotele aiunt, in his ineptißimis nugis quæſita eſt. Hanc obiectionem tam leuem, velut arcem tamen ad impetus omnes ſatis idoneam putant. Quid igitur artis eſt perfectio, ô perfectißime cæci Ariſtotelei? quid abſolutio? nónne tota ad vnam ſummam naturalis rationis conformationem referenda eſt? nónne hic & inuentionis, & diſpoſitionis finis conſpirans, ac*

planè conſentiens eſt, ut humani ingenij uires ingenio ipſi oſtendant? Qui igitur artem dialecticam ſcribit, ſtatuat ſibi ante oculos naturalis illius, & humanæ rationis exemplar imitandum: tum uerò perfectiſſimam artem ſe feciſſe (ſi uolet) glorietur, cùm eius omnes actiones uſitatas, & conſtantes, omnes earum ſpecies & partes, omnium etiam partium particulas ex eodem fonte naturæ deriuatas expreſſerit: nihil autem de ſuo comminiſcatur, nihil fingat, nihil ſomniando mentiatur. At in omnibus antecedentibus, ac deinde conſequẽtibus Ariſtotelicis tenebris (quas accuſamus) nihil eſt præter ægrota & anilia ſomnia: nihil ex quotidiano uſu: nihil ex ullo humanæ uitæ exemplo ſumptum probari poteſt. Redeamus igitur ad illam ſummam, & primam demonſtrationem dialecticæ. Ars dialectica ab obſeruatione naturæ deducenda eſt, & ad eandem confirmandam, ſi imbecillior fuerit, referẽda eſt. Nihil autem huc ex iis Ariſtotelicæ perfectionis, tam multis imperfectionibus referri poteſt. Conſiderent igitur Ariſtotelei, & attendant, quamobrem ſine ulla ratione, ſine conſilio, ſine uſu, ſine ullo uero argumento tenebras iſtas ad perniciem iuuentutis alãt. Sed ab his tenebris, tam moleſtis ad alias properemus: moleſtiores enim multo & maiores ſuperſunt, ſuperãdæ tamen nobis, & exanthlandæ. Sequuntur capita quindecim planè Ariſtotelica, ſi quid eſt in tã multis ſophiſticis tenebris Ariſtotelicum. In his de modalibus concluſionibus, & puris, & permiſtis agitur. Octauo capite tria facit Ariſtoteles enuntiandi gene- Syllogiſmi modales.

ra, propter quæ varias quoque ſyllogiſmorum leges ſibi confingendas exiſtimat. Abſolutum, neceſſarium, contingens. Generalibus autem trium figurarum legibus abſolutum concludi, non autem neceſſarium & contingens. Attentum igitur, & conſideratum animum Ariſtotelei prabete. Dico & confirmo in modificatis, vel puris, vel permiſtis nouas leges nullas requiri. Capita quæ maiorem refutationem requirere videbũtur, percenſebo. Octauo capite docet Ariſtoteles neceſſariũ ex neceſſariis ita concludi, vt ſolutum ex ſolutis: nec nouis concludendi legibus hîc opus eſſe: hoc quod dat Ariſtoteles, accipio. In contingentibus verò, vel puris, vel permiſtis nullam ſyllogiſmi concluſionem firmam & conſtantem ſicut in cæteris, ex neceſſario, & ſoluto miſtionibus, eſſe contendo. De permiſtis concluſionibus caput eſt nonum, quod ex neceſſario, & ſoluto neceſſarium concludatur. In quo Ariſtoteles & ſibi & ſuis impoſuit. Nam ſi ſolutum pro eo quod verum eſt, nec falſum eſſe poteſt ſumitur, vt ſolutum & neceſſarium, licet non affectum neceſſarij nota, idem ſit: certe noui nihil ab Ariſtotele præcipietur: imò verò ex duobus huiuſmodi ſolutis licebit in omni figura neceſſarium concludere. Non enim neceßitas rebus additione notæ (neceſſarij) additur, aut detractione detrahitur: ſed exprimitur, aut non exprimitur. Si ſolutum pro vero, ſiue neceſſario, ſiue non neceſſario intelligitur, vt Ariſtoteles ipſe exemplo ſuo indicauit, qui ſumpſit pro ſoluto enuntiato illud hoc capite, animal moueri: & decimo quarto, illud, omni mouenti hominem ineſſe: fal-

ſum erit ex neceſſario ſolutóque neceſſarium concludi: vt ſi ita diceretur,

Omnis homo neceſſario eſt rationalis:
Quiduis currens eſt homo: ſoli enim currant homines:
Ergo quiduis currens neceſſario eſt rationale.

Itaque Ariſtotelis iudicio ſiquando currant aſini, neceſſario rationales erunt. Egregiam verò philoſophi laudem, artificium reperiiſſe, quo fiant aſini, idẽ quod homines: falſa eſt concluſio huius ſyllogiſmi, veris tamen antecedentibus. In aſſumptione, quia ſolute loquuti ſumus, præſens tẽpus duntaxat amplexi ſumus. In propoſitione & complexione quia neceſſario rem eſſe dicimus, nullam temporis excludimus ſpeciem: quod enim neceſſario eſt, non poteſt non eſſe. Quare ſi tempus ipſum quod adſignificamus, exprimatur, concluſionis error manifeſtus apparebit: vt dicas in propoſitione maius extremum ſemper ineſſe medio: in aſſumptione medium nũc ineſſe minori, vnde concludas maius minori ſemper ineſſe. Neque certè defuerat antea tã manifeſto morbo medicina. Theophraſtus enim, vt Ariſtotelei quidam etiam aiunt, hoc mendacium argumento non valde diſsimili coarguerat. Docuerat enim concluſionem, ſi firma eſſet, antecedentium partium debiliori ſimilem eſſe oportere: vt ſi propoſitio vel aſſumptio negaretur, item negaretur concluſio: ſi propoſitio vel aſſumptio ſingularis eſſet, ſingularis item eſſet complexio. Itaque cùm in hoc exemplo ſolutum debilius ſit neceſſario, &, vt diximus, vnum tempus omni tempo-

re ſit minus, complexio debet imbecilliori parti ſimilis eſſe. Quòd ſi neceſſarium in propoſitione abſolutè dici volumus, in complexione cum aliqua conditione, quẽadmodum Ariſtotelei (vt ſolent aliquid ſemper comminiſci ad Ariſtotelis errores defendendum) fortaſſe reſpondeant: vt concludamus duntaxat neceſſarium, quod ſit, dum aſſumptio vera pronuntiatur: neceſſariũ illud non plus erit, quàm ſolutum verum: ac ſi diceretur ex neceſſario & ſoluto ſolutum concludi: & hac egregia Ariſtotelis diſciplina ludemur. Quamobrem ſophiſticas iſtas eluſiones à rebus ſeriis & vtilibus verè diſciplinæ præceptis diſtinguamus: pueros tam malitioſe & improbè fallere deſinamus. Tu mihi pollliceris auri talenta decem, & tandem ſophiſtica iſta ferrumina porrigis, & ais te auri nomine ferrumen intellexiſſe. Hanc tantam non ſolùm impudentiam ſophiſtarum & fallaciam, ſed nequiſſimorum nebulonũ fraudem quis æquo animo ferret? De reliquis capitibus decimo & vndecimo quemadmodum illa miſtio in ſecunda & tertia figura concludatur, nihil diſputo: caput enim ſophiſmatis, vnde hæc manant, amputatum eſſe ſatis eſt: à prima autem figura placet Ariſtoteleis ſecundam & tertiam deſcendere. Capite duodecimo Ariſtoteles fingit duas cõtingentis ſignificationes neceſſarij & non neceſſarij, ſed inconſtanter & inconſiderate, vt ſolet. Capite enim octauo eiuſdem libri ſolutum, neceſſarium, contingens diſtinxerat: nunc tamen contingens etiam neceſſarium facit. Contingens autem non neceſſarium dicit, quo poſito nihil conſequitur im-

Obiectio.

Contingẽtis ſignificationes.

poßibile: quæ propria cõtingentis eſt ſignificatio. Aliquid autem contingens eſſe neceſſarium probare nititur Ariſtoteles iſto modo: Hæc (ait) conſequuntur inter ſe, non contingens, non poßibile, impoßibile, neceſſe non: ergo & his oppoſita inter ſe ſimiliter conſequentia erunt contingens, poßibile, non impoßibile, non neceſſe non. Verùm enimuero antecedens argumentationis huius eſt falſum ei, qui naturalem & popularem, id eſt, veram ac propriam contingentis ſignificationem ſequetur. Nam quod non eſt contingens, nec eiuſmodi vt poßit & eſſe & non eſſe, ad illud nihil trium reliquorum ſequitur: poteſt enim eſſe neceſſarium: poteſt eſſe impoßibile: poteſt eſſe poßibile. Et ſi verum antecedens illud eſſet, minime tamen Ariſtoteles concluderet hoc argumento aliquod eſſe cõtingens neceſſarium: aliud enim eſt quod concluditur, non neceſſe nõ: aliud quod intenditur neceſſarium: ſed tamen pergamus: hoc Ariſtotelicum eſt & falli & fallere. Contingentis nõ neceſſarij eam naturam dicit eſſe, vt affirmatio in negationem conuertatur, vicißímque negatio in affirmationem: vt quicquid contingat eſſe, contingat & non eſſe. In quo negari modificata pronuntiatio dicitur ex verbo, quod cum caſu obliquo antecedentis nominis vicẽ in ſyntaxi orationis obtinet. At ô tui immemor & obliuioſe Ariſtoteles, an confuſæ & prolixæ diſputationis tuæ oblitus es, qua in libro de interpretatione diſputaſti, modalium negationes non ex verbo, ſed ex modo ſumi? Cur nunc ſumuntur ex verbo? Hìc Ariſtoteleos potius alloquar, & huius enun-

v.iij.

tiationis, Hominem non currere, eſt contingens, ſubiectum & prædicatum vt loquuntur, requiram. An nõ totum illud in hac enuntiatione, Contingens eſt hominem non currere, hominem non currere, ſubiectum eſt? Contingens eſt, prædicatum & totum attributũ? At pars ſubiecti hîc tantum negatur: verbum verò & attributum verbo, id eſt, totum prædicatum (eſt contingens) nullo modo negatur, ſed affirmatur omnino. Quæ igitur iſta negatio contingentis dici poteſt, in qua nec verbum (quæ enuntiationis copula eſt) nec verbo adiũctum prædicatum negatur? Qua verò ratione dicetis verbum negari? id enim falſum eſt. Nam, currere, in hac enuntiatione, Hominem currere, eſt contingens, nomen potius, quàm verbum eſt: vt in hac, Mentiri eſt malum: idipſum, Mentiri, vim nominis magis obtinet, quàm verbi. Hæc igitur Ariſtotelis doctrina eſt: diſputat vno in loco negationem modificatarum enũtiationum ſumi ex modo, non verbo: quod tamen falſum eſt: ſumi enim debet ex verbo & modo, vt antea docui: nunc ait ex verbo ſolo ſumi, quod tamen ipſum verbum, non tam verbum, quàm nomen ſit. Diſtinctiones inanes pro defenſione Ariſtotelis ab Ariſtoteleis ſomniantur, ſed diſtinctiones iſtæ aliquando à veritate & vtilitate doctrinæ diſtinguentur. Sequitur in hoc capite poſtremo duas enuntiationis contingentis ſententias eſſe, vt cùm dicitur, Currentem cadere eſt contingens, dupliciter id intelligatur: primo, Quod cõtingit currere, id contingit cadere. Secundo, Quod currit, id contingit cadere. Verùm hoc eſt ſententias ora-

Significationes contingẽtis enuntiati.

tionis ſomniare: non illum dialectica artis parentem, Vſum obſeruare. Nam cùm dico, Quiduis currens contingit hominem eſſe, quanuis nunc non currant homines, quanuis falſum ſit, quicquid contingat currere, cõtingere Vt homo etiã ſit, tamen Verum dico: fieri enim poteſt Vt ſoli homines currant aliquando, & ideo quiduis curreus hominẽ eſſe contingat. Cùm enim per contingentis modum aliquid enuntio, nullum tempus certum comprehendo: Vt cùm dico quiduis currens contingit hominem eſſe: non id Vtique nunc eſſe, aut cras futurum, aut perendie confirmo: ſed idem dico, ac ſi affirmarem poſſe fieri, Vt ſoli currant homines, ideóque quiduis currens hominem eſſe. Ac ne probatio longior quæratur, in Ariſtotelem Valeat Ariſtotelis authoritas & doctrina: ſic enim ipſe loquitur decimoquarto capite, cùm ait fieri poſſe, Vt omni mouenti homo inſit, quia accidere poßit Vt homines ſoli moueantur. Ergo in hoc capite fundamento reliquorum de contingentibus ſophiſmatum Videmus, quàm omnia Ariſtotelica ſint. Contingens antè capite octauo diſtinguitur à neceſſario: hîc falſa ratione cum eo confunditur. Contingens in libro de interpretatione dicitur ex modo negari, non ex Verbo: hic contrà, non ex modo, ſed ex Verbo, Vel potius fallaci & captioſo Verbo. Capite decimooctauo Ariſtoteles Verè & naturaliter loquitur, & ait hanc enuntiationem (quiduis currens contingit eſſe hominem) Veram eſſe, etiam ſi nunquam currant homines: hîc cũ ſomnia ſua nobis narrat, ait eſſe falſam. Capite decimotertio ait contingens non neceſſariũ mo-

dis omnibus prima figura poſſe concludi, qui error è proximo capite deductus eſt. Dic enim,

Quiduis currens contingit hominem eſſe:
Omnem verò equum contingit currere:
Contingit igitur omnem equum hominẽ eſſe.

Propoſitione atque aſſumptione veris complexio falſa concluditur. At Ariſtotelei propoſitioni reſiſtent, eámque falſam eſſe clamabũt: quia in puris cõtingẽtibus, primus contingentis modus ſequendus eſt. Verùm modos ſignificationum ab Ariſtotele traditos paulo antè commentitios eſſe docui, non è naturali hominum ſermone deductos. Quòd ſi diceret Ariſtoteles ex contingentibus nihil ratione firma concludi, attamen ſi modis illis præſcriptis & propoſitio & aſſumptio intelligantur, aliquid effici poſſe: hoc in artis doctore minus reprehendendum putarem, quanuis ſyllogiſmi doctrina dignum nihil hîc agnoſcerem: verùm contempta prima illa & ſumma cauſſa vſum popularem & naturalem intelligentiam dico, contempta inquã ſumma illa cauſſa, ſomnia ſua tanquam naturæ decreta nobis imperat. Quamobrem verè concludere poſſumus ex cõntingentibus puris in prima figura nihil concludi: nec idcirco in ſecunda & tertia: quæ à prima figura Ariſtotelis iudicio pendeant. Decimoquarto capite docet Ariſtoteles propoſitione contingente, aſſumptione ſoluta fieri complexionem cõtingentis. Ratio eadem refutãdi erroris, quæ antea. Sit igitur ſyllogiſmus hic,

Quiduis currens contingit hominem eſſe:
Omnis equus currit: finge ſiquidẽ equos currere:

Omnem igitur equum contingit hominem eſſe.

Dicent Ariſtotelei quidam propoſitionem eſſe falſam, ſi aſſumptio vera ſit: quia propoſitio ſic intelligenda ſit, Quicquid nunc currit, id contigit hominem eſſe: quod aſſumptionis hypotheſi repugnaret. Sed has tenebras à mendaci Ariſtotelis authoritate ad veriſsimã lucẽ naturæ reuocemus. Si in foro, ſi in theatro, ſi apud populum publico loco dixero contingere aliquando vt quiduis currens homo ſit, aſſentientur omnes: atque Ariſtoteles ipſe imprimis, cùm abſuerit à ſophiſticis ſomniis, & naturalem ſenſum ducem ſequetur. Ac aliter Ariſtoteles à naturali conſuetudinis quotidianæ intelligentia inſtitutus, aliter Ariſtoteles ab Ariſtotele falſus & deceptus loquitur. Quid ſi verò ne hac quidem Ariſtotelis diſtinctio authorẽ ſuum tueri poteſt? Pactus eſt ſe de non neceſſario contingenti loquuturum: cuius affirmatio in negationem (quam com miniſcitur) & negatio in affirmationem reciprocaretur ac rediret. Vnum caput, cæteris omiſsis, hîc tantum proponam. Decimoſeptimo igitur capite ait ex ſoluto, & contingenti contingens concludi: dic igitur,

Nullus lapis vigilat:

Animal contingit vigilare:

Nullum igitur animal contingit lapidem eſſe.

Conuerte ô Ariſtoteles ex legibus tuis hanc complexionem, & tibi conſtare aude, tuáque ſuperiora illa decreta defende. Conuerte inquam, quid erit?

Omne animal contingit lapidem eſſe. Et aſſume ſi voles, omnes Ariſtotelei animalia ſunt, & conclude

idcirco lapides eſſe. O diſtinctiones Ariſtoteleæ, ſuccurrite Ariſtoteli: actum eſt, ilicet, periit, niſi ſubueneritis. Hic Camaleontem quendam mihi videre videor, in omnes colorum ſpecies ſe mutantem. Diſtinctio percallida, pérque Ariſtotelica nobis opponitur: non concludi contingens non neceſſarium, ſed (lubet enim Ariſtoteleis diſtinctiones fabricari) contingens quoddam confuſum: tanquam dialectica Camaleontina neceſſario ſit, qua ſophiſticis diſtinctionum coloribus ſui ſtudioſos fallat ac decipiat. Verùm fraudes ac malitiæ iſtæ faceſſant: dialectici quàm Ariſtotelei eſſe malimus: Camaleontem imitari deſinamus. Tot colores enim, tã multiplices, tã varios aliquando deponamus: vno & naturali & vero cõtenti ſimus: tametſi enim

Id quoque quod ventis animal nutritur & aura,

Protinus aßimilat tetigit quoſcunque colores.

Attamen hoc idem animal nec rubrum, nec cãdidum colorem poteſt aßimilare. Ariſtotelei diſtinctionum multos colores poſſunt imitari: contingens modo ſimpliciter, modò neceſſarium, modò non neceſſarium, modò inter vtrunque confuſum: neceſſarium ipſum modò abſolutè, modò cum aliqua conditione, modò ampliatum ad vtrunque. At Ariſtotelei quanuis commutandis coloribus tam ſint admirabiles imperitis & ignorantibus: tamen ſimplicem illum naturalis lucis candorem, ſplendentem ſolidæ prudentiæ ruborem imitari non poſſunt. Nunquam his ſophiſmatis Platonicum vel Homericum quicquam accommoda-

bunt. Verùm ad reliqua tranſeamus, & breuiter quæ ſuperſunt, perſtringamus. Conſtiterit ſyllogiſmorum leges generales concludendis omnibus vel ſolutis, vel neceſſariis enuntiationibus idoneas eſſe: ex contingentibus, vel puris, vel permiſtis ſyllogiſmum ſtabilem, & conſtantem nullum eſſe. Sex capita deinde ſequuntur de ſyllogiſmo ex hypotheſi, de qualitate, quantitate, numero terminorum, propoſitionum, problematum, vana prorſus atque inutilia. Ariſtoteles ait aliquando rem ſimpliciter, & bona fide doceri: aliquando ex opinione contradicentis aliquid aſſumi: quo poſito confeßio concluſionis exprimatur: quod eſt verum: ſed inutiliter relatum in præcepta. Non enim alia inueniendi, alia diſponendi doctrina eſt in ſyllogiſmis oſtenſiuis, alia in ſyllogiſmis ex hypotheſi: ſed vna communis vtriuſque ſicuti rerum aliarum omnium. Cætera autem quæ hîc dicuntur de qualitate, quantitate, intellecta ſunt prius & declarata in explicandis ſyllogiſmorum formis & modis: neque hîc iterata nouæ vtilitatis quicquam adferunt, ſed inanißimas tenebras multiplicant. Capite triceſimo de ſyllogiſmis oſtẽſiuis, ad impoßibile, & reliquis ex hypotheſi: de quibus nugis modò diximus: & mirũ eſt, tam fertilẽ eſſe in nugis Ariſtotelẽ. Triceſimo primo capite affirmat Ariſtoteles omnes ſyllogiſmos per tres figuras à ſe expoſitas fieri. In quo falſò concedit ſibi, quod ab hominibus non Ariſtoteleis ſi quæreret, verißimè negaretur. Sunt enim præter ſpecies ſyllogiſmorum ſimplices coniuncti ſyllogiſmi, & connexi, & diſiuncti: de quibus in totis analyticis nullum verbum

Syllogiſmus diuiſionis.

eſt. Capite triceſimoſecundo diſputat Ariſtoteles in diuiſione ſyllogiſmum quendam eſſe, ſed infirmum: in quo dupliciter errat: & quòd diuiſio argumenti nomen ſit & ſpecies, non ſyllogiſmi: & quòd in exemplo (quod adhibet) duos ſyllogiſmos firmiſsimos oſtendit, non vnum infirmum. Primus eſt,

Omne animal mortale eſt, aut immortale:
Homo autem animal eſt:
Homo igitur mortalis eſt, aut immortalis.

Hic ſyllogiſmus eſt primæ figuræ: nec intereſt quòd propoſitio coniuncta enuntiatio eſt: neque enim ſyllogiſmi ſimplices dicuntur, aut coniuncti ab enuntiatione ſimplici, aut coniuncta, ſed à diſpoſitione, vt in noſtris inſtitutionibus diximus. Secundus ſyllogiſmus in exemplo Ariſtotelis eſt,

Homo mortalis eſt, aut immortalis:
Non autem immortalis:
Mortalis igitur.

Hic diſiunctus ſyllogiſmus conſtans & firmus eſt. Ergo Ariſtoteles tam ſe dialectica ignarum oſtendit, vt in quo exemplo vnum ſe dicat infirmum ſyllogiſmum facere, duos conſtantiſsimos ſe concluſiſſe non videat.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſoctauus.

De ſecundo Analytico.

AT reliquæ ſunt analytici ſecundi non pauciores ferè tenebræ: ad eas igitur eodē orationis curſu diſputationiſque contendamus. Videntur enim ſyllogiſmi, & iudicij quædā hîc etiā præcepta conturbari. Verū Ariſtoteles idē, qui fuit antea in inuētionis tenebris, qui rurſum in ſyllogiſmorum modis fuit, idē ſanè hic erit. Neque hîc Ariſtotelem accuſo, vt antea, quòd neceſſaria multa prætermittat, ſed quòd nihil omnino dialecticū toto iſto analytico doceat. Quærit enim Ariſtoteles in ea re dialecticā, ſtatuítque, vbi ne ſomnia quidem locum habere poſſunt. Nullum enim ſomnium tam eſt abhorrens à veritate, tam commentitiū, quin aliquam rerum ſenſu perceptarū ſpeciem retineat, quin aliquod rerum viſarum exemplar oſtēdat. At in hoc toto libro nullum dialecticæ artis præceptum eſt, nihil quod inuentionem doceat, nihil quod ſyllogiſmi iudicium adiuuet. Tres libri totius partes video: primam de poteſtate ſyllogiſmorum, alteram de vitiis, tertiam de formis argumētationum. In prima declarantur ſex poteſtates ſyllogiſmorum, prima quomodo concludere

Nihil eſt dialecticū ſecūdo analytico.

Tres partes analytici ſecundi.

liceat plura ex eodem ſyllogiſmo. Primum per conuerſionem, de cuius vanitate iam dictum eſt antea: ſecunda ſpecies, & tertia primæ poteſtatis ſequitur in eodẽ capite, quò modo per ſumptionem ſub medio & ſub minore extremo plura concludamus. Quæ conuerſionũ ſimillima deliratio eſt. Poſſumus ex eadem propoſitione aliud atque aliud aſſumere: poſſumus ex eadem aſſumptione propoſitionem facere, nouámque aſſumptionem adhibere, vt nouam quæſtionem concludamus. Sit igitur ſyllogiſmus vnus, ex cuius & propoſitione, & aſſumptione nouis vtrobique aſſumptionibus additis, hoc ſcilicet modo plura concludamus.

Omne viuens mouetur:
Omne animal viuit:
Omne igitur animal mouetur.

Secundus ſyllogiſmus à medio ductus.

Omne viuens mouetur:
Omnis homo viuit:
Omnis igitur homo mouetur.

Tertius à minore extremò ductus.

Omne animal viuit:
Omnis equus animal eſt:
Omnis igitur equus viuit.

Hanc plura concludendi poteſtatẽ Ariſtoteles in ſyllogiſmo reperit: verùm quàm Ariſtoteleam! quàm à præceptis artis alienam! imo ab artis ignoratione profectam! Conſiderate hæc Ariſtotelei: quæ ſi diligẽtius Ariſtoteles conſideraſſet, nunquam profectò tam temerè ſcripſiſſet. Si cõſideraſſet quæſtione poſita quæren-

dum argumentum, quæſitúmque certa lege cum quæſtionis extremis diſponendum, nunquam hæc præcepta tam ridicula feciſſet. In primo modo propoſiti ſyllogiſmi, argumentum ex genere ſumitur, per quod ſpecies ſimiliter plures probari poſſunt. Syllogiſmi vna, & eadẽ diſpoſitio eſt in omnibus propoſitis ſyllogiſmis: quòd ergo plura concludantur, poteſtas ſyllogiſmi non eſt, ſed argumenti generalis, & ad res multas pertinentis. Deinde verò quod in hoc præcepto longè ſtultius eſt, quæſtio alia atque alia ponitur concluditúrque: tótque ſunt ſyllogiſmi, quot quæſtiones: nec ex vno ſyllogiſmo, ſed ex vno argumento plures ſyllogiſmi fiunt: ideóque præceptio iſta verè Ariſtotelea eſt, id eſt, vt iam ſæpe interpretor, inutilis & nugatoria. Cũ enim hîc aliud atque aliud concludere ſtatuo, eandem ſemper artem ſequor, quæſtionem mihi propono. Nihil enim concluditur quod non quæratur, & ponatur prius, ſi non reipſa, ſaltem mente & cogitatione: fruſtrà enim de re certa & indubitata diſſereretur: & poſita quæſtione non à ſyllogiſmo, ſed ab inuentionis locis argumentum peto. Quod ergo plura concludo, non eſt iſta vis ſyllogiſmi, ſed argumenti. Tollatur igitur iſta vanitas & confuſio. Secunda poteſtas eſt, ex falſis in omni figura concludendi: quæ poteſtas non eſt ſyllogiſmi. Syllogiſmus enim tantum hoc profitetur, vt conſtantem partium coniunctionem copulationémque inſtituat, & ex duobus conceſſis, tertij quod negabatur, confeſſionem exprimat: ad quam nihil pertinet vera, falſáne ſint partes: ſecus ex falſis ſyllogiſmus ſtultè ab Ariſtotele

Poteſtas ex falſis cõcludendi.

x. i.

inſtitueretur. Porrò ſyllogiſmi poteſtates innumerabiles ſimili deliratione colligi poterant: ex veris in omni figura concludi, ex poßibilibus, ex impoßibilibus, ex puris, ex ſolutis, ex moralibus, ex phyſicis, ex bonis, ex malis: ſed quid iſta ad ſyllogiſmi naturam? Moneamus igitur ſyllogiſmi nihil hîc eſſe, & totam iſtam poteſtatem tam leuem, tam inanem, quia nihil inuentionis, nihil diſpoſitionis doceat, à dialectica tollendã. Atque hîc mathematicam aliquam imitationem ſuſpicor ineſſe. Arithmetici ſuſcipiunt vt ex falſis eliciant verum: Ariſtoteles ſimile quidpiam in dialecticis ſi comminiſceretur, ſe mathematicum egregium fore credidit. At quàm non conuenit in dialectica (quæ mathematicis omnibus, & natura, & vſu prior eſt) tam aniliter fabulari? At de mathematicis imitationibus dictum antea eſt. Tertia poteſtas de circulo ſyllogiſmorũ eſt in omni figura, cùm ex ſyllogiſmi complexione cum altera partium antecedentium conuerſa concluditur reliqua: vt in hoc exemplo,

Circulus ſyllogiſmorum.

Omnis homo eſt rationalis:
Omne riſibile homo eſt:
Omne riſibile eſt rationale.

Circulo concluditur propoſitio.

Omne riſibile eſt rationale:
Omnis homo eſt riſibilis:
Omnis homo eſt rationalis.

Circulo concluditur aſſumptio.

Omne rationale eſt homo:
Omne riſibile eſt rationale:

Omne riſibile eſt homo.

O vanitas vanitatum & omnia vanitas! O circulatoriam circuli vanitatem, & non modò circulorum, ſed theatrorum omnium deriſione digniſsimam! Principium & fons circulationis huius, cõuerſio eſt, fallax, & vana, & (vt antè diximus) commentitia: ſed & circuli vanitas multo maior eſt omni conuerſione. Pone quæſtionem quæ differenti propoſita eſſe debet, & quæ concludi debet: ſi factus ſyllogiſmus erit partibus omnibus veris & conceßis, nulla quæſtio circulandæ propoſitioni vel aſſumptioni poterit eſſe: conceſſa enim ſunt, & pro veris poſitæ: nec, niſi inſanire voles, de re probata & confeſſa diſſeras. Si ludicrum aliquem & ioculatorium ludum in dialectica quæramus, hæc figmenta fortaſſe inertem aliquem & languidum delectarent: verùm in prudentiæ & ſapientiæ ſtudiis, pro ſolidis & vtilibus conſiliis inania commenta fingere, non eſt doctoris bene de diſcipulorum inſtitutione ſperantis. Nullus vſus eſt circuli, nec eſſe omnino poteſt vllus. Si enim (vt idem iteretur) ſyllogiſmus ille vnde circulus efficitur, conceſſus fuerit, & res ipſa conceſſæ, nulla quæſtio reliqua eſt, quæ concludi debeat, nec poteſt niſi de quæſtione diſputari: ſin falſæ ſint prioris ſyllogiſmi partes, quid ex negatis effici denuo poteſt? Tollantur igitur tam ridiculæ fallaciæ ſimplicium ingeniorum, in quibus pro ſapientia, ſtultitia ſumma traditur. Quarta poteſtas eſt de oppoſita conuerſione ſyllogiſmorum, quando ex contrario factæ concluſionis cum antecedentium partium altera, contrarium reliquæ

Poteſtas oppoſitæ cõuerſionis.

partis concluditur: Vt in hoc exemplo,

Omnis homo eſt rationalis:
Omne riſibile eſt homo:
Omne riſibile eſt rationale.

Oppoſitio aſſumptionis concluditur.

Omnis homo eſt rationalis:
Nullum riſibile eſt rationale:
Nullum igitur riſibile eſt homo.

Oppoſitio propoſitionis concluditur.

Nullum riſibile eſt rationale:
Omne riſibile eſt homo:
Aliquis igitur homo non eſt rationalis.

Quæ vanitas ſimili cũ ſuperioribus ratione exploden-da eſt. Nullus eſt vſus harum concluſionum, nec omni-no vllus eſſe poteſt: ſi primus ſyllogiſmus negetur, multo iuſtius reliqui negabuntur. Primus enim clariſsimus eſt omnium, & in dialectica notiſsimus: ſi verò conce-datur, nulla ex oppoſitis concludendi poteſtas relinque-tur: & hæc poteſtas ſicuti ſuperiores nihil ſyllogiſmi eſt. Non enim nouam diſpoſitionis rationem docet, ſed argumenti, quod tamen impoſsibile eſt in hoc genere contentionis adhiberi. Hîc ignoratio inuentionis & iudicij eſt, ſicut antea, non poteſtas ſyllogiſmi. Quinta poteſtas eſt de ſyllogiſmo ad impoſsibile: vbi ex contra-dictione orationis propoſitæ cum ſumma ſententia ali-qua manifeſte vera, abſurdũ aliquid & alienũ val-de, concluditur, vnde cogitur aduerſarius palinodiam cantare. Hîc ignoratio dialecticæ, ſicut antea eſt: argu-menti vis iſta facultáſque eſt, non ſyllogiſmi: adhibe-

Poteſtas ad impoſſibile.

tur eiuſmodi diſputatio frequenter ex diſſentaneis, ſed ad eam præcepta iſta nihil conferunt. Per generalia enim inuentionis diſpoſitioníſque præcepta diſputatio eiuſmodi fit: quare confuſio hic eſt & hebetatio ingeniorum. Poſtrema poteſtas eſt de oppoſitis omnium maxime ridicula: quæ non modò nulla in vſum cadere poteſt, ſed ab vſu ipſo maxime abhorret, vt Poteſtas de oppoſitis.

Omnis impoſtor eſt ſophiſta:
Nullus impoſtor eſt ſophiſta:
Ergo nullus impoſtor eſt impoſtor.

Quis vnquam hoc modo loquutus eſt? aut quis hoc modo loquentem non delirum, aut inſanum putet? Nihil in dialecticis oppoſitione maius, nihílque valentius arbitratur Ariſtoteles: ad ſyllogiſmos conformandos contradictionem adhibet, & in metaphyſicis appellat principium principiorum, per quod omnia probentur, ipſum nulla re alia probari poßit. At in hoc ſyllogiſmo putat accidere poſſe, vt oppoſitionis pars vtraque vera, & ſyllogiſmi vis oppoſitione fortior etiam videatur. Quamobrem in hac vniuerſa ſyllogiſmorum poteſtate declarat Ariſtoteles ſe prorſus ignorare inuentionis & diſpoſitionis, id eſt, totius dialecticæ poteſtatem. Agite enim Ariſtotelei, medicus exiſtat, qui noua & inaudita nobis herbarum genera ſomniando conceperit, quæ quo terræ loco, quà cæli regione naſcantur, neſciat: quos vſus, quas commoditates habeant ignoret: imò verò quales gigni nulla naturæ ratione poßint: attamen vobis Ariſtoteleis ſumma illa venditare, & velut ſingularia quædam medicinæ myſte-

ria commemorare ac prædicare audeat. Quid vos Ariſtotelei, nunquid huic medico Antichyras petendas decernetis? At vos, vos inquam quales tandem vobis non corporis, ſed ingenij medici videmini? quibus in oratorum & poetarum campis, quorum philoſophorũ in ſyluis ſteriles iſtæ ſyllogiſmorum auenæ, à vobis neſcio quibus viſis conceptæ gignuntur? ad quos humanæ vitæ morbos propulſandos, ad quam mentis ſanitatem tuendam adhibẽtur? Obmuteſcitis hoc loco: neque enim proferre vllum exemplum Homericum, aut Platonicum, imò verò ne Cherileum quidem vllum teſtimonium poteſtis. Nulla pars conſuetudinis humanæ tam turpiter vnquam delirabit, vt iſtis medicamentis veſtris egeat. Quamobrem quid de Ariſtotele expectamus? Nunquid vt vita atque humanitas ipſa ſe vindicet, ac Ariſtotelem dialecticorum ſtudiorũ turbatorem eſſe palàm clamitet? Quare nihil habet ô Ariſtotelei, pars iſta prima huius analytici apud nõ inſipientes emptores vendibile. Miſeris & ſtultis eſſe cupientibus (ſi quos nacti eritis) iſtam vanitatem probate, & quanti poteritis, vendite. Quid ſecunda pars, an quicquam melius, optatius, vtilius continet? media probabile eſt extremis eſſe ſimilia. Itaque quinque capita de petitione principij ſtatim, non ſtatim, & non propter hoc accidere falſum, de falſa ratiocinatione, de fallacia ſecundum opinionem, de puerilibus terminorum conuerſionibus quid oſtendunt? Hem quid oſtendunt? quid inquam hæc oſtendunt? Non reſpondetis? adiuuabo vos, & quod non poteſtis, aut non vultis

Petitio principij.

Ariſtotelei, exprimã. Petitio principij tam vehementer à vobis accuſata nónne ſignificat maximum in omni oratione vitium eſſe obſcuritatem? Ergo volunt Ariſtotelei eſſe faciles & aperti. Ergo dialecticam (quæ mater eſt omnis probationis ac fidei) nolunt eſſe obſcuram & inuolutam. O Ariſtoteleos mendaces, nec ſatis veſtri memores! defenditis Ariſtotelem de induſtria obſcurum & difficilem eſſe, & tamen hic ille ipſe magiſter publica lege cauet. Ne quis obſcurè doceto: ſecus capitale eſto. O præclarum legiſlatorem: tu aliis rectè agendi neceſsitatem imponis: tibi ipſi permittis tam immoderatam peccandi licentiam! O libidinem non ferendam! alios in peccatis gloriari, alios de iis ne conqueri quidem audere! Reprehendor à te, ſi obſcurus ſim: tui te prudentem ſciéntémque aiunt in obſcuritate verſari: hanc tantam támque inauditam tyrannidem (ſi in iudicium veritatis appello) flagitioſus, ſceleratus, audax, ſcilicet appellor. Cætera cur abiiciam, ſi me roges, nihil ſeuerè, & pro meo iure reſpondebo: ſed idem tamen quod tu ſeruo tuo, cùm eum domo eiiceres. Si quid enim quereretur, diceres, abi in malam crucem nebulo, quando nihil vnquam profuiſti familiæ meæ, ſed obfuiſti ſæpe plurimum: ita reſpondebo dialecticis ſtudiis vanitates iſtas Ariſtotelicas nihil vnquã profuiſſe, ſed ſæpe nocuiſſe plurimum. At poſtremam partem videamus, res fortaſſe meliores & vtiliores oſtendet. Quid igitur? Quemadmodum ex eodem luto figuli varia vaſa, ſic ex eodem fracto diſsipatóque ſyllogiſmo, diſsimilis argumentationis ſpecies efficit Ariſto-

teles:inductionem, enthymema, exemplum. Enthymema, truncum ſyllogiſmum confitetur: hoc quia concedit, accipio. Inductio, & exemplum trunci ut enthymema, ſyllogiſmi Ariſtotelis iudicio non ſunt: huic mendacio reſiſto. Quid eſt hîc artis noua Ariſtoteles?

Inductio. *Cur inductio & exemplum non ſunt etiam enthymemata, id eſt (ut ais) imperfecti ſyllogiſmi, ut addita propoſitione vel aſſumptione, quæ deeſt, perfecti ſyllogiſmi fiant? ſit enim inductio,*

Omnis & homo & bellua ſentit:
Omne igitur animal ſentit.

Sic enim inſtituis inductionem. Adde igitur aſſumptionem ô magiſter Ariſtoteles, ſyllogiſmum facies hoc modo,

Omnis & homo & bellua ſentit:
Omne animal eſt homo belluáue:
Omne igitur animal ſentit.

Perridiculum autem eſt inductionis & ſyllogiſmi diſcrimen ab Ariſtotele inuentum: quòd ſyllogiſmus concludat maius extremum de minore per medium: inductio autem maius extremum de medio per minus concludat. Homo hîc nimium obliuioſus, ac ſui ſæpe immemor grauiter peccat. Præcipit analytica ſuperiori quæſtionis (quæ futura concluſio eſt) extrema duo eſſe, maius & minus: & ad concludendam quæſtionē medium (ſic enim vocat argumentum) quærendum eſſe, quod diſpoſitum cum extremis certa ſyllogiſmi lege concluſionem efficiat. Hic autem ita loquitur, quaſi inductio nullum habeat argumentum, & è partibus argu-

mentum nullum ſit ad concludendum totum. Quòd ſi Ariſtotelei dicant ab Ariſtotele intelligi medium (vt ſolent aliquid perpetuò turbare) quod eſt in ordine prædicamenti inter infimum & ſummum: exempli gratia inter Socratem & ſubſtantiam ſit animal. In quas tenebras primo, & tertio analytico, topico primo, & octauo Ariſtoteles incidit, iugulabunt ſe ſuo gladio. In his enim ſyllogiſmis vtrunque medium in ſuis figuris dicunt. Obiectio.

Omnis homo eſt ſubſtantia:
Nullus color eſt ſubſtantia:
Nullus color eſt homo.

Socrates eſt homo:
Socrates eſt ſubſtantia:
Quædam ſubſtantia eſt homo.

Subſtantia, & Socrates, in his ſyllogiſmis media ſunt: & Ariſtotelis confeßione & iudicio media ſunt. Et tamen non ſunt inter minimum & ſummum prædicamenti locum. Quòd ſi per medium comminiſcantur propriam rei cauſſam ſignificari, multo grauius errãt. E tot enim generibus argumentorum vnicum ex cauſſis ſcilicet argumentum ſumerent: cætera omnia tollerent: & de tribus ſyllogiſmorum generibus (quæ Ariſtotelei fingunt) demonſtratiuum ſolùm retinerent: cætera damnarent & improbarent. Hic etiam Ariſtoteleus quidam dicat, Ariſtotelẽ ſyllogiſmos inſtituere pronuntiationum ſimplicium: in exemplo autẽ inductiui ſyllogiſmi vnam eſſe pronuntiationem diſtinctam. At Ariſtotelei diſcant ſimplices ſyllogiſmos nõ, Obiectio.

eſſe ex enuntiationibus ſimplicibus, ſed ex diſpoſitione ſimplici, ut iam dixi, quæ cùm ſit in illo exemplo ſimplex, ſimplicem ſyllogiſmum eſſe, & ſyllogiſmorũ naturã nõ eſſe Ariſtotelis tam mendaci authoritate, ſed naturæ veritate metiendã. Sed nimium diu de re perſpicua. Inductio certam argumenti ſpeciem ex partium ſcilicet enumeratione, nullam diſponendi rationem ſignificat. Non eſt igitur inter argumentationis ſpecies enumeranda. Secundum caput eſt de exemplo, errore ſimillimo inuolutum. Exemplum argumenti nomen eſt quoddam, nullius tamen generis proprium: poteſt enim ſimile, diſſimile, ſpecies item eſſe exemplum: ut ſi de homine loquimur in uniuerſum, ad explicandum latius, proferũtur ſpecies: ut Plato, ut Socrates: ſi de tyrãnis loquimur, ut Dionyſius dicimus, ut Phalaris. Hæc exempla ſpecies ſunt quædã rei de qua loquimur: ſæpe etiã in cõparatione aliqua exẽplum ſumitur, ut ſimilitudo rei geſtæ exẽplũ nominetur: ut ſi dicas quẽadmodũ Demoſthenes, ſic Cicero à ciuibus ſuis eiectus patria eſt: & Ariſtoteles ipſe nobis proponit ſyllogiſmũ, cuius propoſitio exẽplo cõfirmatur: nullã legẽ diſponendi argumenti tradit: ſyllogiſmus ſic ex eius verbis eſt, Exemplũ.

> *Bellum cõtra confines eſt malum, ut Thebanorum contra Phocenſes:*
>
> *Bellum Athenienſium contra Thebanos, eſt cõtra confines:*
>
> *Bellum igitur Athenienſium contra Thebanos, eſt malum.*

Argumentum huius quæſtionis ex adiunctis ſumptũ

eſt, quod fuit confirmatū exēplo: quæ ſpecies eſt finitimorū populorū. Quamobrē exemplū eſt argumenti ſpecies, nō autē argumentationis. Verùm Ariſtotelei nominū ſcholaſtica fictione, non vſitato & populari ſermone exēplū diſtingunt non à ſyllogiſmo tantū, ſed ab inductione. Sed hîc ſatis eſt in erroribus tam manifeſtis lucem proponere. Argumentatio eſt argumenti diſpoſitio: quæ cùm in exemplo nulla noua ſit, non eſt argumentationis ſpecies exemplum: ſit igitur argumentum, & ad inuentionis doctrinam referatur: quanquā locum inuentionis generalem nullum habet exemplum: poſſunt enim, vt dixi, exempla diſſentanea, poſſunt ſpecies, poſſunt comparationes eſſe, vt exempli nomine vulgo vtimur. Tertiū caput de deductione multo maioris cæcitatis eſt. Deductionis nomē video generaliter accipi pro cōfirmatione propoſitionis vel aſſumptionis: quod præceptū in dialectica ſtultiſſimum eſt. Quid enim eſt ars dialectica? nōne in hoc verſatur, vt ſi quid dubium ſit, confirmetur? Valde igitur hebetes Ariſtoteleos hîc agnoſco, qui quicquid ſomniarūt, vtile, inutile, nullam rationem habent, in præceptis artium ponunt. Similis eſt in quarto capite de inſtantia vanitas: reſiſtere enim aduerſario omnibus & argumentorum, & ſyllogiſmorum generibus poſſumus, id eſt, tota dialectica in hoc vtimur. Sed antea de inſtantia dixi: liber iuſtus ſit, ſi vnum in locum colligas, quæ Ariſtotelei de inſtantia ſcripſere in dialecticis. De Enthymemate quod ſequitur, breuiter admoneri poterat, ſyllogiſmum in hominum ſermone perpetuò plenum non

Deductio.

Inſtantia.

Enthymema.

eſſe, & illum ſyllogiſmum truncum, Enthymema ſolere appellari. εἰκὸς autem & ſignum, & phyſiognomoniam huc deriuare, vt Ariſtoteles facit, nullius erat propoſiti: res enim aliena eſt à iudicij explicatione. Quare in his ſex capitibus inductio, & exemplum argumentorum nomina ſunt, non argumentationum: enthymema ſyllogiſmi contracti, deductio & inſtantia generalia nomina, vt probatio & refutatio. Quamobrem analytico ſecundo non poteſtas ſyllogiſmorum, ſed imbecillitas Ariſtoteleorum: nõ diſputationum vitia, ſed Ariſtoteleorũ ſomnia: non formæ argumentationũ, ſed nugæ Ariſtoteleorũ docentur. Quamobrẽ iam nobis licet hanc diſputationis partem de ſyllogiſmis perorare, & artis deſcriptionem, vímque totam cum ſophiſmatis & nugis Ariſtotelis comparare. Cognouimus adhuc quàm multa in analyticis inutilia redundarent, quàm multa neceſſaria deſint etiam videamus.

Quæſtio ſecũda de neceſſariis omiſsis ab Ariſtotele vbi collatio eſt veræ artis cũ Ariſtotelea.

Diſpoſitionem dialecticam initio generaliter & vniuerſe definimus: Ariſtoteles in analyticis ne nomen quidem huius virtutis videtur eſſe ſuſpicatus: tantùm abeſt, vt eam definierit. Nos diſtribuimus in veras & legitimas ſpecies, ſyllogiſmum & methodum: Ariſtoteles partitionis huius tam claram, támque illuſtrem lucem in analyticis ſuis non adhibuit. Nos ſyllogiſmum non ſolùm verè, & ex propria ipſius natura, & ſubſtantia definimus: ſed intelligenter & perſpicuè ex naturalis exempli argumento declaramus: Ariſtoteles non ſolùm obſcuris, ſed etiam falſis tenebris definitionem hanc inuoluit. Nos ſyllogiſmum partimur

in mẽbra, deinde in ſpecies, membráque ac ſpecies ſuccinctis ac perſpicuis definitionibus exponimus: Ariſtoteles neutram partitionem expoſuit, nec partium vllã omnino definiuit: ſed primum illum doctrinæ ingreſſum (qui omni luce clarus & apertus & artificioſe cõpoſitus ac diſtinctus eſſe debuit) omni genere tenebrarum ac ineptiarum labefactauit: differentia enuntiationum demõſtratiuarum & dialecticarũ: fatua ſyllogiſmorum perfectorum, & imperfectorum diſſectione: principiorum dici de omni & de nullo, deliratione: commentis conuerſionum. Nos ſyllogiſmum ſimplicẽ definitum diuidimus in genera & generum ſpecies ac modos: omniáque perſpicuis & nobilibus exemplis explicamus: Ariſtoteles ſyllogiſmum ſimplicem non definit: genera eius nominibus falſa & ſtulta ratione à geometria petitis figuras nominat: modos enumerat quoſdã etiã ridiculos Fapeſmo & Frizeſomorũ: illuſtrationes Ariſtoteleæ, obſcurationes ſunt ſophiſticæ, ex principiis omni ineſſe, nulli ineſſe. Homerica Ariſtotelis exẽpla (quibus ipſe præcipit vtendũ eſſe ad perſpicuè docendum) ſunt carbones abecedarij friuola imitatione à geometris accepti: varietas & ſingularis exornatio Ariſtoteleæ doctrinæ eſt vitioſarum & inconſtantium concluſionum confuſio & perturbatio. Nos coniunctum ſyllogiſmum definimus, partimur in connexum & diſiunctũ: vtrumque genus definitum ſuis generibus ac partibus explicamus: & omni ſplendore humanitatis illuſtramus: Ariſtoteles in huius partis explicatione ſemel tantum peccauit: nihil omnino de

coniunctis ſyllogiſmis docuit: nihil præterea hîc peccauit: & exiſtimantur hi ſyllogiſmi à Theophraſto & Eudemo reperti, vel, vt aliis placet, à Stoicis. Quapropter conſiderate iam Ariſtotelei non ſolùm vt in partibus ſingulis, quàm multa non neceſſaria confuderit Ariſtoteles in dialectica diſpoſitionis explicatione, ſed etiã quàm multa neceſſaria penitus omiſerit: quot definitiones, quot partitiones, quot illuſtrationes, quot denique tam neceſſariæ doctrinæ partes neceſſarias ignorauit, aut certè in his analyticis non docuit: & poſita proteruitate Ariſtotelea dialecticam libertatem aſſumite: & audete confiteri Ariſtotelis tenebras & ſophiſmata, noſtra doctrina luce ac veritate ſuperari.

Quæſtio de vſu ſyllogiſticæ doctrinæ.

An verò nimis magnum laudis præmium poſtulo? nimis inſignia tantæ confeſſionis teſtimonia flagito? Ego verò (qua ſum adhuc erga vos æquitate, non ſolùm libenter, ſed etiam prolixe ac liberaliter abuſus) omnia iſta debita nobis ornamenta vobis remittam: fatebor dialecticæ principem Ariſtotelem eſſe, honorem non ſolũ eum, qui adhuc ei tam ſtultè tributus eſt, ſed maiorem multo atque ampliorem meruiſſe concedam, niſi tam ſit Ariſtoteles in vi & poteſtate, totóque vſu ſyllogiſmi tardus & hebes, quàm confuſus fuit, quàm tenebricoſus, quàm fallax in artis expoſitione. Etenim Ariſtotelei certamen illud iam ſæpius certatum reuocate, & mecum de ſyllogiſmi fructu & vſu contendite: excitate mentes veſtras ſublimes, quas pronas in terram ac in tenebras Ariſtoteles abiecit. Quærite ab Ariſtotele quæ ſit vis & natura ſyllogiſmi, quibus in

rebus poteſtas eius ſpectanda ſit. An remittet vos ad poteſtatem plura cõcludendi ſub medio? minore extremo? per conuerſionem? ex falſis in omni figura? per circulum in omni figura? per tranſpoſitionem in omni figura? ex oppoſitis in omni figura? At impotentiam eſſe Ariſtotelis in ea ſophiſtica poteſtate antea docuimus. Quærite igitur potius ab Ariſtotele quamobrem tot ſyllogiſmi ab eo confuſi diſcantur: quæ cõmoditas tandem ſit expectanda: quomodo authores ad explicandũ propoſiti, ſint per eius doctrinam nobis æſtimandi: quomodo iudicia vel noſtra vel aliena ſint exploranda: quomodo denique & quibus omnino in rebus ſyllogiſmi tractanda ſit & adhibẽda regula. Hanc ἀπόδειξιν, quoniam Ariſtotelei eſtis ab Ariſtotele (qui maximũ gloriæ ſuæ fundamentum in ἀποδείξει collocauit) petite: paginas iam euolutas reuoluite: ſingulas non modò lineas, ſed ſyllabas analyticas expendite: inferos etiam, ſi poteſtis, totos, atque illic Ariſtotelem contremiſcentem excitate: dicàtque quod vos ex eius doctrina non habetis, de quo nullum in analyticis nominatim verbũ Ariſtotelis proferre poteſtis, quorſum tot analytica & legantur & clamentur: Ariſtoteles hîc magis mutus, quàm piſces: vos autem Ariſtotelei meminiſtis, quos in ſchola clamores, quas θέσεις de ſyllogiſmo diſputetis. At quoniam nihil Ariſteteles tanta de re loquitur, quoniam etiam Ariſtotelei, exceptis ſcholæ clamoribus (ad quos & inuentam & referendam dialecticam totam arbitrantur) nihil de tanta dignitate ſuſpicãtur, da nobis Deus optime maxime, vt agnoſcant Ari-

ſtotelei tanti tamque cœleſtis beneficij tui gratiam. Nō conqueror quòd antea ſæpe de multis Ariſtotelis præceptis conqueſtus ſum, nullū vſum ſyllogiſmi eſſe, nullū eſſe poſſe: ſed accuſo Ariſtotelē, qui nō doceat quomodo, quibus in rebus eo ſit vtendum: quòd Ariſtotelei in altercationibus ſcholaſticis eū dūtaxat exerceant. Nō eſt Ariſtotelei, nō eſt inquā ſophiſticus & ſcholaſticus vſus ſyllogiſmi, ſed longè latius quàm creditis, per omnes vitæ partes diffunditur. De poetæ, de oratoris, de philoſophi ſententia vis æſtimare? concluſionis genus, quo vſus eſt, intuere: ſi ſit imperfectum, perfice & abſolue: tum conſidera quàm firma propoſitio, quàm certa ſit aſſumptio, quàm conſtans earum ſit inter ſe coniunctio: hinc enim duplicis iudicij rationem & naturalis in ſingulis partibus, & artificioſi etiam in tota atque vniuerſa diſpoſitione ſi firme comprehenſam & penitus perſpectam habueris, ſcientiam te tenere non opinionem, veritatē non errorem confidito. Quid cōfidito inquā? tā enim fuerit illud ſolidū, tā ſtabile, tam fixum, tam prorſus immutabile iudicium, vt facilius eſſe credam, ſoli lumen, quàm homini ſic affirmatam aſſenſionem eripere. Idem & partium & vniuerſi examen, in deliberationibus, in cauſsis forenſibus, in rebus omnibus & lectis & auditis & meditatis adhibe: prò ſancte Deus atque æterne, quàm reperies noſtra, quæ vulgo nominantur, iudicia, præcipites & cæcas affectiones ex amore, odio, indignatione, commiſeratione, ſpe, deſperatione, voluptate, dolore, & cæteris hiſce affectibus profectas eſſe! Atque exercitationis &

Vſus huius (quẽ ſyllogiſmi eſſe dicimus) gratia exempla quædam liceat è diſputationibus noſtris petere. Vtilis & vera doctrina conuerſionum eſt & principiorum dici de omni, dici de nullo, omni ineſſe, nulli ineſſe, dicit Ariſtoteleus. Quamobrem? quia Ariſtoteles eam tradidit: hoc verò non eſt iudicare, ſed quod imperitè credis, effutire. Redeamus ad regulã ſyllogiſmi, examinemus hoc tam mendax Ariſtoteleorũ iudiciũ.

Quicquid ab Ariſtotele traditur, eſt verum & vtile:
Conuerſionum & reliquorum principiorũ doctrina ab Ariſtotele tradita eſt:
Eſt igitur vera & vtilis.

Heu mentes Ariſtoteleorum à mente tam vehementer auerſæ! quale eſt ſyllogiſmi huius principium, quia nõn erroris ſolùm & falſitatis, ſed ſummæ impietatis plenum! quàm enim multa falſa & impia tradit Ariſtoteles, qui mundum & æternum & fato aſtrictũ, qui mortales animos, qui hominis fœlicitatem & ab homine inchoari & in homine terminari, ſicut alia permulta tam nefariè, támque impiè fabulatur! Deſcriptio dialectica per inuẽtionis & diſpoſitionis definitiones & partitiones & exemplorum explanationes, res eſt arida & exigua, ait idem Ariſtoteleus. Quid ita? quia Ramus neſcio quis hanc nouam nobis doctrinam attulit. O me infœlicem, ſi Ariſtotelei dialecticè iſto modo & rectè iudicant! ô cæcos potius Ariſtoteleos, ſi inſipide iſto modo diſputant! Verùm Ariſtotelei iudicia noſtra cum veſtris erroribus, ἀποδέξεσ

noſtras cum veſtris elenchis comparate. Remouete ex hoc iudicio Ariſtotelis authoritatem: iubete Ramum conſiſtere in fori veſtibulo. Et quoniã iudices eſſe vultis, rationes noſtras ad ſyllogiſmi, id eſt, ſacroſancti iudicij regulam & normã reuocate. Ramus binas cauſſæ ſuæ tabulas, gemina vobis inſtrumenta proponit. Prima ad verum confirmandum ſic,

> *Naturalis rationis vera & abſoluta deſcriptio, dialectica eſt:*
>
> *Inſtitutio per inuentionis & diſpoſitionis ſpecies & partes, eſt vera naturalis rationis & vſus abſolutáque deſcriptio:*
>
> *Eſt igitur dialectica.*

Secunda ad falſum refellendum ex eodem argumento contra Ariſtotelem & Ariſtoteleos ſic:

> *Vera dialecticæ artis deſcriptio proficiſci debet à naturalis rationis & vſus obſeruatione.*
>
> *Ariſtotelis & Ariſtoteleorum confuſio in terminis, prædicabilibus, prædicamẽtis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis, non eſt ab o[illegible]e naturalis rationis & vſus pro-*
>
> *[illegible]itur & A[illegible]rum confuſio [illegible]ica.*

[illegible]am iudices de [illegible]m noſſe vos pu [illegible]te propoſitionẽ, [illegible]nem partium v- [illegible]ſt, dialecticè ſicut

ratio ipſa dictat, iudicate. Inſtitutiones dialecticæ ſunt noſtræ, in illo priore ſyllogiſmo: quæ ſiquid peccauerint, dialectico iudicio ſe reprehendi non modò modeſtè, ſed libenter ac latè ferent. Conuertite iudicium veſtrũ ad alteram ſecundi ſyllogiſmi ſcholam: propoſitionem intentis animis expendite: aſſumptionem tametſi vobis acerbior eſt, tamen quia iudices eſſe vultis, æquis animis diſceptate: totam denique cõcluſionem ſeuerè examinate: animaduerſiones Ariſtotelicæ ſunt: quæ niſi tota cauſſa, tota ratione, tota veritate ſuperiores Ariſtotele fuerint, iudicate ſi vobis commodum eſt, meridie non lucere. Verè & incorruptè de meipſo iudicandi regulam vobis commonſtro: quam cõtra veſtri Ariſtotelis tenebras, contra ſcholaſticæ calamitatis, quã induxiſtis, ſophiſmata defendo & vindico: doctrinã eius clariſſimam doceo, quam vos confunditis: vſum eius in omnibus rebus æſtimandis & iudicandis oſtento, prædico, celebro: vos in ſcholaſticis ſophiſmatis obruitis: doceo hanc eſſe vnicam & ſingularem & communem rerum vniuerſarum, & tamen etiam propriã ſingularum, qua verum & falſum omnibus in rebus percipiatur, vel potius verane res omnino omnes tales [illegible] *quales eſſe dicantur. Quicquid temerè ratiocinan-* [illegible]*ccant homines, errore ſyllogiſmi & ignoratione* [illegible]*nt: quicquid verè & conſtanter concludendo iu-* [illegible]*t, id ſyllogiſmi veritate ac conſtantia iudicant.* [illegible] *aureum & cæleſtæ Dei omnipotentis donum, A-* [illegible]*telei quæſo vos, amate & colite. Hoc lumen eſt o-* [illegible] *(quæ toto cælo nitent) ſyderibus longè maius,*

longè clarius, longè diuinius. Hoc lumine peritorum, imperitorum, ſenum, iuuenum, omnis denique ætatis, & ingenij iudicia cõfirmantur. Hoc lumine homines cum beatis illis & diuinis mentibus cõmuniter fruuntur. Hoc lumine omnis humana diuináque ſapientia colluſtratur. Quare facite in poſterum, vt tantum Dei donum non ad nugatorias de præceptiunculis ſophiſticis altercationes, ſed ad vſum prudentiæ, ad humanitatis ſubſidium, ad vitæ auxilium referatis: & deſinite nobis iraſci, ſi omnium poſſeßionum, quas homines habent, pulcherrimam veſtris tenebris liberare, & in lucem proferre tantopere contendimus.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſnonus.

De methodo.

ANalyticis ſyllogiſmi tenebris expoſitis, de methodi caligine proxima quæſtio eſt, methodus quid ſit, & quas habeat partes inſtitutionibus noſtris abunde eſt expoſitum. De methodo autem doctrinæ mihi contentio erit, cũ de artis inſtitutione duntaxat inter nos ſic agatur. Dico igitur methodũ, quæ à ſummis & generalibus rebus ad ſpeciales & peculiares partes deſi-

niendo, partiendo, exẽplis declarãdo progreditur, optimam & perfectiſsimã, & ſolam eſſe, quia omnes artes ſciẽtiæ & diſciplinæ à rebus natura clarioribus & antiquioribus, vnde res obſcuriores & poſteriores percipiantur, inſtitui debent. quod in ea ſola diſpoſitione poteſt accidere, quæ collocat vniuerſam definitionẽ primo, deinde proximam partitionem, deinceps vnum quoduis, prout antiquius & notius inſequẽtibus erit. Quid igitur? quomodo Ariſtoteles de methodo doctrinæ philoſophatur? Ariſtoteles in dialecticis nihil præcipuè de methodo præcipit, nec idcirco quæſtiones adhuc tractatas hîc ſequi poſſumus. Attamen quid aliis in libris ſentiat, arbitror exponendum, vt vnde vniuerſa dialecticarum tenebrarum omnium confuſio orta ſit, cognoſcamus. Nam propter verè huius methodi omiſsionem, Ariſtotelei in præcipitia tam lubrica, quàm adhuc oſtendimus, inciderunt. Quid igitur Ariſtoteles ait de diſpoſitione methodi huius & doctrinæ? Idẽ porrò multis locis probat & laudat, quod nos antea monuimus, ſed parum quid loquatur, animaduertit. In moralibus cum Platone conſentiens Ariſtoteles quærit, an vt in ſtadio à præmiis ad calcem, an contrà, ſic in docendo progrediendum ſit: concludítque ab iis, quæ ſunt notiſsima nobis, incipiendum eſſe. Atque ita definit fœlicitatem primum ex perpetua vitæ perfectis officiis. Deinde partes eius in ſingulis virtutibus interpretatur. Qua in morali diſciplina viam iſtam probat & ſequitur, quãuis interim multa aliena miſceat. In phyſicis verò etiam idem profitetur ſtatim

Ariſtoteles probat veram methodũ, & aliis in operib⁹ ſequitur.

operis initio, ab vniuerſis (quæ ipſa nobis ait eſſe notiora) ſemper incipiendum: præceptúmque ſuum ſequutus (licet multa minimè neceſſaria confundat) naturam primo de qua loquitur definit: partes deinde, materiã & formam, tum genera, ſimplicem & compoſitam naturam iſto legitimo ordine interpretatur. Quinetiam hanc quæſtionem in libris de partibus animaliũ multis verbis diſceptat, docétque res vniuerſas primo generaliter: deinde ſingulas ſpecialiter tradẽdas eſſe: atque hac via naturas animalium explicandas ait. Cur igitur Ariſtotelem reprehendis, inquies? Ariſtoteles cæteris in libris de methodo, vt dixi, nobiſcum ſentit: in eo autem ipſo opere (vbi debuit hac explicatio præcipuè tractari, quæ dialectica tota ſit) non modò mutus Ariſtoteles, ſed Ariſtotelei ad retinendã organi ſui (ſic enim confuſionem logicam nominant) authoritatẽ omnia naturæ fundamenta ſubuertunt, & aliis in libris verè & ſapienter contexta malitioſè retexunt. Methodus quid ſit vniuerſè nuſquam definiunt: vnde fit, vt errore infinito vagentur. Logici verò organi retinendi gratia duas vias in deſcenſu aſcenſúque finxerũt, rectam alteram, alteram inuerſam: analyſin & geneſin nominãt: vt per analyſin finem primo, deinde fini proxima, poſtremo reliqua vt erũt propinqua vel remota, ita prius poſteriúſue cogitemus: per geneſin contra opus ordinemus ex eo loco, vbi analyſis deſierat: tãdémque eam cõcludamus, vbi analyſis incœperat: analyſis denique à craſſiſſimis maximéque compoſitis deſcendat ad ſimplicia: geneſis contrà à ſimplicibus ad

Ariſtoteleorũ commẽtum de analyſi & geneſi.

compoſita perueniat: Ac de analyſi dialectica artis ſic præcipiunt. tres animis noſtris occurrentium viſorum eſſe diſtinctiones, cùm aliquid perſuadere, aut probare velimus: ſcientiam primo, & veritatem: quæ ſi deſit, probabilitatem, & opinionem: quæ etiam poſtremo ſi nulla ſit, captiunculam aliquam ſophiſticam prehendi, qua quod volumus, perſuadeamus. Veritatem porrò aiunt demonſtratiuo, opinionem dialectico, captionem ſophiſtico ſyllogiſmo informari. Quare primus ſit analyſeos gradus, demonſtratiuus ſyllogiſmus, ſecundus dialecticus, tertius ſophiſticus. Hîc pauliſper Ariſtotelei auerſi quippe velut in labyrinthum deſcendẽtes, cõquieſcunt: deinde aiunt tres illas ſpecies demonſtratiuorum, dialecticorum, ſophiſticorum ſyllogiſmorum cognoſci non poſſe, niſi cognita ſit generalis ipſa ſyllogiſmi doctrina: quartus ergo deſcenſus locus aſsignatur ſyllogiſmo: tum ne conquieſcunt quidem: aiunt ſyllogiſmum ſine enuntiationibus nullum eſſe, nec illas ſine nomine & verbo, & hæc ſimplicia vocabula, ſine prædicamentis, prædicabilibus, terminis intelligi non poſſe. Ideo in analyſeos deſcenſu quintum gradum enuntiationum eſſe aiunt, ſextum nominum & verborum, ſeptimum prædicamentorum, octauum prædicabilium, nonum terminorum. Quod commentum non eſt in libris Ariſtotelei organi, ſed ab interpretibus argutulis confictum eſt. Ergo analyſis Ariſtoteleorum in dialectica reſoluenda huiuſmodi eſt, quale hîc pictam videmus.

1	2	3	4	5	6	7	8	9
Demonſtratiuus ſyllogiſ.	Dialecticus ſyllogiſmus.	Sophiſticus ſyllogiſmus.	Syllogiſmus.	Enuntiatio.	Nomen & verbum.	Prædicamẽta.	Prædicabilia.	Termini.

Atque ita analyſin Ariſtotelei inſtituunt: geneſin verò inuerſo ordine contrarioq; ſurſum verſus, ac retrò digerunt: ita omnia cõponũt terminis, prædicabilibus, prædicamẽtis, nominibus & verbis, quibus enuntiatio fit: ex enuntiationibus ſyllogiſmus, deinde geneſis in ſyllogiſmũ & partes ſyllogiſmi, demonſtratiuũ, dialecticum, ſophiſticum incidit: ſic enim geneſin confuſionis ſuæ ordiũtur, & ab imo gradu ad ſummum perueniunt. Hoc ſcilicet ordine, quem hîc ſignauimus.

1	2	3	4	5	6	7	8	9
Termini.	Prædicabilia.	Prædicamẽta.	Nomẽ & verbum.	Enuntiatio.	Syllogiſmus.	Syllogiſmus demõſtrat.	Syllogiſmus dialecticus.	Syllogiſmus ſophiſticus.

hæc Ariſtotelea geneſis eſt. Atque hoc deſcenſu aſcenſúque admonent omnem rem propoſitam cogitandam eſſe, poſtea componendam. In quo vtinam aliquando conſtanter conſiderent Ariſtotelei, quid ſomniẽt. Primũ cuius eſt inconſtantiæ præcipere in arte dialectica, id eſt, omniũ artiũ fabricandarum doctrina, viã, quã non modò ars alia nulla, ſed ne ipſa quidem Ariſtoteleorũ dialectica doctrina ſequatur? Dicũt Ariſtotelei duos eſſe ordines tradendæ dialecticæ: analyſin, qua deſcendimus à ſummis ad ima: geneſin, qua aſcendimus repetitis iiſdem gradibus ad ſumma, vt vna eadémque via ſit analyſeos & geneſeos, ſed illa inuerſa, hæc recta. At chaos hoc Ariſtotelicum ab ipſorũ præceptis quàm diſcrepet, res oculis ſubiecta loquitur. Nã ſi verè præcipiant Ariſtotelei geneſeos & analyſeos eandem viam eſſe, ſed inuerſam, eundem ordinem, ſed immutatum, vt modò ſurſum, modò deorſum feratur, vehementer errant: cùm demonſtratiuum ſyllogiſmum primum in analyſi faciant, non faciant in geneſi poſtremum. Nam cùm primo loco analyſis illum ſyllogiſmum habeat, cur ſophiſticus poſtremus eſt in geneſi, qui fuerat in analyſi tertius? An vt Ariſtotelei declararent, ſicuti res ipſa eſt, finem tantæ confuſionis ſophiſticum eſſe? Non ſeruant igitur Ariſtotelei ipſi quod nobis præcipiunt eſſe ſeruandum: non ſeruant inquam in eo ipſo loco, quo hoc ipſum mentiuntur, & ex tempore mendacium commentúmque ſuum refellunt. Cæteris in libris contraria & docent & faciunt, quẽadmodum paulò antè dixi, de moribus, de natura, de

Ariſtotelei ſuã methodum in ſuis logicis nõ ſequuntur.

coniunctis ſyllogiſmis docuit: nihil præterea hìc peccauit: & exiſtimantur hi ſyllogiſmi à Theophraſto & Eudemo reperti, vel, vt aliis placet, à Stoicis. Quapropter conſiderate iam Ariſtotelei non ſolùm vt in partibus ſingulis, quàm multa non neceſſaria confuderit Ariſtoteles in dialecticæ diſpoſitionis explicatione, ſed etiã quàm multa neceſſaria penitus omiſerit: quot definitiones, quot partitiones, quot illuſtrationes, quot denique tam neceſſariæ doctrinæ partes neceſſarias ignorauit, aut certè in his analyticis non docuit: & poſita proteruitate Ariſtotelea dialecticam libertatem aſſumite: & audete confiteri Ariſtotelis tenebras & ſophiſmata, noſtræ doctrinæ luce ac veritate ſuperari. An verò nimis magnum laudis præmium poſtulo? nimis inſignia tanta confeßionis teſtimonia flagito? Ego verò (qua ſum adhuc erga vos æquitate, non ſolùm libenter, ſed etiam prolixe ac liberaliter abuſus) omnia iſta debita nobis ornamenta vobis remittam: fatebor dialecticæ principem Ariſtotelem eſſe, honorem non ſolũ eum, qui adhuc ei tam ſtultè tributus eſt, ſed maiorem multo atque ampliorem meruiſſe concedam, niſi tam ſit Ariſtoteles in vi & poteſtate, totóque vſu ſyllogiſmi tardus & hebes, quàm confuſus fuit, quàm tenebricoſus, quàm fallax in artis expoſitione. Etenim Ariſtotelei certamen illud iam ſæpius certatum reuocate, & mecum de ſyllogiſmi fructu & vſu contendite: excitate mentes veſtras ſublimes, quas pronas in terram ac in tenebras Ariſtoteles abiecit. Quærite ab Ariſtotele quæ ſit vis & natura ſyllogiſmi, quibus in

Quæſtio de vſu ſyllogiſticæ doctrinæ.

rebus poteſtas eius ſpectanda ſit. An remittet vos ad poteſtatem plura cõcludendi ſub medio? minore extremo? per conuerſionem? ex falſis in omni figura? per circulum in omni figura? per tranſpoſitionem in omni figura? ex oppoſitis in omni figura? At impotentiam eſſe Ariſtotelis in ea ſophiſtica poteſtate antea docuimus. Quærite igitur potius ab Ariſtotele quamobrem tot ſyllogiſmi ab eo confuſi diſcantur: quæ cõmoditas tandem ſit expectanda: quomodo authores ad explicandũ propoſiti, ſint per eius doctrinam nobis æſtimandi: quomodo iudicia vel noſtra vel aliena ſint exploranda: quomodo denique & quibus omnino in rebus ſyllogiſmi tractanda ſit & adhibẽda regula. Hanc ἀπόδειξιν, quoniam Ariſtotelei eſtis ab Ariſtotele (qui maximũ gloriæ ſuæ fundamentum in ἀποδείξει collocauit) petite: paginas iam euolutas reuoluite: ſingulas non modò lineas, ſed ſyllabas analyticas expendite: inferos etiam, ſi poteſtis, totos, atque illic Ariſtotelem contremiſcentem excitate: dicátque quod vos ex eius doctrina non habetis, de quo nullum in analyticis nominatim verbũ Ariſtotelis proferre poteſtis, quorſum tot analytica & legantur & clamentur: Ariſtoteles hîc magis mutus, quàm piſces: vos autem Ariſtotelei meminiſtis, quos in ſchola clamores, quas θέσεις de ſyllogiſmo diſputetis. At quoniam nihil Ariſteteles tanta de re loquitur, quoniam etiam Ariſtotelei, exceptis ſcholæ clamoribus (ad quos & inuentam & referendam dialecticam totam arbitrantur) nihil de tanta dignitate ſuſpicãtur, da nobis Deus optime maxime, vt agnoſcant Ari-

ſtotelei tanti tamque cæleſtis beneficij tui gratiam. Nõ conqueror quòd antea ſæpe de multis Ariſtotelis præceptis conqueſtus ſum, nullũ vſum ſyllogiſmi eſſe, nullũ eſſe poſſe: ſed accuſo Ariſtotelẽ, qui nõ doceat quomodo, quibus in rebus eo ſit vtendum: quòd Ariſtotelei in altercationibus ſcholaſticis eũ dũtaxat exerceant. Nõ eſt Ariſtotelei, nõ eſt inquã ſophiſticus & ſcholaſticus vſus ſyllogiſmi, ſed longè latius quàm creditis, per omnes vitæ partes diffunditur. De poetæ, de oratoris, de philoſophi ſententia vis æſtimare? concluſionis genus, quo vſus eſt, intuere: ſi ſit imperfectum, perfice & abſolue: tum conſidera quàm firma propoſitio, quàm certa ſit aſſumptio, quàm conſtans earum ſit inter ſe coniunctio: hinc enim duplicis iudicij rationem & naturalis in ſingulis partibus, & artificioſi etiam in tota atque vniuerſa diſpoſitione ſi firme comprehenſam & penitus perſpectam habueris, ſcientiam te tenere non opinionem, veritatẽ non errorem confidito. Quid cõfidito inquã? tã enim fuerit illud ſolidũ, tã ſtabile, tam fixum, tam prorſus immutabile iudicium, vt facilius eſſe credam, ſoli lumen, quàm homini ſic affirmatam aſſenſionem eripere. Idem & partium & vniuerſi examen, in deliberationibus, in cauſſis forenſibus, in rebus omnibus & lectis & auditis & meditatis adhibe. prò ſancte Deus atque æterne, quàm reperies noſtra, quæ vulgo nominantur, iudicia, præcipites & cæcas affectiones ex amore, odio, indignatione, commiſeratione, ſpe, deſperatione, voluptate, dolore, & cæteris hiſce affectibus profectas eſſe! Atque exercitationis &

Vſus huius (quē ſyllogiſmi eſſe dicimus) gratia exempla quædam liceat è diſputationibus noſtris petere. Vtilis & vera doctrina conuerſionum eſt & principiorum dici de omni, dici de nullo, omni ineſſe, nulli ineſſe, dicit Ariſtoteleus. Quamobrem? quia Ariſtoteles eam tradidit: hoc verò non eſt iudicare, ſed quod imperitè credis, effutire. Redeamus ad regulā ſyllogiſmi, examinemus hoc tam mendax Ariſtoteleorū iudiciū.

Quicquid ab Ariſtotele traditur, eſt verum & vtile:

Conuerſionum & reliquorum principiorū doctrina ab Ariſtotele tradita eſt:

Eſt igitur vera & vtilis.

Heu mentes Ariſtoteleorum à mente tam vehementer auerſa! quale eſt ſyllogiſmi huius principium, quia nōn erroris ſolùm & falſitatis, ſed ſummæ impietatis plenum! quàm enim multa falſa & impia tradit Ariſtoteles, qui mundum & æternum & fato aſtrictū, qui mortales animos, qui hominis fœlicitatem & ab homine inchoari & in homine terminari, ſicut alia permulta tam nefariè, támque impiè fabulatur! Deſcriptio dialecticæ per inuētionis & diſpoſitionis definitiones & partitiones & exemplorum explanationes, res eſt arida & exigua, ait idem Ariſtoteleus. Quid ita? quia Ramus neſcio quis hanc nouam nobis doctrinam attulit. O me infœlicem, ſi Ariſtotelei dialecticè iſto modo & rectè iudicant! ô cæcos potius Ariſtoteleos, ſi inſipide iſto modo diſputant! Verùm Ariſtotelei iudicia noſtra cum veſtris erroribus, ἀποδείξεις

noſtras cum veſtris elenchis comparate. Remouete ex hoc iudicio Ariſtotelis authoritatem: iubete Ramum conſiſtere in fori veſtibulo. Et quoniã iudices eſſe vultis, rationes noſtras ad ſyllogiſmi, id eſt, ſacroſancti iudicij regulam & normã reuocate. Ramus binas cauſſæ ſuæ tabulas, gemina vobis inſtrumenta proponit. Prima ad verum confirmandum ſic,

> *Naturalis rationis vera & abſoluta deſcriptio, dialectica eſt:*
>
> *Inſtitutio per inuentionis & diſpoſitionis ſpecies & partes, eſt vera naturalis rationis & vſus abſolutáque deſcriptio:*
>
> *Eſt igitur dialectica.*

Secunda ad falſum refellendum ex eodem argumento contra Ariſtotelem & Ariſtoteleos ſic:

> *Vera dialecticæ artis deſcriptio proficiſci debet à naturalis rationis & vſus obſeruatione.*
>
> *Ariſtotelis & Ariſtoteleorum confuſio in terminis, prædicabilibus, prædicamẽtis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis, non eſt ab obſeruatione naturalis rationis & vſus profecta.*
>
> *Ariſtotelis igitur & Ariſtoteleorum confuſio non eſt dialectica.*

Conſiderate iudices Ariſtotelei (quoniam iudices de nobis eſſe vultis, quoniam ſyllogiſmi vſum noſſe vos putatis) priorem illum ſyllogiſmum: verſate propoſitionẽ, inquirite in aſſumptionem: coniunctionem partium vniuerſam accuratè conſiderate: id eſt, dialecticè ſicut

ratio ipſa dictat, iudicate. Inſtitutiones dialecticæ ſunt noſtræ, in illo priore ſyllogiſmo: quæ ſiquid peccauerint, dialectico iudicio ſe reprehendi non modò modeſtè, ſed libenter ac lætè ferent. Conuertite iudicium veſtrũ ad alteram ſecundi ſyllogiſmi ſcholam: propoſitionem intentis animis expendite: aſſumptionem tametſi vobis acerbior eſt, tamen quia iudices eſſe vultis, æquis animis diſceptate: totam denique cõcluſionem ſeuerè examinate: animaduerſiones Ariſtotelicæ ſunt: quæ niſi tota cauſſa, tota ratione, tota veritate ſuperiores Ariſtotele fuerint, iudicate ſi vobis commodum eſt, meridie non lucere. Verè & incorruptè de meipſo iudicandi regulam vobis commonſtro: quam cõtra veſtri Ariſtotelis tenebras, contra ſcholaſticæ calamitatis, quã induxiſtis, ſophiſmata defendo & vindico: doctrinã eius clariſſimam doceo, quam vos confunditis: vſum eius in omnibus rebus æſtimandis & iudicandis oſtento, prædico, celebro: vos in ſcholaſticis ſophiſmatis obruitis: doceo hanc eſſe vnicam & ſingularem & communem rerum vniuerſarum, & tamen etiam propriã ſingularum, qua verum & falſum omnibus in rebus percipiatur, vel potius verane res omnino omnes tales ſint, quales eſſe dicantur. Quicquid temerè ratiocinando peccant homines, errore ſyllogiſmi & ignoratione peccant: quicquid verè & conſtanter concludendo iudicant, id ſyllogiſmi veritate ac conſtantia iudicant. Hoc aureum & cæleſta Dei omnipotentis donum, Ariſtotelei quæſo vos, amate & colite. Hoc lumen eſt omnibus (quæ toto cælo nitent) ſyderibus longè maius,

longè clarius, longè diuinius. Hoc lumine peritorum, imperitorum, ſenum, iuuenum, omnis denique ætatis, & ingenij iudicia cõfirmantur. Hoc lumine homines cum beatis illis & diuinis mentibus cõmuniter fruuntur. Hoc lumine omnis humana diuináque ſapientia colluſtratur. Quare facite in poſterum, vt tantum Dei donum non ad nugatorias de præceptiunculis ſophiſticis altercationes, ſed ad vſum prudentiæ, ad humanitatis ſubſidium, ad vitæ auxilium referatis: & deſinite nobis iraſci, ſi omnium poſſeſsionum, quas homines habent, pulcherrimam veſtrus tenebris liberare, & in lucem proferre tantopere contendimus.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber decimuſnonus.

De methodo.

ANalyticis ſyllogiſmi tenebris expoſitis, de methodi caligine proxima quæſtio eſt, methodus quid ſit, & quas habeat partes inſtitutionibus noſtris abunde eſt expoſitum. De methodo autem doctrinæ mihi contentio erit, cũ de artis inſtitutione duntaxat inter nos ſic agatur. Dico igitur methodũ, quæ à ſummis & generalibus rebus ad ſpeciales & peculiares partes deſi-

niendo, partiendo, exēplis declarādo progreditur, optimam & perfectiſſimā, & ſolam eſſe, quia omnes artes ſciētiæ & diſciplinæ à rebus natura clarioribus & antiquioribus, vnde res obſcuriores & poſteriores percipiantur, inſtitui debent. quod in ea ſola diſpoſitione poteſt accidere, quæ collocat vniuerſam definitionē primo, deinde proximam partitionem, deinceps vnum quoduis, prout antiquius & notius inſequētibus erit. Quid igitur? quomodo Ariſtoteles de methodo doctrinæ philoſophatur? Ariſtoteles in dialecticis nihil præcipuè de methodo præcipit, nec idcirco quæſtiones adhuc tractatas hîc ſequi poſſumus. Attamen quid aliis in libris ſentiat, arbitror exponendum, vt vnde vniuerſa dialecticarum tenebrarum omnium confuſio orta ſit, cognoſcamus. Nam propter verè huius methodi omiſſionem, Ariſtotelei in præcipitia tam lubrica, quàm adhuc oſtendimus, inciderunt. Quid igitur Ariſtoteles ait de diſpoſitione methodi huius & doctrinæ? Idē porrò multis locis probat & laudat, quod nos antea monuimus, ſed parum quid loquatur, animaduertit. In moralibus cum Platone conſentiens Ariſtoteles quærit, an vt in ſtadio à præmiis ad calcem, an contrà, ſic in docendo progrediendum ſit: concludítque ab iis, quæ ſunt notiſſima nobis, incipiendum eſſe. Atque ita definit fælicitatem primum ex perpetua vita perfectis officiis. Deinde partes eius in ſingulis virtutibus interpretatur. Qua in morali diſciplina viam iſtam probat & ſequitur, quāuis interim multa aliena miſceat. In phyſicis verò etiam idem profitetur ſtatim

Ariſtoteles probat veram methodū, & aliis in operib⁹ ſequitur.

operis initio, ab vniuerſis (quæ ipſa nobis ait eſſe notiora) ſemper incipiendum: præceptúmque ſuum ſequutus (licet multa minimè neceſſaria confundat) naturam primo de qua loquitur definit: partes deinde, materiã & formam, tum genera, ſimplicem & compoſitam naturam iſto legitimo ordine interpretatur. Quinetiam hanc quæſtionem in libris de partibus animaliũ multis verbis diſceptat, docétque res vniuerſas primo generaliter: deinde ſingulas ſpecialiter tradẽdas eſſe: atque hac via naturas animalium explicandas ait. Cur igitur Ariſtotelem reprehendis, inquies? Ariſtoteles cæteris in libris de methodo, vt dixi, nobiſcum ſentit: in eo autem ipſo opere (vbi debuit hæc explicatio præcipuè tractari, quæ dialectica tota ſit) non modò mutus Ariſtoteles, ſed Ariſtotelei ad retinendã organi ſui (ſic enim confuſionem logicam nominant) authoritatẽ omnia naturæ fundamenta ſubuertunt, & aliis in libris verè & ſapienter contexta malitioſè retexunt. Methodus quid ſit vniuerſè nuſquam definiunt: vnde fit, vt errore infinito vagentur. Logici verò organi retinendi gratia duas vias in deſcenſu aſcenſúque finxerũt, rectam alteram, alteram inuerſam: analyſin & geneſin nominãt: vt per analyſin finem primo, deinde fini proxima, poſtremo reliqua vt erũt propinqua vel remota, ita prius poſteriúſue cogitemus: per geneſin contra opus ordinemus ex eo loco, vbi analyſis deſierat: tãdémque eam cõcludamus, vbi analyſis incœperat: analyſis denique à craßißimis maximéque compoſitis deſcendat ad ſimplicia: geneſis contrà à ſimplicibus ad

Ariſtoteleorũ commẽtum de analyſi & geneſi.

compoſita perueniat: Ac de analyſi dialectica artis ſic præcipiunt. tres animis noſtris occurrentium viſorum eſſe diſtinctiones, cùm aliquid perſuadere, aut probare velimus ſcientiam primo, & veritatem: quæ ſi deſit, probabilitatem, & opinionem: qua etiam poſtremo ſi nulla ſit, captiunculam aliquam ſophiſticam prehendi, qua quod volumus, perſuadeamus. Veritatem porrò aiunt demonſtratiuo, opinionem dialectico, captionem ſophiſtico ſyllogiſmo informari. Quare primus ſit analyſeos gradus, demonſtratiuus ſyllogiſmus, ſecúndus dialecticus, tertius ſophiſticus. Hîc pauliſper Ariſtotelei auerſi quippe velut in labyrinthum deſcendẽtes, cõquieſcunt: deinde aiunt tres illas ſpecies demonſtratiuorum, dialecticorum, ſophiſticorum ſyllogiſmorum cognoſci non poſſe, niſi cognita ſit generalis ipſa ſyllogiſmi doctrina: quartus ergo deſcenſus locus aſſignatur ſyllogiſmo: tum ne conquieſcunt quidem: aiunt ſyllogiſmum ſine enuntiationibus nullum eſſe, nec illas ſine nomine & verbo, & hæc ſimplicia vocabula, ſine prædicamentis, prædicabilibus, terminis intelligi non poſſe. Ideo in analyſeos deſcenſu quintum gradum enuntiationum eſſe aiunt, ſextum nominum & verborum, ſeptimum prædicamentorum, octauum prædicabilium, nonum terminorum. Quod commentum non eſt in libris Ariſtotelei organi, ſed ab interpretibus argutulis confictum eſt. Ergo analyſis Ariſtoteleorum in dialectica reſoluenda huiuſmodi eſt, qualẽ hîc pictam videmus.

1	2	3	4	5	6	7	8	9
Demonſtratiuus ſyllogiſ.	Dialecticus ſyllogiſmus.	Sophiſticus ſyllogiſmus.	Syllogiſmus.	Enunciatio.	Nomen & verbum.	Prædicamēta.	Prædicabilia.	Termini.

Atque ita analyſin Ariſtotelei inſtituunt: geneſin verò inuerſo ordine contrarioq; ſurſum verſus, ac retrò digerunt: ita omnia cōponūt terminis, prædicabilibus, prædicamētis, nominibus & verbis, quibus enuntiatio fit: ex enuntiationibus ſyllogiſmus, deinde geneſis in ſyllogiſmū & partes ſyllogiſmi, demonſtratiuū, dialecticum, ſophiſticum incidit: ſic enim geneſin confuſionis ſuæ ordiūtur, & ab imo gradu ad ſummum perueniunt. Hoc ſcilicet ordine, quem hîc ſignauimus.

1	2	3	4	5	6	7	8	9
Termini.	Prædicabilia.	Prædicamēta.	Nomē & verbum.	Enunciatio.	Syllogiſmus.	Syllogiſmus demōſtrat.	Syllogiſmus dialecticus.	Syllogiſmus ſophiſticus.

hac Ariſtotelea geneſis eſt. Atque hoc deſcenſu aſcenſúque admonent omnem rem propoſitam cogitandam eſſe, poſtea componendam. In quo vtinam aliquando conſtanter conſiderent Ariſtotelei, quid ſomniēt. Primū cuius eſt inconſtantiæ præcipere in arte dialectica, id eſt, omniū artiū fabricandarum doctrina, viā, quā non modò ars alia nulla, ſed ne ipſa quidem Ariſtoteleorū dialectica doctrina ſequatur? Dicūt Ariſtotelei duos eſſe ordines tradendæ dialecticæ: analyſin, qua deſcendimus à ſummis ad ima: geneſin, qua aſcendimus repetitis iiſdem gradibus ad ſumma, vt vna eadémque via ſit analyſeos & geneſeos, ſed illa inuerſa, hæc recta. At chaos hoc Ariſtotelicum ab ipſorū præceptis quàm diſcrepet, res oculis ſubiecta loquitur. Nā ſi verè præcipiant Ariſtotelei geneſeos & analyſeos eandem viam eſſe, ſed inuerſam, eundem ordinem, ſed immutatum, vt modò ſurſum, modò deorſum feratur, vehementer errant: cùm demonſtratiuum ſyllogiſmum primum in analyſi faciant, non faciant in geneſi poſtremum. Nam cùm primo loco analyſis illum ſyllogiſmum habeat, cur ſophiſticus poſtremus eſt in geneſi, qui fuerat in analyſi tertius? An vt Ariſtotelei declararent, ſicuti res ipſa eſt, finem tantæ confuſionis ſophiſticum eſſe? Non ſeruant igitur Ariſtotelei ipſi quod nobis præcipiunt eſſe ſeruandum: non ſeruant inquam in eo ipſo loco, quo hoc ipſum mentiuntur, & ex tempore mendacium commentúmque ſuum refellunt. Cæteris in libris contraria & docent & faciunt, quēadmodum paulò antè dixi, de moribus, de natura, de

Ariſtotelei ſuā methodum in ſuis logicis nō ſequuntur.

Ariſtoteles Ariſtoteleis contrarius.

animalibus. Quamobrem Ariſtotelei declarant ſe vt tā variis plagis (quibus omnibus partibus cōfixi ſunt) mederentur, medicamenta valde fatua atque inepta ſomniaſſe. Neque verò de dialecticis libris ſuis commētitiam hanc geneſeos & analyſeos fabulam eruerunt, vt res diſſoluatur prius, quàm componatur. Illic enim præcipitur, vt res cōponatur prius: deinde facta reſoluatur. Locus eſt in prioribus analyticis, vbi ſyllogiſmū iubet Ariſtoteles antè cōponi, poſtea factū reſolui. At nūc ſophiſtici interpretes, & ignari rerū quas interpretātur, iubent cōtra ſua præcepta artē reſolui prius, deindè cōponi: hæc autē cōtraria planè ſunt reſoluere primo, deinde cōponere: cōponere primo, deindè reſoluere. Atque hūc quidem errorē, tam manifeſtū, tam deprehēſum, quia ſua authoritate confutatū vident Ariſtotelei, debēt agnoſcere. Videmus hîc quātis tenebris Ariſtotelei cōturbentur, vt organicū chaos ſuū retineāt.

Nomine analyſeos & geneſeos Ariſtotelei inuētionem & diſpoſitionem confundunt.

Quòd ſi depoſita pertinacia conſtanter animaduerterent, quæ contradicuntur: facilior eſſet quanuis inueterati mali medicina. Non enim tantum potuerunt à natura diſcedere, quin aliquam naturæ lucem retinerēt, & in dialectica rationem aliquam inciderent. Video enim eos, quanuis aliter intelligunt & loquuntur, tamen video analyſeos nomine inuentionem, ſicuti geneſeos appellatione diſpoſitionem, ſed velut cæcos, nec cernentes quid tenerent, comprehendiſſe. Dicunt enim per analyſin res eſſe cogitandas, per geneſin collocandas & componendas. In quo etſi verbis diſcrepant, tamen reipſa nobiſcum ſentiūt: res enim primū inueniri, deinde

diſponi volumus. Analyſin & cogitationem rerũ inuentionémque dicunt à ſyllogiſmo demonſtratiuo per dialecticum & ſophiſticum, per ſyllogiſmũ, per enuntiationes, per nomina, per verba, per prædicamenta, per prædicabilia, per terminos concurſare. In quo vehemẽter illis reſiſtimus: non enim per illos gradus deſcendit animus, cùm aliqua de re cogitat, ſed cauſſas rerum, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, cæteráque inuentionis dialecticæ genera videt. Ariſtotelei cogitatis rebus & inuentis volunt ordinem & diſpoſitionem adhiberi, idque nobis nõ ſolùm aſſentientibus, ſed etiam laudantibus: ſed geneſin nominant & inſtituunt à terminis per prædicabilia, prædicamenta, nomina, verba, enuntiationes, ſyllogiſmum, ſyllogiſmum demonſtratiuum, dialecticum, & deinde ad ſophiſticum præcipitari: in quo reprehenduntur à nobis. Non enim ad diſpoſitionem docendam atque explicandam confuſio illa nobis ſequenda eſt, ſed ea via quam ſyllogiſmus & methodus noſtris inſtitutionibus oſtendunt. Definiant Ariſtotelei methodum, errorem & fraudem commentorum ſuorum deprehendent: dialectica enim aliquid his nominibus geneſeos & analyſeos, ſed ſicut Ariſtoteles partes dialecticæ, inuentionem & diſpoſitionem, ſicut Porphyrius inuentionem, id eſt, in ſumma confuſione apprehẽdent: Atque quoniam tantopere ſomniis ſuis Ariſtotelei delectantur, Analyſeos autem geneſeóſque vocabulis & partium ſectionem & totius cõpoſitionem ſignificari volunt, facilè ſi attenti eſſe voluerint, iudicabũt vera illa quam ſequimur, methodo

Analyſis & geneſis Ariſtoteleorum in vera methodo cõtinetur.

ꝟtrunque fieri. Nam & definiendo rem totam componimus, & diſtribuendo partes explicamus. Sic errantes Ariſtotelei quia nihil definiunt, analyſeos & geneſeos ꝟocabulis modò in inuentionem & diſpoſitionem, modò in definitionem & partitionem incidunt. At definiant primùm in ꝟniuerſum quid methodus ſit, tum ſpecies & partes enumerent: cognoſcent facilè quàm fœdè hallucinentur.

Obiectio de Platone.

At Plato quem tantopere probas (aiunt Ariſtotelei) tradit ꝟtranque illam ꝟiã analyſeos & geneſeos in explicanda arte eſſe neceſſariam. Ego ꝟerò Platonem tanquam ꝟirum bonum & publicæ ꝟeræq; inſtitutionis ſtudioſum, laudandum puto: tamen nullam ſententiam Platonis probandam existimo, quia Platonis ea ſit. Siquid Platone rectius ꝟeriúſque baiulus mihi denuntiarit, Platoni quidem erranti non dubitabo baiulum rectè ſentientem præponere. Veritas enim chariſſima ſanctiſſimáque ſit: atque hominum dubiis & fallacibus opinionibus anteponatur, ꝟt Ariſtoteles etiam ꝟeſter ait. Attamẽ hîc Ariſtotelei quidam falſam Platonis authoritatem mentiuntur. Plato enim nec analyſin nominat, nec geneſin: ſed eam ꝟeritatem naturæ docet in methodo, quã noſtris inſtitutionibus explicauimus: & ait, artes primo repertas eſſe obſeruatione rerum ſingularum, quod ꝟerum eſt: docet autem, & multis exemplis confirmat, contrà tradendas & diſponendas eſſe, ab ꝟniuerſis rebus ad partes deſcendendo: quod laudamus, & à tenebris Ariſtoteleorum ꝟendicamus. Legite Ariſtotelei Platonis dialogos hac de re, Philebum, Phædrum, &

pleroſque philoſophi illius ſermones alios: & definite nos falſis & commentitiis teſtimoniis inſectari. Definite methodum: ponite in aliqua dialecticæ parte vel inuentionis, vel diſpoſitionis, ſentietis vos deceptos & falſos eſſe. At Galenus, dicẽt Ariſtotelei, medicorum princeps methodum multiplicem facit. Fuerit Galenus in medicina, non modò princeps, verumetiam Deus, ſi lubet: qualis in dialectica fuerit, conſideremus: dialectica non docet hominum velut principum decretis veritatem firmari, ſed argumento & ſyllogiſmo certo cõcludi. Rationes Galeni videamus, dialectica in dialecticis vtamur: ea nobis rectè iudicandi legem certam, & nunquam fallentem tradit: dialecticæ itaque veritati, id eſt, certiſſimæ & indubitatæ credamus potius, quàm dubiæ & incertæ authoritati temerè aſſentiamur. Quid igitur Galenus ait? Galenus modò ſimilitudinem & diſſimilitudinem ad methodicam artis cuiuſlibet conſtitutionem ſufficere docet: modò præter compoſitionem & diuiſionem faciẽdis artibus nullam viam eſſe: modò vtranque coniungi: modò tria methodorum genera, primum compoſitionem & diuiſionem, ſecundũ conſequentium & repugnantiũ cognitionem, tertium rerũ inter ſe mutationẽ in maioris & minoris & æqualis & ſimilis ratione: modò tria capita eſſe dicit: cõpoſitionem, diuiſionem, definitionẽ. Quare cùm Galenus ſibi ipſe non aſſentiatur, cur cogere me vis vt illi aſſentiar? Galeni & Ariſtoteleorum error par eſt. Methodus quid ſit, in vniuerſum ſi definiret, & dialecticæ certas partes inuẽtionem & diſpoſitionem diſ-

Obiectio de Galeno.

tinctas haberet, videret has methodos, quas tam multas enumerat, modò in hanc, modò in illam dialecticæ partem cadere: methodi in vera & verè deſcripta dialectica nihil hîc eſſe. De compoſitione & diuiſione antea in geneſi & analyſi Ariſtoteleorum dixi: ſimilitudo & diſsimilitudo, maiora, paria, diuiſio, definitio, argumenta ſunt, & in partibus inuentionis dialecticæ, artes eorum propriæ ſunt. At in hac methodo nõ quærimus argumẽta: illud enim eſt inuentionis, ſed argumentorum diſpoſitionem, quam non oſtendit ſimilitudo, comparatio maiorum, parium, diuiſio. Poteſt enim res ex veriſsimis & definitionibus, & partitionibus, & comparationibus, cõfuſiſsime & turbatiſsime doceri. Quid enim obſtat definitiones principes medio aut infimo eſſe loco, medias ſupremo, & omnia perturbato ordine & loco miſceri? & vbi definitiones & partitiones veriſsimæ & probatiſsimæ ſint omnium generum, methodum tamen nullam adhiberi? vt ollæ exemplo inſtitutiones noſtræ declarant. Non tradit igitur Galenus diſponendæ inuentionis rationẽ: neque idcirco methodũ inſtituit. Scio Galenũ poſſe excuſari, qui methodi nomine non hanc perpetuã rerũ diſpoſitionẽ intellexerit, ſed facilia quadã argumenta ad declarandum, & docendum, quales ſint comparationes, diſtributiones, definitiones: quod quidẽ etſi non omnibus apud eum locis intelligi poſſe certò ſcio, libenter hominis gratia concedo: & video virum illum excellenti quadam naturæ luce præditũ, diſpoſitione methodi (quamuis de ea non ſatis aptè præcipiat) in mul-

tis artis ſuæ libris mirabiliter vſum: & meliore natura fuiſſe adiutũ, quàm magiſtro. Melius enim methodo vtitur, quod ingenij & naturæ eſt, quàm methodi præcepta explicat, quæ de ſchola à magiſtris deduxerat. Verùm aliud eſt magnos viros alicubi lapſos excuſare: aliud eſt eorum vitia probare ac laudare, & imperitæ iuuentuti imitanda proponere. Qui de dialectica methodo hac ratione qua Galenus, præcipit, artẽ confundit: diſtinguenda præcepta ſunt, vt ſæpe iam dixi: quanuis vſus coniunctus ſit. At dixerit contrà Galenus, tantus ille vir, tam probatus: argumẽta iſta ſunt in hac diſputatione ſimplicium & imperitorum, nec artis (de qua diſputatur) vim intelligentium. Refer nõ ad medicum, dico, non ad principatum aut magiſtratum aliquem, ſed ad ſyllogiſmum, id eſt, ſanctiſſimum iudicem & incorruptiſſimum, quæſtionem hanc, An quia dixerit Galenus, ideo ſit verum, & ſententiam iudicis huius auſculta: iubebit addi huic tuo conſectario fundamentum, vt videas, quid efficiatur, hoc modo:

Quicquid Galenus ſenſit, eſt verum:
Galenus ſenſit tam varias eſſe methodos:
Hoc igitur verum.

Propoſitio non mendax, planéque falſa videbitur? Quomodo igitur à tam falſis initiis verum conſequi arbitramur? Et ſæpius iam antea tam ſtulto argumento reſpondimus, & in præceptis inuentionis monuimus teſtimonij argumentum omnium infirmiſſimum eſſe: meritóque expers artis appellatum. Veruntamen valde

mirandum eſt ab Ariſtoteleis Galenum nobis opponi, qui methodi, quam ſequimur, ſingularem quandam laudẽ Platoni tribuit: Ariſtoteli nullã tribuit: quia infinitos in philoſophia Ariſtotelis errores notauit. Quamobrem, cùm Ariſtoteles ipſe teſtimonio ſuo ſingularem hanc methodi viam à generalibus ad ſpecialia, ab integris rebus ad membra comprobet: cùm Ariſtotelei figmentis ſuis in eo ipſo loco vbi finguntur, contraria faciant: cùm in logicis libris contrarias etiam vias habeant: cùm vocabulis analyſeos & geneſeos nihil niſi inuentionis & diſpoſitionis rationem conturbent: cùm in vera etiam methodo geneſin definiendo, analyſin partiendo vſurpent: cùm Platonis & Galeni authoritatem nobis ſine cauſſa obiiciant: cùm inquam hæc ita ſe habere Ariſtotelei intelligant, ad ἀπόδειξιν noſtram eos reuocemus, & ad cauſas naturalis ordinis nobis propoſitas redeamus: in quibus cùm viam illam definitionum, diſtributionum, exemplorum, naturæ veſtigiis impreſſam cernamus, errantes autẽ illas Ariſtotelis ſalebras in analyſi & geneſi, Demonſtratiui ſyllogiſmi, dialectici ſyllogiſmi, ſophiſtici ſyllogiſmi, ſyllogiſmi, enuntiationum, nominis & verbi, prædicamentorum, prædicabilium, terminorum. Item terminorum, prædicabilium, prædicamentorum, nominis & verbi, enuntiationis, ſyllogiſmi, ſyllogiſmi demonſtratiui, ſyllogiſmi dialectici, ſyllogiſmi ſophiſtici: errantes inquam illas Ariſtoteleorum præcipitiorum ſalebras mendaces ac ſophiſticas cognoſcamus: moneamus Ariſtoteleos, ne naturæ pertinatius repugnare, & gi-

gantum more cum veritate bellare velint. Verùm enimuero quanuis ad vſum vitæ, ad veritatem naturæ, ad certiſsimam legem doctrinæ, hæc quæ contra Ariſtoteleos afferimus, conformentur: ſentio tamen Ariſtoteleos quoſdam, qui ſe bellè putent ornari, ſi contorto aliquo ſophiſmate miſeras illas organi Ariſtotelici tenebras defenderint. Vtinam Deus hanc mentem Ariſtoteleis donauerit, vt naturam, vt veritatem, vt vſum vitæ, & humanæ prudentiæ conſtantiam & firmitatem fallacibus & anilibus ſophiſmatis chariorem habeant: confecta iam res eſſet. Ex hac enim methodi ſophiſtica commentatione nullum ſolidum vſum ex authore idoneo, nullum è communi ſenſu vitâque hominum exemplum vnquam demonſtrabunt. Quicquid in rixando inficiari poſſunt, & quauis impudentia ſtultitiáque tueri, Ariſtotelicum illis eſt: captionibus ſuis nimium confidunt. At extorquebuntur è manibus, vel potius ſua ſponte concident. Protheo capto multas artes poeta tribuit.

Verùm vbi correptum manibus vinclíſque tenebis,
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atráque Tigris,
Squammoſúſque draco, & fulua ceruice leæna:
Aut acrem ſonitum flammæ dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Eſto Prothei ſint Ariſtotelei: non idcirco ſemper eludent: fallẽdi finis & modus aliquis erit. Prothea callidũ & verſutũ finxit poeta, ſed eũdẽ docuit, ſi cõſtãter vrgeatur prematúrque, tandẽ vinci atque expugnari.

Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto nate magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris incœpto tegeret cùm lumina ſomno.

Ariſtoteleos igitur cõſtanter vrgeamus: ἀπόδειξιν illam noſtram opponamus: naturalis vſus & humanæ prudentiæ vinculis conſtringamus: illis certiſsimis acutiſsimiſque telis, ſi diutius repugnẽt, oppugnemus: fatigati & vexati ad lumen naturæ conuertentur: errores ſuos confitebuntur, & ſe pulcherrimo adiuuandæ, & amplificãdæ veritatis fœdere nobis aſſociabũt.

ANIMADVERSIONVM Ariſtotelicarum Liber vigeſimus & poſtremus.

De exercitatione.

PEruenimus ad exercitationẽ, tertiã de tribus dialecticæ virtutis partibus, & vltimam partem, id eſt, & naturæ & artis cõſummationem. Fruſtra enim rationis lumine à Deo optimo donati, dotatíque eſſemus, fruſtrà luminis eius vim ac poteſtatem præceptis interpretaremur, niſi exerceamus. Hæc pars fructũ, hæc pars honorem, hæc pars dignitatem dialecticæ omnino continet. At quem fructum? quem honorem? quam di-

gnitatem? Talem nempe qualem omnium ingeniorum labor atque induſtria ferre hac humana & mortali vita poteſt. In omni ſuperiori ſermone multis locis Ariſtoteleos monuimus, vt in cauſſa publica, & ad iuuentutis inſtitutionem honeſtam, ac liberalẽ ſpectante moderati & faciles eſſe vellent: ne de induſtria cõmodis publicis obſiſtere, ac pulcherrimæ diſciplinæ ſplẽdori inuidere, beneficiis denique diuinis humanitatẽ ſpoliare velle videantur. Hîc non ſolùm moneo, ſed oro, ſed modis omnibus obteſtor & obſecro, vt æquitatem, non pertinaciam: libertatem iudicij, non ſeruilem & mancipatam ſententiam ad vſum dialecticæ artis recognoſcendum, quamuis omnibus antè locis propoſitum, tamen hîc etiam ſummatim æſtimandũ afferant. Genua bone Deus & pedes Ariſtoteleorum ad hanc impetrandam veniam libenter amplecterer. Ariſtoteleus fui, & in Ariſtotelis quibuſuis dictis pertinaciſsime propugnandis obſtinatus fui: ſi quid contrà diceretur, vt prius diſtinctionem aliquam ad defendendum cogitarem, quàm quod diceretur, intelligere potuiſſem. Ariſtoteleus inquam fui, & multos annos (quos in melioribus ſtudiis collocare potuiſſem) in miſeris Ariſtotelis tenebris conſumpſi: pœnitet, & erroris mei pœnam tanti temporis iactura luo. Quare Ariſtotelei meo iam exemplo, per Deum optimum maximum animos erigite, & amice, ac ſine inuidia, quæ iam dixi tot locis de vſu & exercitatione in memoriam reuocate: attendite etiam, quæ pauca rurſus ad extremum dicturus ſum. Docui in noſtris inſtitutionibus, exercendæ

Poſtulatur ab Ariſtoteleis æquitas attentionis.

artis dialecticæ duplicem eſſe viam, analyſin alienorum exemplorum, geneſin noſtrorum. Hanc vtranque dico ab Ariſtotele & Ariſtoteleis, non ſolùm vitioſis præceptis, ſed miſera conſuetudine eſſe perditã & corruptam. De præceptis Ariſtotelis primùm dicam, quæ paucula ex octauo topico de exercitatione, ex primo analytico de capitibus decem analyſeos, & ex duobus elenchorum libris huc reſeruauimus. Quænam eſt igitur Ariſtotelea dialecticæ exercendæ ratio? Nominatim equidem de exercitatione Ariſtoteles præceptum nullum tradit, exceptis quæ in extremo octauo topico ſunt, vbi verè & vtiliter monet Ariſtoteles de omni quæſtione dialectico diſſerendum, ſed inconſtanter, cũ ſæpe contrarium affirmet de ſolo problemate, generis, proprij, definitionis, accidentis ei eſſe diſputandum. Vtiliter etiam monet quæſtionum tritarum, & communium locorũ diſputationes quàm maximè fieri poſſit, inſignes & generales tenendas eſſe: ſed ad ſuas nugas, & tenebras inconſtanter, & inconſiderate, cùm viam illam generalem & communem diſputationum & quæſtionum omnium neget inueniri poſſe, & conturbet, atque obſcuret modis omnibus. Vnum verò eſt valde ridiculum, & Ariſtotele doctore digniſſimũ, vbi ſyllogiſmorum conuerſiones maximè commendat, cùm huius ſophiſticæ Chimeræ nullum, ſicut antea dixi, humanum ſit exemplũ, nullus ſit vſus. Atque hæc Ariſtoteles nominatim de exercitatione ſola tradit. Attingam tamẽ ex analytico primo, & elenchis, quæ huc referri poſſe videãtur. De analyſi itaque quingen-

Margin: Ariſtotelis præcepta de exercitatiõe.

Margin: Analyſis Ariſtoteleas ex primo analytico.

tis atque amplius verſibus ab Ariſtotele analytico primo præcipitur, vt in propoſitiones primùm, deinde in terminos ſyllogiſmus reſoluatur: tum theſis ecthesis terminorum & ſimplicium, & compoſitorum, & obliquorum ſpectetur: item anadiploſis & theſis ſyllogiſmorum conſideretur: tum additus longus & multus ſermo de vniuerſa analyſi ſyllogiſmorum ad impoſſibile & ex hypotheſi: item de reciproca reductione ſyllogiſmorum vnius figuræ in aliam. Poſtremo de ſyllogiſmis infinitis & regulis conſequentiarum: Quæ analyſeos dogmata vana mendaciáque ſunt. Nam cùm volumus explicare propoſiti nobis authoris conſilium, iudicium, methodum: repetenda nobis huius artis veſtigia ſunt, quibus huc peruenerit. Quæſtio itaque primùm, deinde inuentio, tum diſpoſitio intuenda eſt. Eſt igitur de ſyllogiſmo in propoſitiones, in terminos, & eorum theſin, ecthesin, & cætera, illa commenta reſoluendo falſa & ſophiſtica Ariſtotelis doctrina. Ad elenchos veniamus, in quibus Ariſtoteles videtur genera vitiorum deſcribere voluiſſe, verùm quàm Ariſtotelice? quàm ſimili cum ſuperioribus tenebris confuſione? Primum deſcriptio ipſa vitiorũ vniuerſa ex recta virtutum oppoſitione naſci debuit: vt quot genera virtutum eſſent, tot ſaltem oſtenderentur eſſe genera vitiorum: & quemadmodum duæ ſunt vniuerſæ in dialectica virtutes, altera inueniendi, altera diſponẽdi: ſic vniuerſa duo vitia eſſe debuerunt, alterum rectæ inuentioni, alterum legitimæ diſpoſitioni aduerſum atque oppoſitũ: vt prudenter diſſerendi virtutibus

Ariſtotelis Elenchi.

opponantur contraria fallendi vitia, & captioſa argumenta veris, fallax inuentorum collocatio recta atque conſtāti. Sed tamen quid vetat res omnes, vt erūt, intueri? Proponit igitur Ariſtoteles, primo primi elenchi capite ſe dicturum de ſophiſtico & captioſo ſyllogiſmo. Secundo capite definit ſophiſtam, quem non neceſſe magis eſt in dialectica, quàm definito in rhetorica oratore, indiſertum definire. Et Ariſtoteles ſexto topico docet virtutis non eſſe definitionem rectam, niſi ex ea vitium cognoſcatur. Orationum genera quatuor & diſputationum deinde facit Ariſtoteles, doctrinales, dialecticas, tentatiuas, cōtentioſas (ſic enim Boetius loquitur) ex peregrinis nempe, & aduentitiis circunſtantiis, ſicut antea de ſyllogiſmo diximus demonſtratiuo, dialectico, ſophiſtico, modali, oſtēſiuo, ad impoßibile, ex hypotheſi, ducenti ad incommodum. Tertio capite quinque fines ſophiſtæ attribuūtur, redargutio, falſum, inopinabile, ſolœciſmus, nugatio. At vnus tantū eſt: vnicus enim finis eſt dialectici docere verè diſſerendo: vnicus etiam finis ſophiſtæ redarguere fallaciter argutando: neceſſe eſt enim virtutis fines & vitij contrarios eſſe. Cùm autem ſophiſta captioſe induxit ad falſum, ad inopinabile, ad ſolœciſmum, ad nugas, tum redarguit: vnde conſtat quatuor poſteriora, redargutionis gratia adhiberi: & redargutionem ſolū finem ſophiſtæ eſſe. Solœciſmus autem grammaticæ vitium eſt, non dialecticæ: & de eo in dialectica tam ineptè præcipitur, quàm de barbariſmo aut metaplaſmo præciperetur. Sequitur eodem capite partitio redargu-

Sophiſtæ fines vitio ſe diſtributi.

tionum, quòd aliæ ſunt propter dictionem, aliæ ſunt extra dictionẽ. Quæ partitio nihil ex cauſsis dialecticæ artis habet, ſed ex leuiſsimis circunſtãtiis eſt deducta, ſicut omnes ferè partitiones Ariſtoteleæ in arte dialectica poſita. Sed tamen membra partitionis huius videamus: in dictione fallaciæ ſex enumerantur, æquiuocatio, amphibolia, compoſitio, diuiſio, accentus & figura dictionis. Harum autem fallaciarũ quinque primæ nomine ambiguitatis continentur: & hoc vitium in noſtris inſtitutionibus vitandum eſſe monuimus. Figura dictionis eſt fallax ſimilitudo, non tamen omnis fallax ſimilitudo, eſt figura dictionis. Cuiuſuis enim rei figura, id eſt ſpecies quædam inanis & adumbrata fallere poſſet, vt figura dictionis. Quarto capite Ariſtoteles recenſet ſeptem ſpecies captionum extra dictionem: accidentis, ſecundum quid, ignorationẽ elenchi, petitionem principij, conſequentis, non cauſſæ vt cauſſæ, interrogationum plurium. Et tamen quinto deinde capite vanitatem partitionis ſcilicet redarguens, diſputat has omnes ſeptem captiones fallacia elenchi contineri, vt mea refutatio nihil hîc requiratur in refellenda partitione, cuius pars vna reliquas contineat. Verùm tertio loco video petitionem principij ab Ariſtotele reprehendi. Reprehenſa ſiquidem eſt octauo topico: reprehenſa iterum eſt de prioribus analyticis ſecundo. Placuit hæc empuſa valde Ariſtoteli, & ei apta viſa eſt, per quam humanis ingeniis illuderetur. Retexamus igitur orationem: dicamus Ariſtotelem facilẽ eſſe velle, quia tot locis, tam ſæpe, tam vehemen-

Fallaciæ dictionis vitioſe partitæ.

Fallaciæ extra dictionẽ vitioſe diſtributæ.

Petitio Principij.

ter obſcuritatem reprehendit: at non vult. Ariſtotelei enim maximam laudem Ariſtotelis in eius obſcuritate collocant: in quo mihi videntur ſtulta pertinacia maximum defendere vitium. Dialectica verè tradita omnis lucis author & magiſtra eſt: at infinitarũ tenebrarum ô Ariſtotelei, Ariſtotelem authorem nõ modò fatemini, ſed cum ſumma eius (vt exiſtimatis) laude gloriáque profitemini. Fallacia ſecundum quid, eſt diuiſionis fallacia quadam: videtur enim totum ad partem conferri, vt, Eſt homo mortuus, ergo homo. Fallacia nõ cauſſæ vt cauſſæ vnde ſit ſuo nomine indicat. Quòd ſi Ariſtoteles hoc modo cætera vitia ad virtutum fontes retuliſſet, perſpicuè tradidiſſet, quod in elẽchis conturbauit. Non cauſa vt cauſa fallacia eſt. Sic igitur non definitio, vt definitio: non genus vt genus, & in cæteris argumentis eodem planè modo præcipi oportuerat. Quanquam Ariſtoteles fallaciã non cauſſæ vt cauſſæ non huc planè retulit: nec tantum boni aut lucis animo concepit. Fallacia conſequentis eſt captioſa ſpecies connexi ſyllogiſmi ſecundi. Fallacia accidentis, variarum interrogationum, ignorationis elenchi nullum vitij peculiare genus oſtendunt: de quo poſſit in dialectica præcipi. Quamobrẽ in tam multis vitiorum generibus redargutione comprehenſis, cùm nihil eſt ad virtutum fontes relatum atque comparatũ, tum de omnibus quatuor ſola ſunt quæ videãtur dialecticum aliquid indicare: figura dictionis, fallacem ſimilitudinem: ſecundum quid, diuiſionem: non cauſſa vt cauſſa, fallacem cauſſam: conſequens, connexum ſer

cundum. Primus itaque ſophiſtæ finis ita eſt: reliquorũ falſi, inopinabilis, ſolœciſmi, nugationis vanitas, non tam obſcura, quàm ridicula eſt. Propterea ſi cui tantũ erit à ſeriis & vtilibus rebus otij, ineptias etiam tales vt curet, quales ſunt in elenchis reliquorum Ariſtoteliſmorum, oblectando otio perlegat, non inſtituendo animo: niſi forte det operam vt è ſtulto inſanus fiat. Hæc in libris Ariſtotelis de exercitatione dialectica, quanuis hoc nomine minime propoſita, tamen ea præcepta ſunt. Scholaſtica Ariſtoteleorum conſuetudo reliqua nobis eſt, de qua breuiter dicendum eſt, cùm antea tot locis hac de re ſeparatim dixerimus. Quænam eſt igitur Ariſtoteleorum in tractanda arte dialectica conſuetudo? quæ exercitatio? Potuit bonis authoribus explicandis atque interpretandis Cicerone, Virgilio, cæteríſque & oratoribus & poetis & philoſophis dialectica exerceri, vt in analyſeos præceptis oſtendimus. Eiuſmodíne eſt Ariſtoteleorum meditatio, vt quæſtionem videant? argumenti rationem conſiderent? iudicij concluſionem perpendant? methodi viam circunſpiciant? Nihil ſimile apud illos auditum, nullum excellentem authorem, nullum poetam, nullum oratorem, nullum philoſophum ad inuentionis diſpoſitioníſque normam interpretantur. An in tractandis & ſcribendis inſignibus rerum vtilium honeſtarúmque locis (quemadmodum audiuimus ab Ariſtotele, quanuis in libris omnia corruperit, adoleſcentes in theſi exercitatos eſſe) eorum labor occupatur? minime verò: ſed ſi quis puer liberaliter inſtitutus ad iſtos acceſſerit, qui

Scholaſtica Ariſtoteleorum exercitatio.

Ariſtotelis viui conſuetudo.

vel poema condere, vel epiſtolam facere, vel orationem ſcribere didicerit, primũ illud eſt, vt obliuiſcatur. Indignari ſiquidem magiſtri ſolent, ſi profanis illis (vt iudicant) rebus ſacra Ariſtotelea logicæ myſteria cõtaminentur. Itaque eo ipſo tempore, quo ſophiſticæ Ariſtotelis tenebræ ab Ariſtoteleis ſimplici & imprudenti iuuentuti offunduntur, cauetur ne quis orator, ne quis poeta, ne quis hiſtoricus, ne quis humanitatis aut elegãtiæ vlla laude nobilis & celebris author legatur: ſecus virgarum pœna eſto. Quid ergo eſt? quomodo Ariſtotelei dialectici exercentur? Video cogitationem ſubitam atque extemporalem eſſe reliquam: hic fortaſſe vt ſophiſtæ veteres, copiam orationis inuentione & diſpoſitione rerum excolunt atque amplificant: poſcunt in conuentu quæſtionem de qua quis velit audire: magnas opes induſtriæ ſuæ cum ſumma admiratione omnium illic oſtentant. Obmuteſcent Ariſtotelei omnes, ſi quid horum interroges: & ſe credent abs te derideri: ita noua huiuſmodi interrogatio atque inuſitata accidet. Vbi ergo ponitur biennij tempus? tantum enim moribus Academiæ Pariſienſis dialecticis ſtudiis impenditur. Pudet dicere, & tamen dictum iam toties eſt, & ad extremum rurſus dicendum, vt Ariſtotelei pudore aliquo in tam putidis rebus afficiantur. Quid ergo agitur in ſcholis Ariſtoteleorum ad exercitationẽ dialecticæ? Clamatur de tam multis tenebris, contra quas tot libris à nobis eſt diſputatum: clamatur mane, clamatur meridie, clamatur veſperi, clamatur toto die, magna etiam noctis parte clamatur: denique de nugis

Ariſtotelis nil niſi Ariſtotelicè dies & noctes clamatur: vſus dialecticæ præter ſophiſticos illos & captioſos de ſophiſmatis Ariſtotelicis clamores nullus in Ariſtoteleorum ſchola demonſtratur. Comparate autẽ contrà Ariſtotelei exercitationis noſtræ diligentiam, vt in poetis, in oratoribus omnes artes & inuentionis & diſpoſitionis adhibeamus, vt commonſtratas omnes his artibus virtutes imitando perſequamur: quid per nos ipſos iiſdem artibus adiuti conemur: vt cum dialecticis exercitationibus rhetoricas adiungamus: & quemadmodum veterum exempla & inſtituta his meditationum & exercitationum modis ſequamur. Sic enim has artes exercuit Plato, nec minus diſertè dicit, quàm ſubtiliter & acutè diſſerit: ideóque eius auditor Ariſtoteles, (quanuis hæc omnia in libris confuderit) non ad miſerum & liberalibus ſtudiis pernicioſum morẽ, de ſolis præceptis tenuiter & aridè balbutiendi, ſed ad copiam rhetorum in vtranque partem de omnibus rebus diſſerendi, vt ornatius & vberius dici poſſet, & ſeipſum & diſcipulos ſuos exercuit: ſiquidẽ mane philoſophiam, vt antea dixi, veſperi eloquentiam eodem die docebat: hinc nobilia illa Lycæi ſpatia ἑώθινον & δείλινον perpetua laude celebrantur. Ex his diſputationum fontibus illud Ariſtotelis aureum flumen (vt ait in Lucullo Cicero) redundauit: illis ipſis exercitationibus iactatus in Theophraſto diuinus orationis candor enituit: iiſdémque curriculis exagitata ſingularis in Phalereo dicendi laus effloruit: hinc Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas: hinc Ciceronis elo-

Ariſtotelis viui cõſuetudo.

quentia & oratorũ innumerabilium : hinc tam multi, tam nobiles philoſophi & oratores extiterunt. Nõ enim pulcherrimæ artis exercitationem in ſtultis inanium præceptionum clamoribus, vt Ariſtotelei, ſed in graui rerum vtilium diſputatione & ornata tractatione collocarunt. Audiamus tandem aliquando, ſiquid vlla nos optima rationi cõiuncta mouere debet authoritas, audiamus inquam Ariſtotelei, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Phalereum, Carneadẽ, Ciceronem, totam denique Graciam atque Italiã: quæ beatis illis temporibus hæc ſtudia ſapientiæ & eloquẽtiæ coniunxit. Ad veterem illum ſapientiſsimorum virorũ morem dialecticas exercitationes inſtituamus: reuocetur (quoniam Ariſtotelei eſſe vultis) Ariſtotelis conſuetudo: ſit philoſophiæ, ſit idem eloquentiæ magiſter: ars vtraque eiuſdẽ diei diuerſis horis exerceatur: ſit hæc tandem dialectica quæ vel ſcriptos hominum ſenſus, vel auditos interpretari: quæ cum abſentibus & poſteritate ſcripto, cum præſentibus viua voce colloqui poſſit. At ſi tam faciles eſſent artes (aiunt Ariſtotelei) neglectæ & contemptæ iacerent. O Ariſtoteleum & obtuſum pugionem! Imò verò in honore eſſent, diſcerentur, vigerent, amarentur, florerent, colerentur: nec tamen tam facilis vlla diſciplina præceptis vnquã erit, quin maximus ei labor relinquatur. Artium perfectio non eſt in facili cognitione præceptionũ poſita, ſed in exercitatione, in vſu, in exemplis, in conſuetudine, in aſsiduitate: quæ laboris ingentis & ſolicitudinis infinitæ pleniſsima ſunt. Veruntamen hæc

Obiectio contra facilitatem artium.

defenſio Ariſtoteleorum, quanuis tot eam locis ridiculam indicauimus, tamen quoniam in ea video ſummum quoddam præſidium collocari, diligentius nobis eſt conſideranda, & vniuerſis iiſdem rationibus expugnãda, quibus antea ſingulis oppugnata eſt. Si quid igitur Ariſtotelis poteſt & valet authoritas, in Ariſtotelem poßit & valeat. Nihil enim firmius eſt, vt antea dixi, ad conuincendum reum, quàm proprium ipſius teſtimonium. Interrogemus igitur Ariſtotelem de obſcuritate, & audiamus quid de ea ſentiat: vt ſi neget, rationes cõtrarias inquiramus: ſi fateatur, ipſius teſtimoniis ad eius errorem conuincendum contenti ſimus. Quas igitur de obſcuritate in dialecticis libris ſententias habet? Primus eſt locus in librorum ordine, ſecundo priorum analyticorum de petitione principij: quo loco vehementer accuſatur obſcuritas tanquam in docendo vitium vel maximum, ſi per ignotiora, ſi per æquè ignota doceamus. At Ariſtoteles in declaranda naturali dialectica (quæ ſeipſam quantum poteſt in noſtris ingeniis oſtendit) non modo per ignotiora, aut ſimiliter ignota agere ſe confitetur, ſed etiam gloriatur. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Secundus eſt de obſcuritate locus primo de poſterioribus analytico, vbi præcipitur non modò perſpicuis verbis in docendo, ſed claris & apertis ſententiis vtendum eſſe: alius eſt ibidem locus, quòd antecedentia conſequentibus clariora debeant eſſe. At Ariſtoteles verbis & ſententiis perobſcuris non modò delectatur, ſed laudem quærit. Ariſtotelis igitur ob-

Obſcuritas ab Ariſtotele ipſo damnata.

ſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Quartus locus eſt ſexto topico, vbi obſcuritas lõgiſsima oratione reprehenditur, ſi ambiguis, ſi inuſitatis verbis cõtexta ſit oratio, ſi per eam contrarium non pateat. At Ariſtoteles infinita & verborum, & rerum obſcuritate glorioſum ſe, & ſuſpiciendum (vt Ariſtotelei dicunt) exiſtimat. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Quintus locus eſt octauo topico, vbi vituperatur diſputatio ex minus apertis, minúſque probabilibus concluſa, ſi quod in principio, ſi contrarium petatur: imò verò perſpicuitas in eodem loco præceptis commendatur & ornatur. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſentẽtia iuſtè damnatur. Poſtremus eſt de obſcuritate locus in elenchis de petitione principij, vbi de ſophiſticis hydræ chymaricæ capitibus vnum præcipuum obſcuritas numeratur: & veterator atque impoſtor bardus, ſtolidúſque ſophiſta ab Ariſtotele dicitur, in quo hoc obſcuritatis vitium inſit. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia vitio toties accuſato iuſtè damnatur.

PERORATIO VNIVERſæ animaduerſionis.

Qvamobrem vt aliquando peroremus, ab hac obſcuritatis gloriatione tam obſcura, tam ingloria diſcedamus. Quanuis enim vitiũ hoc ſit in docendo maximum, vt Ariſtoteles ipſe ait, maximéque fugiẽdum: maius tamen partibus infinitis in Ariſtotele vitium reprehendo. Non dico tãtùm Ariſtotelis orationem difficilem rebus, obſcuram verbis, toto genere compoſitionis inſulſam atque odioſam: quoniam de his etiam vitiis Ariſtotelei gloriari ſolent: non comparo duntaxat Ariſtotelis commenta labyrintho.

Vt quondam creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.

Poſſent enim de aliquo Dedalæo artificio, ſi hoc tãtum crimine à nobis accuſaretur Ariſtoteles, laudis aliquid Ariſtotelei affectare, & dialecticam ſuam Minotauream prædicare: à qua quemadmodum priſcis illis temporibus à Minotauro Athenienſium, ſic non Athenienſium modò, ſed omnium gentium qui ad hunc labyrinthum Ariſtotelicum venerint, liberi perdantur. Et quemadmodum Dedalus reginæ errores

labyrinthi reſoluit, ſic logicæ Ariſtoteleæ anfractus, & Mæandros ſe retexere.

Hic labor, ille domus & inextricabilis error:
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dedalus, ipſe dolos tecti ambagéſque reſoluit,
Cæca regens filo veſtigia.

Non inquam labyrinthi errores & ambages in Ariſtotele duntaxat accuſo. Quid ergo? commentorũ, nugarum, ſomniorum, ineptiarum, mendaciorum, ſophiſmatum, deliramentorum infinitis labyrinthis coagmentatum chaos commonſtro ac patefacio:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtáque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Sic Ouidius mundanum chaos definit. At chaos Ariſtotelicum longè ſecus definiendum eſt. Nõ enim dialecticæ artis cõfuſionem in Ariſtotele duntaxat reprehendo: non tantùm ſalebras arguo: non ſolùm noctes atras accuſo, quæ in chao fuerant.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:
Nec noua creſcendo reparabat cornua phœbe:
Nec circunfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat amphitrite:
Quáque erat & tellus, illic & pontus & aër:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda:
Lucis egens aër, nulli ſua forma manebat:

Obſtabátque aliis aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis:
Mollia cum duris, ſine ponderé habentia pondus.

Quanto verò Ariſtotelicū logicæ cōfuſionis chaos maius eſt? Non erant diſtinctæ mundi partes in mundano chao: principia rerum, ſine ſpecie, ſine forma, ſine luce confuſa, diſſolutáque erant: at præterea in chao nihil erat: hæc ipſa tota atque integra inerant. Verùm enimuero in Ariſtotelico chao, & permulta è neceſſariis principiis deſunt, & multò plura è nugatoriis, & ſophiſticis redūdant. Non enim dialecticæ vniuerſam & definitionem & diſtributionem, id eſt elementa primáſque totius diſciplinæ cauſſas confundi dico, ſed nullo legi apud Ariſtotelem loco. Quinetiam dialectica & logicæ vocabulis licet idem ſignificantibus, Ariſtoteleis ſomniis diſcerpi. Non dico ſolùm quæſtionem primo loco ante inuentionis & diſpoſitionis partitionem non breuiter & perſpicuè declarari, ſed quod tribus verſiculis commodiſſime de ea poterat comprehēdi, id penè toties centenis vanarum argutiarum ſpinis & mendaciis vſquequaque diſſipari. Non tātum reprehendo legitimam artis partitionem in inuētionem & diſpoſitionem alieno loco poſitam, ſed pro duabus veris & ſolis partibus ſeptem alienas & falſas in terminis, prædicabilibus, prædicamētis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis: aut tres non minus fatuas in ſyllogiſmo demōſtratiuo, dialectico, ſophiſtico ſuppoſitas eſſe confirmo. Nec conqueror duntaxat inuētionem, diſpoſitionémque tradi præter ordinem: & inuē-

tionis artes cum diſpoſitionis præceptis confuſas, & diſponendi leges cum locis inuẽtionis perturbatas: nec huius, nec illius partis inſtitutiones eſſe diſcretas, ſed inuentionẽ totam, omnéſque eius partes ſine definitione (excepta vnica contradictione, quæ ſola ex inuentionis tota doctrina verè ab Ariſtotele definitur) ſine certa diſtributione, ſine vlla exemplorum luce, initio terminorum barbariſmis obſtrui, ſecundùm prædicabilium Porphyrianis tricis & apinis impediri: deinde inanibus prædicamentorum lacunis exorberi: quartùm interpretationis confuſione inuolui: tum abũdantia propoſitionum & inuẽtione medii prorſus amitti: poſtremò ne vnquam requiri poſſit, analyticis & topicis tenebris ſepeliri. Diſpoſitionem autem quid repetam ſine nomine, ſine definitione, ſine diſtributione infinitis partibus, quàm inuentionem maiore caligine obrui? pro veris & neceſſariis generibus ſyllogiſmi & methodi, falſa aliena & ridicula ſophiſmata ſomniari? Quid enim ſunt tota illa inaudita caliginis deliramenta, nugatoriæ enuntiationum differentiæ? fallax ſyllogiſmi definitio? puerilis ac fatua iñ terminis, in figuris, in principiis, in conuerſionibus, in demonſtrationum obſcurationibus, in carbonibus alphabeticis imitatio? quid reliqua modificatarum concluſionũ tam varia deliratio? quid fabuloſa ſyllogiſtica poteſtatis illuſio? quid inquam hæc in chao ſunt? quàm leuitatem elementorum? quàm grauitatem? cuius inuentionis acumen? cuius diſpoſitionis prudentiam indicant? Atque hæc in chao iſto Ariſtotelico, tam multa &

deſunt & ſuperſunt. Si autem coniunctorum ſyllogiſmorum modos (quorum vſus eſt maximus) requiras, ſi methodi (cuius in tota dialectica maxime neceſſaria ratio eſt) vel directas, vel inflexas vias videre cupias, in toto chao locus harum partium vacuus & inanis erit. Si de interpretandis excellentibus authoribus, de ſcribendo dicendóque, de tota denique artis vtilitate & præſtantia, quæ ſunt in hoc chao ſciſcitere, inanitas reperietur. Contrà verò ſi ſcholas Ariſtoteleorum adeas, pro vero dialecticæ artis vſu, contentioſas & ſophiſticas rixas duntaxat inuenias: vt termini ad ſophiſticè altercandũ, prædicabilia ad ſophiſticè altercandum, prædicamenta ad ſophiſticè altercandum, interpretationes ad ſophiſticè altercandum, analytica ad ſophiſticè altercandum, topica ad ſophiſticè altercandum, elenchi ad ſophiſticè altercandum, tota denique Ariſtotelea logica ad ſophiſticè altercandũ Ariſtoteleis inuenta eſſe videatur. Quamobrem vt Ariſtotelei aliquando tam miſerabilem, támque incredibilem mentis ſuæ cæcitatem percipiant, ô Apelles, ô Timantes, ô Protogenes, vbi ſunt veſtræ laudatæ manus? Vtinam iam adſit veſtrum aliquis, qui tantum, támque horribile chaos, tam diſsidẽtibus repugnantibúſque ſophiſmatis conflatum, egregia aliqua tabula depingat. Terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretationibus, analyticis, topicis, elenchis, cauernas ſuas attribuat: in quibus tenui aliquo perſpicui coloris filo, inuentionis diſpoſitioniſque partes ſingulas implicatis (vt tanta rerum confuſio requirit) & varios an-

mis noſtris ad res omnes inueniendum, iudicandum, explanandum, illuminaſti: ne patiare diutius hominum mentes illo tuo diuino lumine priuatas in Ariſtotelicis tenebris errare: ſed quemadmodum pro tua ſapientia mirabiliter inſtituiſti, experge quaſo facias bona ingenia, atque incendas ad cæleſtes animi ſui dotes agnoſcendum: Te maximi beneficii tui cognitorem & vindicem quadriennio antè apellaui: opem nobis & auxilium tuliſti: inuidiam enim, maleuolentiam, contumelias, terrores, minas, cæteráque Ariſtoteleorum in nos emiſſa tela, an non meritò à te profectos acuendæ nobis atque exercendæ induſtriæ ſtimulos putem? Incredibilia verò audiendi & percipiendi commota ſtudia an non ad bene ſperãdum tanquam ſigna quædam diuinitus elata exiſtimem? Quæ oro atque obſecro Deus optime maxime non ſolùm retineas, ſed ad laudem gloriámque tui nominis augeas. Neque enim cæci, neque ſurdi laudare poſſunt ea quæ nunquam viderunt, nunquam audierunt: ſic pulcherrima nobiliſſimáque mentis humanæ bona, quibus abs te donati homines dotatíque ſunt, qui nunquam prouiderint, qui ab intelligentibus audire percipereque aut noluerint, aut non potuerint, gratiam tibi pro tanto munere nullam habebunt. Verùm qui tantum lucis ſplendorem perſpicient, qui admirabilem Dei hominúmque ex rationis mentíſque communione ſocietatem cernent: hi ſingularem tuam ergà homines pietatẽ ex animo, veréque amplectentur, & ſyncero veróque cultu venerabuntur. Tua, tua inquam Deus optime maxime glo-

ria ſumma eſt, diuina tua in homines dona vndique illuſtrari, illuſtrata vbicunque cognoſci, cognita vſquequaque prædicari & celebrari. Quare per infinitam bonitatem tuã perge, ac potius propera ſolis illius dialectici (quem & inuentionis & diſpoſitionis partibus definitum, hominibus & donaſti & demonſtraſti) ſolis inquam illius non certis partibus radios tantùm, ſed tantam & locis omnibus tam gratè collucẽtem flammam excitare: vt toto terrarũ orbe, tot ſcholis, tot gymnaſiis, tot Academiis perſpicuè cernatur, ametur, colatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS
EXCVDEBAT MATTHAEVS DAVID
II CALEND. MART.
1550

ter obſcuritatem reprehendit: at non vult. Ariſtotelei enim maximam laudem Ariſtotelis in eius obſcuritate collocant: in quo mihi videntur ſtulta pertinacia maximum defendere vitium. Dialectica verè tradita omnis lucis author & magiſtra eſt: at infinitarũ tenebrarum ô Ariſtotelei, Ariſtotelem authorem nõ modò fatemini, ſed cum ſumma eius (vt exiſtimatis) laude gloriáque profitemini. Fallacia ſecundum quid, eſt diuiſionis fallacia quadam: videtur enim totum ad partem conferri, vt, Eſt homo mortuus, ergo homo. Fallacia nõ cauſſa vt cauſſæ vnde ſit ſuo nomine indicat. Quòd ſi Ariſtoteles hoc modo cætera vitia ad virtutum fontes retuliſſet, perſpicuè tradidiſſet, quod in elēchis conturbauit. Non cauſa vt cauſa fallacia eſt. Sic igitur non definitio, vt definitio: non genus vt genus, & in cæteris argumentis eodem planè modo præcipi oportuerat. Quanquam Ariſtoteles fallaciã non cauſſæ vt cauſſæ non huc planè retulit: nec tantum boni aut lucis animo concepit. Fallacia conſequentis eſt captioſa ſpecies connexi ſyllogiſmi ſecundi. Fallacia accidentis, variarum interrogationum, ignorationis elenchi nullum vitij peculiare genus oſtendunt: de quo poſſit in dialectica præcipi. Quamobrẽ in tam multis vitiorum generibus redargutione comprehenſis, cùm nihil eſt ad virtutum fontes relatum atque comparatũ, tum de omnibus quatuor ſola ſunt quæ videãtur dialecticum aliquid indicare: figura dictionis, fallacem ſimilitudinem: ſecundum quid, diuiſionem: non cauſſa vt cauſſa, fallacem cauſſam: conſequens, connexum ſer

cundum. Primus itaque ſophiſtæ finis ita eſt: reliquorũ falſi, inopinabilis, ſolœciſmi, nugationis vanitas, non tam obſcura, quàm ridicula eſt. Propterea ſi cui tantũ erit à ſeriis & vtilibus rebus otij, ineptias etiam tales vt curet, quales ſunt in elenchis reliquorum Ariſtoteliſmorum, oblectando otio perlegat, non inſtituendo animo: niſi fortè det operam vt è ſtulto inſanus fiat. Hæc in libris Ariſtotelis de exercitatione dialectica, quanuis hoc nomine minime propoſita, tamen ea præcepta ſunt. Scholaſtica Ariſtoteleorum conſuetudo reliqua nobis eſt, de qua breuiter dicendum eſt, cùm antea tot locis hac de re ſeparatim dixerimus. Quænam eſt igitur Ariſtoteleorum in tractanda arte dialectica conſuetudo? quæ exercitatio? Potuit bonis authoribus explicandis atque interpretandis Cicerone, Virgilio, cæteríſque & oratoribus & poetis & philoſophis dialectica exerceri, vt in analyſeos præceptis oſtendimus. Eiuſmodíne eſt Ariſtoteleorum meditatio, vt quæſtionem videant? argumenti rationem conſiderent? iudicij concluſionem perpendant? methodi viam circunſpiciant? Nihil ſimile apud illos auditum, nullum excellentem authorem, nullum poetam, nullum oratorem, nullum philoſophum ad inuentionis diſpoſitioníſque normam interpretantur. An in tractandis & ſcribendis inſignibus rerum vtilium honeſtarúmque locis (quemadmodum audiuimus ab Ariſtotele, quanuis in libris omnia corruperit, adoleſcentes in theſi exercitatos eſſe) eorum labor occupatur? minime verò: ſed ſi quis puer liberaliter inſtitutus ad iſtos acceſſerit, qui

Scholaſtica Ariſtoteleorum exercitatio.

Ariſtotelis viui conſuetudo.

vel poema condere, vel epiſtolam facere, vel orationem ſcribere didicerit, primũ illud eſt, vt obliuiſcatur. Indi gnari ſiquidem magiſtri ſolent, ſi profanis illis (vt iudicant) rebus ſacra Ariſtotelea logica myſteria cõtaminentur. Itaque eo ipſo tempore, quo ſophiſticæ Ariſtotelis tenebræ ab Ariſtoteleis ſimplici & impruden ti iuuentuti offunduntur, cauetur ne quis orator, ne quis poeta, ne quis hiſtoricus, ne quis humanitatis aut elegãtiæ vlla laude nobilis & celebris author legatur: ſecus virgarum pœna eſto. Quid ergo eſt? quomodo Ariſtotelei dialectici exercentur? Video cogitationem ſubitam atque extemporalem eſſe reliquam: hîc fortaſſe vt ſophiſtæ veteres, copiam orationis inuentione & diſpoſitione rerum excolunt atque amplificant: poſcunt in conuentu quæſtionem de qua quis velit audire: magnas opes induſtriæ ſuæ cum ſumma admiratione omnium illic oſtentant. Obmuteſcent Ariſtotelei omnes, ſi quid horum interroges: & ſe credent abs te derideri: ita noua huiuſmodi interrogatio atque inuſitata accidet. Vbi ergo ponitur bienny tempus? tantum enim mo ribus Academiæ Pariſienſis dialecticis ſtudiis impenditur. Pudet dicere, & tamen dictum iam toties eſt, & ad extremum rurſus dicendum, vt Ariſtotelei pudore aliquo in tam putidis rebus afficiantur. Quid ergo agitur in ſcholis Ariſtoteleorum ad exercitationẽ dialecticæ? Clamatur de tam multis tenebris, contra quas tot libris à nobis eſt diſputatum: clamatur mane, clamatur meridie, clamatur veſperi, clamatur toto die, magna etiam noctis parte clamatur: denique de nugis

Ariſtotelis nil niſi Ariſtotelicè dies & noctes clamatur: vſus dialectica præter ſophiſticos illos & captioſos de ſophiſmatis Ariſtotelicis clamores nullus in Ariſtoteleorum ſchola demonſtratur. Comparate autē contrà Ariſtotelei exercitationis noſtræ diligentiam, vt in poetis, in oratoribus omnes artes & inuentionis & diſpoſitionis adhibeamus, vt commonſtratas omnes his artibus virtutes imitando perſequamur: quid per nos ipſos iiſdem artibus adiuti conemur: vt cum dialecticis exercitationibus rhetoricas adiungamus: & quemadmodum veterum exempla & inſtituta his meditationum & exercitationum modis ſequamur. Sic enim has artes exercuit Plato, nec minus diſerte dicit, quàm ſubtiliter & acutè diſſerit: ideóque eius auditor Ariſtoteles, (quanuis hæc omnia in libris confuderit) non ad miſerum & liberalibus ſtudiis pernicioſum morē, de ſolis præceptis tenuiter & aridè balbutiendi, ſed ad copiam rhetorum in vtranque partem de omnibus rebus diſſerendi, vt ornatius & vberius dici poſſet, & ſeipſum & diſcipulos ſuos exercuit: ſiquidē mane philoſophiam, vt antea dixi, veſperi eloquentiam eodem die docebat: hinc nobilia illa Lycæi ſpatia ἑωθινὸν *&* δειλινὸν *perpetua laude celebrantur. Ex his diſputationum fontibus illud Ariſtotelis aureum flumen (vt ait in Lucullo Cicero) redundauit: illis ipſis exercitationibus iactatus in Theophraſto diuinus orationis candor enituit: iiſdémque curriculis exagitata ſingularis in Phalereo dicendi laus effloruit: hinc Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas: hinc Ciceronis elo-*

Ariſtotelis viui cōſuetudo.

quentia & oratorũ innumerabilium: hinc tam multi, tam nobiles philoſophi & oratores extiterunt. Nõ enim pulcherrimæ artis exercitationem in ſtultis inanium præceptionum clamoribus, vt Ariſtotelei, ſed in graui rerum vtilium diſputatione & ornatâ tractatione collocarunt. Audiamus tandem aliquando, ſiquid vlla nos optima rationi cõiuncta mouere debet authoritas, audiamus inquam Ariſtotelei, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Phalereum, Carneadẽ, Ciceronem, totam denique Græciam atque Italiã: quæ beatis illis temporibus hæc ſtudia ſapientiæ & eloquẽtiæ coniunxit. Ad veterem illum ſapientiſsimorum virorũ morem dialecticas exercitationes inſtituamus: reuocetur (quoniam Ariſtotelei eſſe vultis) Ariſtotelis conſuetudo: ſit philoſophiæ, ſit idem eloquentiæ magiſter: ars vtraque eiuſdẽ diei diuerſis horis exerceatur: ſit hæc tandem dialectica quæ vel ſcriptos hominum ſenſus, vel auditos interpretari: quæ cum abſentibus & poſteritate ſcripto, cum præſentibus viua voce colloqui poſsit. At ſi tam faciles eſſent artes (aiunt Ariſtotelei) neglectæ & contemptæ iacerent. O Ariſtoteleum & obtuſum pugionem! Imò verò in honore eſſent, diſcerentur, vigerent, amarentur, florerent, colerentur: nec tamen tam facilis vlla diſciplina præceptis vnquã erit, quin maximus ei labor relinquatur. Artium perfectio non eſt in facili cognitione præceptionũ poſita, ſed in exercitatione, in vſu, in exemplis, in conſuetudine, in aſsiduitate: quæ laboris ingentis & ſolicitudinis infinitæ pleniſsima ſunt. Veruntamen hæc

Obiectio contra facilitatem artium.

defenſio Ariſtoteleorum, quanuis tot eam locis ridiculam indicauimus, tamen quoniam in ea video ſummum quoddam præſidium collocari, diligentius nobis eſt conſideranda, & vniuerſis iiſdem rationibus expugnãda, quibus antea ſingulis oppugnata eſt. Si quid igitur Ariſtotelis poteſt & valet authoritas, in Ariſtotelem poßit & valeat. Nihil enim firmius eſt, vt antea dixi, ad conuincendum reum, quàm proprium ipſius teſtimonium. Interrogemus igitur Ariſtotelem de obſcuritate, & audiamus quid de ea ſentiat: vt ſi neget, rationes cõtrarias inquiramus: ſi fateatur, ipſius teſtimoniis ad eius errorem conuincendum contenti ſimus. Quas igitur de obſcuritate in dialecticis libris ſententias habet? Primus eſt locus in librorum ordine, ſecundo priorum analyticorum de petitione principij: quo loco vehementer accuſatur obſcuritas tanquam in docendo vitium vel maximum, ſi per ignotiora, ſi per æquè ignota doceamus. At Ariſtoteles in declaranda naturali dialectica (quæ ſeipſam quantum poteſt in noſtris ingeniis oſtendit) non modo per ignotiora, aut ſimiliter ignota agere ſe confitetur, ſed etiam gloriatur. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Secundus eſt de obſcuritate locus primo de poſterioribus analytico, vbi præcipitur non modò perſpicuis verbis in docendo, ſed claris & apertis ſententiis vtendum eſſe: alius eſt ibidem locus, quòd antecedentia conſequentibus clariora debeant eſſe. At Ariſtoteles verbis & ſententiis perobſcuris non modò delectatur, ſed laudem quærit. Ariſtotelis igitur ob-

Obſcuritas ab Ariſtotele ipſo damnata.

ſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Quartus locus eſt ſexto topico, vbi obſcuritas lõgiſsima oratione reprehenditur, ſi ambiguis, ſi inuſitatis verbis cõtexta ſit oratio, ſi per eam contrarium non pateat. At Ariſtoteles infinita & verborum, & rerum obſcuritate glorioſum ſe, & ſuſpiciendum (vt Ariſtotelei dicunt) exiſtimat. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia iuſtè damnatur. Quintus locus eſt octauo topico, vbi vituperatur diſputatio ex minus apertis, minúſque probabilibus concluſa, ſi quod in principio, ſi contrarium petatur: imò verò perſpicuitas in eodem loco præceptis commendatur & ornatur. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſentẽtia iuſtè damnatur. Poſtremus eſt de obſcuritate locus in elenchis de petitione principij, vbi de ſophiſticis hydræ chymaricæ capitibus vnum præcipuum obſcuritas numeratur: & veterator atque impoſtor bardus, ſtolidúſque ſophiſta ab Ariſtotele dicitur, in quo hoc obſcuritatis vitium inſit. Ariſtotelis igitur obſcuritas, Ariſtotelis ſententia vitio toties accuſato iuſtè damnatur.

PERORATIO VNIVERſæ animaduerſionis.

Qvamobrem vt aliquando peroremus, ab hac obſcuritatis gloriatione tam obſcura, tam ingloria diſcedamus. Quanuis enim vitiũ hoc ſit in docendo maximum, vt Ariſtoteles ipſe ait, maximéque fugiẽdum: maius tamen partibus infinitis in Ariſtotele vitium reprehendo. Non dico tãtùm Ariſtotelis orationem difficilem rebus, obſcuram verbis, toto genere compoſitionis inſulſam atque odioſam: quoniam de his etiam vitiis Ariſtotelei gloriari ſolent: non comparo duntaxat Ariſtotelis commenta labyrintho.

Vt quondam creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.

Poſſent enim de aliquo Dedalæo artificio, ſi hoc tãtum crimine à nobis accuſaretur Ariſtoteles, laudis aliquid Ariſtotelei affectare, & dialecticam ſuam Minotauream prædicare: à qua quemadmodum priſcis illis temporibus à Minotauro Athenienſium, ſic non Athenienſium modò, ſed omnium gentium qui ad hunc labyrinthum Ariſtotelicum venerint, liberi perdantur. Et quemadmodum Dedalus reginæ errores

labyrinthi reſoluit, ſic logicæ Ariſtoteleæ anfractus, & Mæandros ſe retexere.

Hic labor, ille domus & inextricabilis error:
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dedalus, ipſe dolos tecti ambagéſque reſoluit,
Cæca regens filo veſtigia.

Non inquam labyrinthi errores & ambages in Ariſtotele duntaxat accuſo. Quid ergo? commentorũ, nugarum, ſomniorum, ineptiarum, mendaciorum, ſophiſmatum, deliramentorum infinitis labyrinthis coagmentatum chaos commonſtro ac patefacio.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtáque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Sic Ouidius mundanum chaos definit. At chaos Ariſtotelicum longè ſecus definiendum eſt. Nõ enim dialecticæ artis confuſionem in Ariſtotele duntaxat reprehendo: non tantùm ſalebras arguo: non ſolùm noctes atras accuſo, quæ in chao fuerant.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:
Nec noua creſcendo reparabat cornua phœbe:
Nec circunfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat amphitrite:
Quáque erat & tellus, illic & pontus & aër:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda:
Lucis egens aër, nulli ſua forma manebat:

Obſtabátque aliis aliud, quia corpore in vnò
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis:
Mollia cum duris, ſine ponder e habentia pondus.

Quanto verò Ariſtotelicū logicæ cōfuſionis chaos maius eſt? Non erant diſtinctæ mundi partes in mundano chao: principia rerum, ſine ſpeciē, ſine forma, ſine luce confuſa, diſſolutáque erant: at præterea in chao nihil erat: hæc ipſa tota atque integra inerant. Verùm enimuero in Ariſtotelico chao, & permulta è neceſſariis principiis deſunt, & multò plura è nugatoriis, & ſophiſticis redūdant. Non enim dialecticæ vniuerſam & definitionem & diſtributionem, id eſt elementa primáſque totius diſciplinæ cauſſas confundi dico, ſed nullo legi apud Ariſtotelem loco. Quinetiam dialecticæ & logicæ vocabulis licet idem ſignificantibus, Ariſtoteleis ſomniis diſcerpi. Non dico ſolùm quæſtionem primo loco ante inuentionis & diſpoſitionis partitionem non breuiter & perſpicuè declarari, ſed quod tribus verſiculis commodiſſime de ea poterat comprehē di, id penè toties centenis vanarum argutiarum ſpinis & mendaciis vſquequaque diſſipari. Non tātum reprehendo legitimam artis partitionem in inuētionem & diſpoſitionem alieno loco poſitam, ſed pro duabus veris & ſolis partibus ſeptem alienas & falſas in terminis, prædicabilibus, prædicamētis, interpretatione, analyticis, topicis, elenchis: aut tres non minus fatuas in ſyllogiſmo demōſtratiuo, dialectico, ſophiſtico ſuppoſitas eſſe confirmo. Nec conqueror duntaxat inuētionem, diſpoſitionémque tradi præter ordinem: & inuē-

tionis artes cum diſpoſitionis præceptis confuſas, & diſponendi leges cum locis inuẽtionis perturbatas: nec huius, nec illius partis inſtitutiones eſſe diſcretas, ſed inuentionẽ totam, omnéſque eius partes ſine definitione (excepta vnica contradictione, quæ ſola ex inuentionis tota doctrina verè ab Ariſtotele definitur) ſine certa diſtributione, ſine vlla exemplorum luce, initio terminorum barbariſmis obſtrui, ſecundùm prædicabilium Porphyrianis tricis & apinis impediri: deinde inanibus prædicamentorum lacunis exorberi: quartùm interpretationis confuſione inuolui: tum abũdantia propoſitionum & inuẽtione medii prorſus amitti: poſtremò ne vnquam requiri poſſit, analyticis & topicis tenebris ſepeliri. Diſpoſitionem autem quid repetam ſine nomine, ſine definitione, ſine diſtributione infinitis partibus, quàm inuentionem maiore caligine obrui? pro veris & neceſſariis generibus ſyllogiſmi & methodi, falſa aliena & ridicula ſophiſmata ſomniari? Quid enim ſunt tota illa inaudita caliginis deliramenta, nugatoriæ enuntiationum differentiæ? fallax ſyllogiſmi definitio? puerilis ac fatua iñ terminis, in figuris, in principiis, in conuerſionibus, in demonſtrationum obſcurationibus, in carbonibus alphabeticis imitatio? quid reliqua modificatarum concluſionũ tam varia deliratio? quid fabuloſa ſyllogiſtica poteſtatis illuſio? quid inquam hæc in chao ſunt? quàm leuitatem elementorum? quàm grauitatem? cuius inuentionis acumen? cuius diſpoſitionis prudentiam indicant? Atque hæc in chao iſto Ariſtotelico, tam multa &

deſunt & ſuperſunt. Si autem coniunctorum ſyllogiſmorum modos (quorum vſus eſt maximus) requiras, ſi methodi (cuius in tota dialectica maxime neceſſaria ratio eſt) vel directas, vel inflexas vias videre cupias, in toto chao locus harum partium vacuus & inanis erit. Si de interpretandis excellentibus authoribus, de ſcribendo dicendóque, de tota denique artis vtilitate & præſtantia, quæ ſunt in hoc chao ſciſcitere, inanitas reperietur. Contrà verò ſi ſcholas Ariſtoteleorum adeas, pro vero dialecticæ artis vſu, contentioſas & ſophiſticas rixas duntaxat inuenias: vt termini ad ſophiſticè altercandũ, prædicabilia ad ſophiſticè altercandum, prædicamenta ad ſophiſticè altercandum, interpretationes ad ſophiſticè altercandum, analytica ad ſophiſticè altercandum, topica ad ſophiſticè altercandum, elenchi ad ſophiſticè altercandum, tota denique Ariſtotelea logica ad ſophiſticè altercandũ Ariſtoteleis inuenta eſſe videatur. Quamobrem vt Ariſtotelei aliquando tam miſerabilem, támque incredibilem mentis ſuæ cæcitatem percipiant, ô Apelles, ô Timantes, ô Protogenes, vbi ſunt veſtræ laudatæ manus? Vtinam iam adſit veſtrum aliquis, qui tantum, támque horribile chaos, tam diſsidẽtibus repugnantibúſque ſophiſmatis conflatum, egregia aliqua tabula depingat. Terminis, prædicabilibus, prædicamentis, interpretationibus, analyticis, topicis, elenchis, cauernas ſuas attribuat: in quibus tenui aliquo perſpicui coloris filo, inuentionis diſpoſitioniſque partes ſingulas implicatis (vt tanta rerum confuſio requirit) & varios an-

fractus efficientibus lineis modò ſurſum erectis, modò repreſſis deorſum, modò dextrorſum porrectis, modò reductis ſiniſtrorſum, modò antè directis, modò pòſt inuerſis diſtinguat. Cùmque in hac Ariſtotelica infinitæ confuſionis tabula Ariſtotelem tantæ confuſionis authorem, & parentem Ariſtoteleis oſtenderit, tum ſibi Ariſtoteleos ipſos (qui tanquam cuſtodes ad tuendum ſeruandúmque chaos adhibiti ſunt) perſonatos, formíſque ſapiẽtiæ ſuæ conſentaneis pictos & variatos oſtendat. Quænam igitur formæ? quorum animantium futuræ ſunt? Nónne alio loco ſepiæ fuerint, quæ ſui ſanguinis atramento tenebras (ſi quis penitus intueri velit) obſcuriores efficiant? Alio Cameleontes, qui aſsimilandis coloribus ſpectantium oculis imponant? Alio medici fictas venditantes herbas, & quæ nunquam fuerint? Alio Prothei, qui formarum conuerſione ſpeciem quamuis effingant? Alio Hydræ & Lernæ, quæ contra ſe dimicantium tela multiplicato capitum numero viribus ſubinde nouis augeãtur? Atque his perſonatis præſtigiis perficiant omnibus locis clamando, altercando, rixãdo, atque Ariſtotelicè Ariſtoteleas tenebras exercendo, vt ſoli Ariſtitelicæ logicæ fumum, & quidẽ Ariſtotelicum hauriant: verum autem veræ dialecticæ fructũ, nec ipſi, nec ad eos quiquam profecti magis capiant, quàm Tantalus apud inferos aquas, aut mala, licet immineant, capere poſsit.

tibi enim Tantale nullæ
Deprenduntur aquæ, quæq́ imminet, effugit arbor.

Vtinam, vt dixi, nobis adſit ille pictor, vt Ariſtotelei

tenebras Ariſtotelis & ſuas (ſi deſcriptas à nobis nequeunt) propriis & viuis coloribus pictas expreſſáſque videant: & bonos adoleſcentes ad eas impellere tanta ſtoliditate deſinant: & præclaram illam Satyrici vocem conſiderati & attenti audiant:

Diſcite nunc miſeri, & cauſſas cognoſcite rerum:
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus & vnde.

Nati enim factíque ſumus, vt Dei optimi maximi conſilia noſtris animis inſcripta diſcamus, híſque pareamus: non vt per vanas mendacium opinionum controuerſias claritate naturalis lucis priuemur. Quamobrem cùm Ariſtoteleis & Ariſtotelem & Ariſtoteles ipſos deſcripſerimus: ad eum ipſum tandē conuertamur, qui chaos illud mundanum compoſuit, & ex inordinatione in ordinem adduxit. Etenim

Hanc Deus & melior litem natura diremit:
Nam cælo terras, & terris abſcidit vndas:
Quæ poſtquam euoluit, cæcóque exemit aceruo,
Diſſociata locis concordi pace ligauit.

Ad eum, inquam, conuertamur, à quo diſputationis vniuerſæ principium duximus.

A te principium: tibi deſinet.

O cæleſtis ſancte pater ſempiterni beatiſſimíque luminis princeps atque author, qui non modò chaos ac ſempiternas eius tenebras mundo depuliſti, ſed etiam perpetuis ignibus clariſſimam mundi lampadem ſole, luna, cæteríſque ſyderibus accendiſti: imò verò, qui longè clariorem & illuſtriorem vultus tui lucem in ani-

mis noſtris ad res omnes inueniendum, iudicandum, explanandum, illuminaſti: ne patiare diutius hominum mentes illo tuo diuino lumine priuatas in Ariſtotelicis tenebris errare: ſed quemadmodum pro tua ſapientia mirabiliter inſtituiſti, experge quæſo facias bona ingenia, atque incendas ad cæleſtes animi ſui do tes agnoſcendum: Te maximi beneficii tui cognitorem & vindicem quadriennio antè apellaui: opem nobis & auxilium tuliſti: inuidiam enim, maleuolentiam, contumelias, terrores, minas, cæteráque Ariſtoteleorum in nos emiſſa tela, an non meritò à te profectos acuendæ nobis atque exercendæ induſtriæ ſtimulos putem? Incredibilia verò audiendi & percipiendi commota ſtudia an non ad bene ſperãdum tanquam ſigna quædam diuinitus elata exiſtimem? Quæ oro atque obſecro Deus optime maxime non ſolùm retineas, ſed ad laudem gloriámque tui nominis augeas. Neque enim cæci, neque ſurdi laudare poſſunt ea quæ nunquam viderunt, nunquam audierunt: ſic pulcherrima nobiliſsimáque mentis humanæ bona, quibus abs te donati homines dotatíque ſunt, qui nunquam prouiderint, qui ab intelligentibus audire percipereque aut noluerint, aut non potuerint, gratiam tibi pro tanto munere nullam habebunt. Verùm qui tantum lucis ſplendorem perſpicient, qui admirabilem Dei hominúmque ex rationis mentíſque communione ſocietatem cernent: hi ſingularem tuam erga homines pietatẽ ex animo, veréque amplectentur, & ſyncero veróque cultu venerabuntur. Tua, tua inquam Deus optime maxime glo-